METROPOLIS SALISBVRGENSIS,

CONTINENS

PRIMORDIA CHRISTIANÆ RELIGIONIS PER BOIARIAM ET LOCA QVÆDAM VICINA; CATALOGVM VIDELIcet & ordinariam successionem Archiepiscoporum Salisburgensium, & Coëpiscoporum, Frisingensium, Ratisponensium, Patauiensium, ac Brixinensium, simulque fundationes & erectiones Monasteriorum & Ecclesiarum Collegiatarum,

PATRIÆ AMORE AC VENERANDÆ antiquitatis studio, summa fide & diligentia collecta

A NOBILI ET AMPLISSIMO VIRO VVIGVLEO HVND A SVLTZENMOS I. C. AC SVPREMI Boiorum Senatus Monachij Præside.



INGOLSTADII
Ex Officina Typographica DAVIDIS SARTORII.
Anno M. D. LXXXII.
Cum gratia & priuilegio Cæsareæ Maiestatis.

SERENISSIMO AC ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC

DOMINO, DOMINO VVILHELMO Comiti Palatino Rheni, vtriusq; Bauariæ Duci, Domino suo clementissimo.

OFFERO, SERENISSIME PRINCEPS, Metropolim Salisburgensem, iam pridem à me promissam, opus quidem non meæ inuentionis, aut ex meo natum ingenio, sed ex probatissimis & grauissimis scriptis, maximè vero peruetustis Imperatorum, Regum ac Principum diplomatibus, & tabulis authenticis, fabulosis quorundam narrationibus resectis, syncera fide, magnaque diligentia, quantum per publica negotia licuit, per me collectum: continens Christianæ Religionis & Catholicæ fidei per Boiariam ac finitimas prouincias prima quasi semina ac originem: item progressum, propagationem, & in hanc vsque diem conseruationem. Quæ quidem omnia secundum diuinam gratiam, cui meritò, quicquid sumus, acceptum ferimus, vel cum primis tribuendum censeo erectioni, fundationi, & institutioni tot insignium Ecclesiarum, amplissimorum Episcopatum & Monasteriorum. Quorum præsules Rempublicam Christianam doctrina & virtute plantarunt, sudore & labore in eam, quam videmus, formam euexerunt, sanctioris vitæ exemplo, Deo incrementum dante, in hæc vsque secula promouerunt. Qua vigilantia, solertia & pietate non plebeiorum modò hominum sed nobilium quoque, quin & Principum, Regum, atque Imperatorum animos tanto in religionem Zelo, tanto in patriam amore inflammârunt, vt plerique magnam opum suarum partem, aliqui vniuersam substantiam, nonnulli cum bonis semetipsos quoque Deo in holocaustum obtulerint, sibiq; de Mammona iniquitatis ami-

cos, à quibus in æterna tabernacula deficientes reciperentur, comparare voluerint. Vt mirum videri queat, quid quibusdam nostri seculi hominibus in mentem venerit, vt hæc Religionis Catholicæ pia principia, solidaq; ac firma fundamenta non labefactare solùm, sed penitus abolere, & funditus euertere nitantur. Cum certum sit, sicut his rationibus & medijs Maiores nostri ad Christi fidem sunt conuersi: ita iis sublatis & deletis, posteros in omnis generis errores, hæreses, veteremque adeò paganismum relapsuros. Cuius rei non obscura præludia passim his periculosissimis temporibus conspicimus & experimur.

Porro hæc quoque Historia plurima nobis Antiquitatum Germaniæ, præsertim amplissimi Boiorum olim regni, nunc autem Ducatus, luculentissimaque testimonia ob oculos ponit. Antiquitates dico non prisci illius seculi florentis adhuc Reipublicæ Romanæ in his partibus Imperij, (cuius inuestigationi plærique diu multumque insudârunt, qui tamen prętervarias variorum opiniones & ambiguas coniecturas vix quicquam certitudinis assecuti videntur) sed medij, vt ita dicam, temporis, quo fides Christiana apud nos cùm sanctissimorum Pontificum studio ac consilio, tùm etiam ope & præsidio maximorum Regum & Principum, plantari ac propagari cæpit. Quorum stemmata, nomina, familiæ ac res præclarè gestæ neutiquam tenebris inuolui, sed perpetuæ consecrari memoriæ, publicè summa cum laude prædicari, ac posteris ad imitationem ceu viua exempla proponi, meritissimè debent. Eorum vestigijs laudatissimi Maiores tui, præcipuè nostra ætate, pientissimæ memoriæ auus Vuilhelmus, & pater Albertus prudentissimi, fortissimi, ac religiosissimi Principes, inhęrentes, tàm Ecclesias quàm ecclesiasticum ordinem in amplissima ditione sua defendere, prouincias suas ab hæresibus longè lateque serpentibus mundas, ac in Catholica religione integras conseruare, omnibus viribus studuerunt: quos tu non solum æquare, sed pia emulatione superare contendis.

Accipe igitur Serenissime Princeps, sereno vultu Ecclesiasticam

sticam hanc Historiam, quæ vt spero currenti calcar addet, & tuo patrocinio suffulta, non indigna videbitur, quæ à viris Catholicis, Religionis, Patriæ, ac Antiquitatis studiosis eò libentiùs legatur. Omnipotens Deus te cum vniuersa tua posteritate, ad sanctißimi nominis sui laudem, Catholicæ Ecclesiæ vtilitatem & consolationem, & salutarem totius prouinciæ pacem, quàm diutißimè incolumem conseruet. Vale Princeps optime. Monachij, Prid. Cal. Iunij. Anno Christi M. D. XXCII.

Serenißimæ Cels. tuæ

Deditiss. Seruitor & Consiliarius,
VViguleus Hund à Sultzenmos.

X 3 ALBER-

ALBERTI HVNGERI, APVD INGOLSTADIENSES PROFESSORIS Theologi, & Procancellarij Censura.

SI ILLI QVOQVE, CANDIDE LECTOR, QVI VEL merè profana, vel prorſus externa, vel etiam iampridem amiſſa, nec vnquã recuperanda deſcribunt, probari tamen laudariq́; à nobis ſolent propter induſtriã & benè merendi ſtudium: equidẽ iuſtiſſimũ eſt, vt haud paulò magis amemus, colamus, & cõmendemus eos, qui non profana ſed Eccleſiaſtica, non externa ſed noſtra, non amiſſa miſerè ſed conſeruata feliciter, & ad omnẽ adeò poſteritatẽ noſtram perquàm religiosè tranſmittenda fideliter, breuiter, atq́; perſpicue nobis ob oculos proponunt. Quantò enim hæc, quàm illa, magis ad dignitatẽ & vtilitatẽ noſtram pertinent, tantò etiam procul dubio ſcriptores hi, quàm illi, propius, prolixius, & præclarius de nobis promerentur. Quippe quàm indignum ſit, quàm illiberale, quàm periculoſum, iſta ignorari præſertim ab iis, qui ad Patriæ gubernacula ſedent, & vel ex officij etiam ſui ratione commune bonum procurare debẽt, cùm prudens quilibet facilè poſſit exiſtimare, tùm vel ethnicus ille Cicero clariſſimè perſpexit, veriſſimeq́; in Oratorẽ ſuo ad Brutũ hiſce verbis expreſſit: [Neſcire, quæ anteq̃ naſceremur, in repub. noſtra gẽſta ſunt, quid eſt aliud, quàm ſemper eſſe pueros?] Quòd ſi illud etiam rectè à Iureconſulto dictũ eſt: [Turpe eſt patritio viro, ius eius ciuitatis, in qua verſatur, ignorare.] profectò rectius multò nos dixerimus, turpiſſimũ, imò & pernicioſiſſimum eſſe, præſertim hodie, homini Chriſtiano, quæ fuerit Chriſtianiſmi forma tempore maiorũ ſuorũ, ignorare; quæ Patriæ ſuæ, quæ ſibi, quæ poſteris chariſſima & antiquiſſima eſſe debent, eorũ neq́; primordia tenere, neq́; progreſſum, eorum neq́; adiumẽta nouiſſe, neq́; incrementa, Religionis, inquã, veræ, ſine qua fruſtrà ſperatur ſalus vera, & Epiſcopatuum, Monaſteriorũ, Academiarum, quæ religioni veræ propagandæ et conſeruandæ ſemper à ſapientiſſimis ac optimis quibusq́; Eccleſiæ columinibus opportuniſſima præſidia meritò fuère iudicata. Talibus igitur de rebus cùm verè nobilis vir, VVIGVLEVS HVNDIVS, trium ex ordine ſibi ſuccedentium vtriusq́; Boiariæ Principum prudẽtiſſimus, fideliſſimus, meritiſſimusq́; conſiliarius memoriam annorum plusquã octingentorum Baioarijs quidem ſuis in primis, tùm verò & alijs omnibus antiquitatis & veritatis ſtudioſis magna fide, ſingulari ſtudio, ſumma diligentia hunc vnum in librũ collegerit, næ ille laudes gratiasq́;, præſertim apud Boiaros ſuos, meretur multò maxumas; næ ille vel hoc quoq́; nomine digniſſimus eſt, cuius nomen cum eorum nominibus, qui in hoc opere illuſtres ſunt, ab omni piorum poſteritate celebretur in terris, ab omni piorum antiquitate diligatur in cælis, ab ipſo deniq́; Chriſto Domino ex Albo Curiæ terrenæ tranſcribatur inter ampliſſimos ſenatores Curiæ cæleſtis. Vtinam verò, vtinam, quæ vir hic non ſolùm diuturno rerum plurimarum maximarumq́; vſu præſtantiſſimus, verùm & hiſtoriarum omnium præſertim patriæ ſuæ ſcientiſſimus ſuis hic potiſſimùm Baioariis breuiter ſed fideliter perſcripſit, ea etiam nationes aliæ præſertim eæ, quas nouum Lutheri vel Caluini Euangelium miſerè ſeduxit, diligenter legant, libenter relegant, nouiſſimaq́; maturè prouideant. Quæ enim, obſecro, vtilitas, quæ ſapientia, quæ gloria, antiquare ac ſpernere eam, quæ hic commemoratur, rerum Eccleſiaſticarum, in Baioaria, aliisq́; Germaniæ imò totius orbis Chriſtiani partibus cum Baioaria communem per tot ſecula religionem ſecutis tam benè firmatam & tam ſanctam antiquitatem? contrà verò profanã Lutheri vel Caluini nouellitatem, vt antiquiſſimi Tertulliani verbis vtar,

tot præ-

tot præscriptionibus ab ipso Verbo DEI *iam olim prædamnatam tam cupidè amplecti, tam pertinaciter tenere? Quæ ista, quæso, modestia, quæ securitas, sub prætextu Verbi* DEI *fortissimos, sapientissimos, sanctissimosq́ illos Imperatores ac Principes, Pipinum, Carolum magnum, Ludouicum Pium, Hainricum sanctum, Conrados, Ottones, Albertos, aliosq́ plurimos, qui hoc in opere benignissimi amplissimorum Episcopatuum & Monasteriorum fundatores ac benefactores memorantur, tanquā grauissimorū errorum & detestandæ idolomaniàs Patronos despicere atq́ deserere? Contrà verò Lutheri vel Caluini doctrinam aduersus hosce omnes procaciter obiicere, vnicè suspicere, mordicùs asserere! Quanta deniq́ superbia, quàm graui olim luenda supplicio, sub prætextu Verbi* DEI *tot sanctissimos Cōfessores & martyres, quorum hoc ipsum quoq́ opus passim commeminit, S. Bonifacium, S. Rupertum, S. Corbinianum, S. Vitalem, S. Virgilium, S. Maximilianum, S. Piligrinum, S. Emeranum, S. Erhardum, S. VVolfgangum, S. Gotthardum, S. Leonardum, S. Althonem, S. Adalbertum, aliosq́ penè innumerabiles Episcopatuum & Monasteriorum illorum Rectores vigilantissimos, tanquam Antichristi administros ac præcursores aspernari & reiicere! Contrà verò Lutherum & Caluinum, quasi solos verè sapientes in amore & honore habere! Quasi verò, vt cū D. August. lib. 2. cōtra Iulian. Pelagian. loquar, longa dies ita summa permiscuerit imis, vt Lutherus & Caluinus, tanquā non homines sed Dij, videāt ac intelligāt soli, cæci aūt sint, quos hactenus retuli, omnes, quantumuis Christo tota mente, omniq́ studio & contentione tùm corporis, tùm animi deseruierint, ne quid esset, propter quod spiritus sapientiæ & intellectus eos auersaretur. Octingentis annis, hoc est, iam inde à primordio suæ conuersionis ad Christum, Bauaria plenū Papatū tenuit, diutius etiā alia quædā Germaniæ partes, fuitq́ hac ratione ipsi Bauariæ, cæterisq́ illis Germaniæ partibus, vnius veræ & perfectæ fidei communio cum aliis omnibus Christiani orbis nationibus. Per hoc tempus in Bauaria et reliqua Germania fuisse sanctos viros, fuisse sanctas fœminas, fuisse facta miracula, & hæc quidem per eam fidem, quam habet Papatus, per eandem doctrinam, per eadem sacramenta, tam certum est, vt id nec aduersarij, si maximè velint, negare possint. Quæ igitur, obsecro, ista est tam oculata temeritas, eam religionem, in qua confitendum est ista fuisse omnia, nolle videre! tantam de scripturæ sensu consensionem omnium populorum & gentium floccipendere! tantam authoritatem miraculis inchoatam, spe nutritam, charitate auctam, vetustate firmatam respuere! tam longam Episcoporum, maximè Romanorum, iam inde à D. Petro Apostolorum Principe vsq́ ad præsentem Gregorium* XIII. *contra tot tyrannos & hæreses à* DEO *conseruatam successionem nihili facere! nudæ autem veritatis pollicitationi, quæ sola apud nouatores personat, pertinacissimè adhærescere! Crepabant & olim Euangelium hæretici illi Manichæi, contra quos proximè præcedentia scribit, vrgetq́ S. Augustinus in libro aduersus Epistolam fundamenti Manichæorum. At contra hanc iactantiam pulcherrimè idem eruditissimus & sanctissimus Pater ibidem subiungit: Cum horum nihil apud Manichæos sit, quod me inuitet, & teneat, quomodo de Euangelio non potius Catholicis, quorum religio tot illis tantisq́ nexibus animū meum adstringit, credidero, quàm Manichæis, præter veritatis Euangelicæ pollicitationē nihil istorū habentibus? Sic igitur & hodie cum istorum nihil sit vel apud Lutheranos vel apud Caluinianos, sint autem omnia apud Catholicos (quos isti Pontificios seu Papistas appellitant, perinde ac olim Arriani Catholicos verè quidem, sed per contemptum, homousianos nuncupabant) cur, quæso, de Euangelio & vera fide Catholicis non potius quam vel Lutheranis vel Caluinianis fidem haberemus? Catholicorum. n. certè fundatæ sunt Ecclesiæ per totum mundum; Catholicorum est consensus ille omniū populorum & gentiū; Catholicorū est illa authoritas miraculis, antiquitate, successione quoq́ tam longa tùm Romanorum Pontificum, tùm Archiepiscoporū & Episcoporum aliorum tam solidè constabilita; Catholicorū est deniq́ sanctum & cœleste illud perpetuæ Virginitatis institutum, nusquam nisi apud Catholicos feliciter impleri solitū, quod iā olim quoq́ magnus Athanasius tanquā veræ Ecclesiæ κριτήριον quoddam aduersus Arrianos in Apologetico pro fuga sua haud immeritò adduxit.*

Nec

Nec enim, etiam per summam calumniam, negari potest, vel in hisce Monasterijs, quæ in hoc vno opere describuntur, iam olim fuisse, ac etiamnum esse, præsertim facta nonnullorum eiusmodi Monasteriorum reformatione, plurimos virginalis castimoniæ perquam studiosos, vereq́ obseruantes. Contrà verò Lutherani & Caluiniani sunt, qui Monasteria non vt Catholici iuxta Verbum DEI *reformant & restaurant, sicubi disciplina lapsa videtur, sed vt Arriani sub prætextu Verbi* DEI *deformant & destruunt; qui perpetuæ Virginitatis vota, vt rem absurdam derident; qui Monachis sua eripiunt, quæ ipsi Monachi meliore iure, vtpote ex liberalissimis piorum donationibus profecta, tenuêre, quàm sua ipsi etiam Principes seculares, vti verissimè solitus est dicere ille nunquam satis laudatus Saxoniæ Princeps* GEORGIVS: *qui deniq́ legitima Episcoporum successione, qui miraculorum & vetustatis authoritate, qui Christianorum populorum de Scripturæ sensu consensione manifestò destituuntur, adeoq́, vt cum Optato illo Mileuitano lib. 2. contra Parmenianum loquar, planè sequentes sunt sine antecedente; nisi fortè antecedentes eorum velis Hussum, VVicleffum, Aërium, Vigilantium, Iouinianum, aliosq́ similes damnatissimos hæresiarchas dicere, quorum tamen etiam nulli præcipua omnia vel Lutheri vel Caluini dogmata placuêre. Legant ergò hoc præsens* HVNDII *nostri opus Bauari, legant & alij, & cùm tā præclaras Christianismi in Boiaria origines, tantamq́ religionis eius, quam etiamnum piè vtiliterq́ sequuntur Bauari, antiquitatem, sanctitatem, authoritatem in eo viderint, cùm animaduerterint, tot & tantos Principes, Episcopos, Abbates &c. quos ne ipsi quidem nouatores negare possunt* DEO *gratissimos acceptissimosq́ fuisse, eam prorsus tenuisse fidem, quam adhuc quoq́ hodie tenet Bauaria; hanc potissimùm fidem amplectantur, illudq́ sibi certissimò persuasum habeant, si fenestram nouis hæresibus, imò & ipsi Machometismo, vel etiā Paganismo præcludere volunt, Caluinismū procul pellendum prorsusq́ exterminandū esse; si verò Caluinismū exterminatū volunt, Lutheranismū prius omninò abijciendum, & ad vnā sanctam Romanam Ecclesiam redeundum esse. Si.n. hanc Ecclesiam tot illis prærogatiuis, tamq́ illustribus notis, quas suprà retulimus, elucentē & eminentem, nō Scripturæ nuda verba vrgentē, vt aduersarij faciūt, sed testes insuper expositionis suæ præstantissimos et probatissimos quosq́ Christianitatis Doctores, qui vnq̃ vel vsquam vixerunt, proferentem, impunè aspernari Lutheranis licuit, cur obsecro non multò magis etiam Caluinianis liceat Lutheranismum nudiustertiùs demùm ab excucullato & incesto Luthero exortum, necdum Germaniæ fines egressum, sed nec per omnem Germaniam progressum, imò propter tot sectas, in quas est dissectus, in ipsis originis suæ faucibus iam penè suffocatum, contemnere, conuellere, eaq́ nudare authoritate, quam ipse prius omnibus modis superiori abrogare conatus est religioni Catholicæ seu Pontificiæ? Sed ne iusto longior sit hæc operis huius approbatio, quod sese per seipsum cuiuis æquo lectori satis approbabit, finem facio, obtestorq́ lectorem per* DEVM *& salutem suam, vt quæ in hac qualicunq́ admonitione & in hoc opere legeris, sibi esse salutaria patiatur.*

CATA-

CATALOGVS EPISCOPORVM SALISBVRGENSIVM.

SALISBVRGVM, ROMANORVM OLIM COLONIA ERAT, & Iuuauium inde dicebatur, quòd Romani contra Germanorum incursiones, in faucibus Montium, Arcem ibi munitissimam extrui curauerant, ad quam Milites atque Satellites refugium & iuuamen haberent, vnde & Castrum hoc Germanicè Helffenburg appellabatur: aut quòd fluuius præterfluens Iuuauius, dictus hodie Salza arci & ciuitati ibidem conditæ nomen dedisse à quibusdam putatur.

VIDOMARVS Rex Ostrogothorum, vnà cum Gothis, Herulis, Turogis, & aliis tunc adhuc gẽtilibus Germanorum nationibus, Noricorum incursans prouincias (quod D. Seuerinus ex diuina prædixerat inspiratione, adeoque Iuuauienses ex Pathauia, vbi tunc erat, seriò admonuerat, vt illinc quàm celerrimè aufugerent, & suæ consulerent saluti) Iuuauienses ea negligentes & omnino contemnentes, inopinatos opprimit, capta, direpta, & incensa vrbe, populum captiuum abducit, Pontificem eius loci in crucem agit, amplius L v. cum ipso Symmystas cõtrucidat, & è rupium cauernis, quo fugerant, sicuti adhuc ibidem monstratur, præcipitat: Qui omnes humati esse referuntur in æde D. Amandi, quæ nunc est D. Margaritæ. Hoc autem factum esse, Anno Domini 476. ex Eugippio in historia S. Seuerini, refert Ioann. Auent. lib. 2. Annalium Bauariæ.

S. RVPERTVS I. EPISCOPVS.

EXPVLSIS autem posteà, per Theodonem primum, ac Theodonem secundum, Magnum dictum, Duces Boiorum, ex tota Boiaria Romanis, instauratum est Iuuauium, quod à Salis prouentu Salisburgium, sicut & fluuium alluentem, Iuuarum antea dictum, Salzam, vocârunt. Postquam autem Theodo eius nominis tertius Reginotrudam, Theodoperti Francorum Regis filiam, Vxorem duxit, vtriusque suasu & instinctu D. Rupertum, ex regali familia oriundum, VVormatiæ tunc Episcopum, ad se Ratisponam, vt se ac suos in fide Christiana instrueret, vocauit. Erat Rupertus vir omni virtutum laude cumulatissimus, raræque pietatis & Sanctitatis exemplo maximè cõspicuus, ita vt multos ea, qua florebat apud omnes, morum vitæq; sanctitate pariter & sermonum grauitate ad fidem Christianam conuerteret: Venientem illum vnà cum duodecim sociis, iussu Theodoperti Regis Soceri sui, Theodo benignissimè excepit, eundemq; vnà cum suis Subditis auidissimè audiuit.

PRIMVM igitur, DEI Opt. Max. benignitate aspirante, Dux Theodo cum filio Theodoperto, & aliis Reginoburgij, aqua cœlesti lustratus est; deinde D. Rupertus, accepta licentia, Euangelium Christi in tota prouincia liberè annuntiandi, in Danubio nauibus delatus, Laureacum peruenit; Inde per Noricum Vtinum (nunc Ottingam) perrexit, vbi Vttonem Ducem, posteà Pisonij, quæ ciuitas Germaniæ nunc

Potzn dicta, Dietpoldum Ducem, fratres Theodonis, vnà cum aliis innumerabilibus, sacro lauacro abluit; Hinc Boiorum Apostolus dici meruit. Vtini tum, atque Reginoburgij, in honorem Dei, eiusq; gloriosæ genitricis, iuxta Principū prætoria, templa sunt extructa, & à S. Rudperto dedicata: Vtrumque adhuc vetus Capella appellatur. Post hoc per omnes Boiorum regiones, sacræ ædes passim ædificatæ à S. Ruperto & eius Sociis dedicatę, vt VVelteburgij ad Danubium supra Reginoburgium & aliæ, D. Rudperto petente ac monstrante. Dux Theodo Pōtificiam sedem, primò prope Lacum Valerium, apud Nariscos, vbi Phischam Amnem effundit in pago Atergeum, extruxit, vectigalibus & redditibus dotauit: Sed cùm D. Rudpertus Iuuauium Cathedrali sedi magis idoneum iudicaret, Theodo Dux oppidum illud cum castro superiori, terminis ac finibus suis gratitudinis ergò liberè donauit: Pontificia sede eò translata, duo ibi templa dedicata sunt: Alterum beato Petro, Apostolorum Principi pro viris: Alterum in editiore parte Montis subtus arcem, pro sacratis Virginibus, quod Nunberg vocāt, à Ducibus liberalissimè dotata; Collegio Virginum præfecit S. Rupertus Erntrudim, Sororem suam, quę in monumentis Salisburgensibus aliàs ipsius Neptis vocatur. Theodopertus prædicti Theodonis fundatoris filius dedit Ecclesiæ Salisburgen. villam Titamaningam, circa Annum 582. (testatur Arno Episcopus, qui tēpore Caroli Magni vixit.) Episcopatui & Ecclesiæ S. Petri ipse S. Rupertus pluribus annis sanctissimè atq; vtilissimè præfuit, In numero annorum, tam circa D. Rupertum quàm sequentes Episcopos, vsque ad D. Virgilium, Chronica Salisburgēsia minimè conueniunt: Alij enim D. Rupertum 42. alij 44. alij 64. annis præfuisse ponunt: Hoc constat, ipsum plenum dierum, cùm sacro die Paschæ officium diuinum peregisset, inter precandum Deo spiritum reddidisse, Anno secundùm aliquos 623. sepultum in Ecclesia S. Petri, vnà cum sociis, quorum nomina ponit Ioan. Aueut. in Annalibus libro tertio, vbi plura de hac re: Ibidem etiam Theodo Dux vnà cum vxore dicitur terræ commendatus esse.

2. VITALIS, vnus ex sociis D. Rudperti, eiusq; Successor, quem sibi moriens ille suffecerat, primus Abbas Cœnobij S. Petri, factus est Episcopus Iuuauiensis, Nam legitima sedes Episcopalis diu permansit apud Monasterium S. Petri. Fuit Vitalis homo sanctissimus, qui multis claruit miraculis, & Episcopatui magna cum laude præfuit, per Annos 22. sepultus apud S. Petrùm. Ex huius corde dicunt excreuisse lilium per lapidem Marmoreum tumulo impositum, per quod cordis ipsius puritas, ab omni terrena pollutione libera, proculdubio, fuit significata.

De Successoribus beati Vitalis vsq; ad tempus beati Virgilij, propter Barbariem illius ætatis, & incuriam scriptorum, anni ac tempora non sunt benè distincta: Hi tamen omnes ad S. Petrum ante summum Altare, vel circa sunt sepulti. In Chronicis verò illius Monasterij, legūtur hi quinq; Abbates, Iuuauiēsem rexisse Episcopatū: Ansologus, Sauolus, Ezius, Bertricus, aliàs Flobargisus, & Ammilon.

3. ANSOLOGVS, S. Petri Abbas, electus est Episcopus Iuuauiensium, & præfuit Ecclesiæ 28. annis.

4. SAVOLVS, Abbas S. Petri, posteà Anno 678. factus Episcopus, rexit Ecclesiam annis 14. sepultus est in Templo sancti Petri, imperante Iustiniano, filio Constantini quarti.

5. EZIVS, Abbas S. Petri, Anno Christi 696. creatus Episcopus, præfuit Episcopatui annis 25. sepultus est in Templo sancti Petri, imperante Leone secundo.

6. FLOBARGISVS, Abbas S. Petri, Anno Christi 721. factus Episcopus, præfuit Ecclesiæ annis 43. tempore Gregorij Papæ tertij, & Leonis tertij cum Constantino filio, sepultus ad S. Petrum.

IOAN-

IOANNES, huius nominis primus, Abbas S. Petri, factus est Episcopus, fuit doctrinæ & morum sanctitate insignis, præfuit Ecclesiæ annis 20. aliàs 21. sepultus ad sanctum Petrum. His temporibus ex mandato Zachariæ Pontificis, sanctus Bonifacius, Episcopus Mogũtinen. distribuit Episcopatus, Erimberto, fratri sancti Corbiniani, Ecclesiam Frisingensem, Garibaldo Ratispoẽnsem, Burckhardo Herbipolensem, Bilibaldo Aichstetensem, & Ioanni huic Salisburgensem; qui (scilicet S. Bonifacius) & Fuldense Monasterium fundauit, posteà à Phrisiis Martyrio coronatus. 7.

B. VIRGILIVS, natione Hibernicus, ex Nobili progenie ortus, à Stephano Papa, & Pipino Rege Francorum, ad administrationem Episcopatus Iuuauiensis destinatus est; sed à Rege per duos ferè integros annos, propter eximiam eruditionem & sanctimoniam vitæ retentus est; posteà verò honorificè ad Ottilonem, Boiorum tùm temporis Ducem dimissus, ab eo Episcopatum accepit. Dissimulata autem consecratione, penè duorum annorum spacio, Pontificem secum habuit proprium DOBDAN nomine, Græcum, qui ipsum secutus erat, ex Patria: Is interim ipsius munere fungebatur. Postulantibus deinde subditis, Boiisque Pontificibus consecratus est, Anno Christi 767. 17. Calendas Iulij. Græco autem illi Magistro & Sacerdoti Dobdan tradidit Otilo sedem Chiemensem, vbi aperuit ille Scholam, & Agmina discentium quàm plurima habuit, Anno Christi 767. D. Virgilius fundamenta Templi augustissimi amplitudine admiranda poni curauit: Totum illud Templum intra annos 12. absolutum, & anno 13. dedicatum est in honorem D. Rudperti, in quo sedem Episcopalem constituit. Eodem anno beatus Virgilius ossa D. Rudperti transtulit ab Ecclesia S. Petri, atq; in summo Templo collocauit, vnà cum duobus eius Symmystis, Chunaldo & Gissario. Eo autem tempore, quo Templum D. Virgilius condere cœpit, coniecit pecuniam seu mercedem in peluim, ex qua nemo operariorum plus accipere valuit, quàm quantum labore meruisset. Idem B. Virgilius tempore Tassilonis, Ducis Bauariæ, Carenthanos ad Christi fidem conuertisse scribitur, illisque dedisse Episcopum nomine Modestum à se consecratum in loco Liburnia dicto. 8. *Auent. in Annalibus.*

PRAEFVIT autem beatus Virgilius dignitati Episcopali annis 30. & viuis excessit cum magno suorum mœrore, Anno Christi 784. aliàs 785. quinto Calend. Decembris; tumulatus est in Templo, quod ipse extruxit ante altare.

BERTRICVS, Abbas sancti Petri, Successor D. Virgilij, per vnum duntaxat annum sedit: Hinc per aliquod temporis interuallũ vacauit sedes Episcopalis, vsque ad Arnonem. 9.

ARNO primus à Leone tertio Pontifice Maximo, ad instantiam Episcoporum Boiariæ, & cum consensu Caroli Magni, tum temporis Regis Francorum & Longobardorum, & Patricij Romanorum, factus Archiepiscopus, Pallium impetrauit. De hoc diploma extat, cuius Tenor sequitur: Fuit hic Arno Tassiloni, tertio Boiorum Duci, plurimum acceptus & gratus, & ab ipso in legatione contra Carolum Magnum, tunc Francorum Regem, ad Summum Pontificem missus, at re infecta reuersus: Exacto autem ex Ducatu, per Carolum, Francorum Regem, Thassilone cum Theodone filio, Anno secundùm Annales Patauienses 792. Regi insinuatus, magna apud ipsum valuit authoritate; Annunciauit enim Christum Boiis, Hunnis & Sclauis, quibus etiam Episcopum dedit Theodoricum à se consecratum, Sub eo insuper iussu Caroli Magni celebrata est Synodus Salisburgi, circa annum 806. & septimum super decimis ac redditibus Ecclesiasticis, cui persolui, ac quomodo diuidi debeant; de quo Auentinus eodem libro, folio 356. Idem Archiepiscopus, auxilio Chunonis de Guttrad, Riuulum, Albm 10.

Auct. lib. 4. fol. 181.

dictum duobus meatibus, per Munichberg introduxit ad ciuitatem Salisburgensem. Rexit annis 38. aliàs 36. mortuus Anno Christi 821. 9. Calendas Februarij. Hic quoque numerus non satis quidem conuenire videtur cum eo, quod apud Bertericum Antecessorem annotatum est, post illius nimirum mortem, aliquo temporis interuallo vacâsse Ecclesiam: Atqui propter temporis antiquitatem, & scriptorum penuriam, de annorum numero nō potest penitus exacta ratio reddi, vt etiam suprà dictum est.

Fvit avtem hic Arno maximè pius & deuotus, ita vt in omnibus literis sibi à Summo Pōtifice missis sanctissimus appellaretur, tumulatus est in summo Templo ante Altare D. Mariæ Magdalenæ.

SEQVITVR DIPLOMA LEONIS.

Ita habent exemplaria Saltzburgensia, quæ tamen videntur corrupta ac male congrua: Ego puto ita legendum ubi Brixinensis Attoni Ecclesiæ Frisingensis, Adalwuno Ecclesiæ Reginensis, &c. Autographū ipsum videndum esset, &c.

Dilectissimis nobis Alim Ecclesię Sabiónensis, qui nūc Brixinensis: seu Attoni Ecclesiæ Frisingiæ, ac simul Ecclesiæ Reginensis, nec non VValtrico Ecclesiæ Pataniensis, & Symberto Ecclesiæ Nivvenburgensis, prouinciæ Baioariorum Episcopis, Leo seruus seruorum Dei: Dilectionis vestræ, quas nobis petitorias emisistis syllabas libenti suscepimus animo, in quibus ferebatur, vt in prouincia vestra Baioariorum Archiepiscopum ordinaremus, quo Prouincia ipsa mirificè à filio nostro Domino Carolo, excellentissimo Rege Francorum & Longobardorum, & Patricio Romanorū, penitùs ex omni parte, sicut decuit, ordinata est. Idcirco cōuenit, nos ipsos nępe Ecclesiastico moderamine in sacro ordine fideliter atq; spiritualiter secundùm censurā Canonicam, ipsam ordinare Baioariorum prouinciam: Et quia, Deo auspice, reperientes virum Almificum, & in scripturis diuinis peritissimū, & in omnibus misericordissimum spiritualibus moribus cōprobatum, vnà cum cōsensu & volūtate prædicti filij nostri, Domini Caroli, pręcellētissimi Regis, vobis ordinauimus, secundùm sanctiones Patrum Archiepiscopū, videlicet Arnonem, Ecclesiæ Iuuauiensium, quę & Petena nuncupatur, quæ in honore B. Petri, Principis Apostolorum, venerabiliter est consecrata, ibiq; requiescit corpus sacri Pōtificis Rudperti, vnà cum venerabilibus suis Sodalibus, scilicet Chunaldo & Gisilario, quorum corpora ibidem à fidelibus honorantur; Qui dudum noster fuit Coëpiscopus, nunc aūt frater & Coëpiscopus noster, vester autem Archiepiscopus, & venerabilem sedem eius Metropolitanā habētes, ad quam sancto Arnoni, Archiepiscopo vestro, vsum Pallij tribuentes dedimus in mandatis, vt secūdùm Canonicas institutiones, omnibus Ecclesiis supiùs nominatis, in Diœcesibus illi subiectis, Canonicè valeat adminiculum impartiri, vt in futuro examine ante tribunal Christi liberaliter valeat audire: Euge serue bone & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te cōstituam, intra in gaudium Domini tui: Bene valete. Anno tertio, atq; Domini Caroli, excellentissimi Domini Regis Francorum & Longobardorum, & Patricij Romanorum, à quo cepit Italiam, Anno 25. Indictione sexta. Explicit Bulla, sequitur quædā annorum declaratio, &c. Annus Leonis tertius, ac Caroli Regis 25. &c. fuit Annus 798 à quo etiam Annales Patauienses non discrepant his verbis, Anno 796. Leo Papa sedit, hic Arnonem Iuuauiensem Pallio sublimauit, scilicet tempore sui regiminis, non statim eo ipso anno, quo Leo præfectus est; Catalogus autem Episcoporum iisdem Annalibus annexus aliter habet, nempe quòd Anno 805. Vrolphus Archiepiscopus Laureaci ac Patauiæ sederit vno Anno & Mensib. tribus, & post hūc Vrolphum Archiepiscopum, Arno Iuuauensis Episcopus à Leone Papa cæcato Pallium impetrauit. Auentinus lib. 4. fol. 340. sequitur superiorem numerum, Anni 798. quod ego verius puto, & Annalibus, tanquam vetustiori scripturæ, plus credendum, quàm Catalogo, vt appatet recentiori, præsertim cùm anni diplomatis Leonis tertij cum illo numero conueniant, &c

AMMI.

AMMILONIVS aliâs Ammilon, Abbas S. Petri, secũdus Archiepiscopus Iuuauiensis, vix sesqui Annum præfuit; sepultus ad S. Petrum: His temporibus Hymnus ille: Gloria laus & honor, in die Palmarum, fuit decantatus, regnante Ludouico Pio, Caroli Magni filio. 11.

ADALRAMVS, pietate & doctrina clarissimus, Archidiaconus Ecclesiæ Iuuauiensis, Pallium & consecrationem accepit ab Eugenio Papa, præsente Lothario, filio Caroli Magni, Anno Christi 824. Inter cætera innumera beneficia, quibus rempub. Christianam affecit iste Adalramus, illud quoq; est, quod quemadmodum ante ipsum Arno Theodoricum, ita ille Ottonem Sclauorum, seu Charantanorum constituit Episcopum, remq́ue ita diuinam promouit, præfuit Episcopatui Annis 12. obiit 4. Maij, Anno 836. sepultus in summo Templo in Crypta, retro altare S. Erasmi. 12. Auēt. lib. 4. fol. 397.

LIVPRAMVS, Archiepiscopus venerabilis, Anno salutis 836. accepit Pallium à Gregorio quarto: Huius Anno decimo Templum Diui Rudperti igne periit; Anno 851. Romam profectus, à Leone quarto corpus S. Hermetis impetrauit, quod Iuuauium intulit, & honorificè sepeliuit, obiit Anno 858. cùm rexisset Ecclesiam Annis 22. sepultus est in Crypta retro altare S. Erasmi: Et ab ipso Osualdus Charantanis Episcopus præfectus est. 13.

ADALBINVS, Successor Liuprami, qui ipsum enutrierat, donatus Pallio à Nicolao Pont. Romano, Anno 859. 2. Calend. Octobris; cuius Anno tertio Ludouicus, Filius Lotharij Imperatoris, Rex Romanorum, Iuuauij Festum S. Martini similiter & Paschæ magna solennitate celebrat. Carolomannus, filius Ludouici, Regis Boiorum à Patre, Charino limiti præfectus, Mosburgium Arcem cõstruit, vbi templum hic Adalvvinus dedicauit. Auent. lib. 4. fol. 423. Hic quoq; Adalbinus interfuit Synodo Coloniensi, per Ludouicum Boiorum Regem, congregatę, Anno Domini 871. iux. Auent. lib. 4. fol. 433. 14.

IDEM ADALBINVS corpora Sanctorum, Crispini, Crispiniani, Crisanti, Mauri & Dariæ Virginis, Roma Iuuauium intulit, rexit Ecclesiam Annis 12. mortuus est Anno Christi 872. sepultus in Crypta Chori retro altare S. Erasmi. Sub hoc cessârunt Episcopi Charantanorum, qui sedem Episcopalem non habebant, neque distinctas Parochias; Hinc crebræ dissensiones inter ipsos & Metropolitanũ: Vnde, Episcopo Osualdo defuncto, nullus est substitutus; sed Adalbinus ipsemet suscepit eius gentis curam &c.

ADALBERTVS electus est in Archiepiscopum, Anno 873. honoratus Pallio ab Hadriano, secundo Pontifice, præfuit Annis octo, mortuus est Anno Christi 880. tempore Ioannis octaui, & Caroli secundi, sepultus in Crypta retro altare sancti Erasmi, Pabo quidam à Carinthia per Carolomannum eiectus, consedit Salisburgi. 15.

DIETMARVS, siue Theodomarus, huius nominis primus, factus Archiepiscopus, Anno 881. Sed Auent. lib. 4. fol. 439. hunc à Ludouico Rege Boiorum Argentorarii in demortui Adalvvini locũ Archiepiscopum, declaratum esse ponit nulla Adalberti factā mētione. Hic Theodomarus à Carolomāno Rege Boiariæ & Italię, Carolo fratri adiũctus, cum ipso in Italiam sibi à fratre destinatā profectus est; Ea pòst occupata, à Ioanne octauo Summo Pont. Carolus ille Romanorum Imperator declaratur, Anno 879. dictus Carolus Crassus, Auēt. lib. 4. fol. 448. Hic Theodomarus ossa S. Vincentij Iuuauium apportauit, Auent. ibidem. 16.

FVIT HIC Theodomarus Archiepiscopus Ludouico Regi Rom. post obitum Patris Arnulphi Imperatoris, adhuc septenni in Magistrum Epistolarum, hoc est, vt nunc vocant, in Cancellarium constitutus, Anno Domini 900. secundùm Auentin.

tin. lib. 4. fol. 475. Interfuit expeditioni contra Vngaros per Ludouicum Regem susceptę, Anno 907. (Auent. fol. 480.) vnà cum Othone Frisingensi, & Zacharia Brixinensi, Episcopis, quos quidam ibi cæsos ac sepultos scribunt, cuius Auentinus nō meminit; Rexit verò hic Theodomarus, secundùm aliquos, annis 18.

17. PILGRINVS, huius nominis primus, electus Archiepiscopus est, sub Stephano Papa, regnante Carolo tertio, præfuit annis 16. obiit Anno 915. aliàs 916. sepultus est in Crypta retro altare sancti Erasmi. Ita habet Chronica Saltzburgen. sed numerus annorum, cum Papa Stephano, siue quinto, siue sexto, & cum Carolo tertio malè conuenit.

18. LVDEPERTVS, factus Archiepiscopus sub Sergio tertio, Pont. Summo, & Ludouico tertio, Anno 915. præfuit annis 10. sepultus est in Crypta retro altare sancti Erasmi. Numerus annorum non omnino conuenit, neque cum Sergio Pontifice, qui Anno 913. vel 914. obierat, neque cum Ludouico tertio, qui Anno 911. secundùm alios 913. obierat.

19. VDELBERTVS, electus est Archiepiscopus sub Ioanne decimo, Pont. Max. & Heinrico Aucupe Imperat: Anno 925. Eodem anno idem Vdelbertus electus est Episcopus Augustanus, præfuit annis 9. Hunc Auentinus lib. 4. fol. 487. Hyldebertum vocat, atque interfuisse Conuentui Dingelfingij, per Arnoldum Ducem Bauariæ habito, commemorat.

20. EGLOLFVS, factus Archiepiscopus, tempore Leonis septimi, Imperatore Heinrico, Duce Saxonum, Anno 937. præfuit annis 6. sepultus est infra Chorum in Crypta. Extat ad hunc Egilolphum ac cæteros Bauariæ Episcopos Epistola Leonis septimi Sum. Pont. qua iubet, eos Gerardo Laureacensi Archiepiscopo, tanquam ipsorum Metropolitano obedientes esse. Cuius meminit Auent. lib. 4. fol. 490. &c. vide apud Gerardum, &c.

21. HEROLFVS, Comes de Scheurn, factus Archiepiscopus, Anno 943. imperante Ottone primo, filio Heinrici Aucupis; per hunc Præsulem corpus sancti Martini Iuuauium deuenit hac occasione: Otto Imperator in Hispaniam cum magno apparatu profectus, Turonorum ciuitatem hospitij gratia ingressus, per aliquot dies ibi commoratus, corpus beati Martini auro & argento latenter comparauit; corruptis enim custodibus, iisq; datis, quæ pepigit, recepit Sancti corpus, idque furtim in Patriam festinus deportauit, & Herolfo, cui maximè fidebat, asseruandum commendauit, donec reposceret; Episcopus lætus accipit, Iuuauium transfert, & Cryptam, in quam illud abscondit, nomini eius consecrat: modico pòst tempore Episcopus vocatus ab Ottone, & de deposito interpellatus, respōdit, se illud in locum abscondisse, vnde amoueri non possit; Otto irascitur; Episcopus aufugit, tunc Heinricus Dux, frater Imperatoris, illum per quinque milites, qui & ipsi inimici Episcopi erant, captum excæcauit prope Muldorf: Ipse Dux eodem anno moritur, sic neque ille corpus sancti Martini reddidit, neque Imperator recuperauit. Iste Herolfus ab officio remotus est in Concilio Rauennæ, à Pont. Iohanne duodecimo, ob temerariam insolentiam celebrandi rem diuinam, & vtendi pallio post excæcationem; præterea quòd prædia Ecclesiæ abalienauerat, & Ecclesiæ Thesauros paganis tribuerat. Hoc factum est præsente Ottone & 59. Pontificibus. Præfuit hic Herolfus annis 19. sepultus retro altare sancti Erasmi in Crypta. Auentinus in Annalibus longè aliter lib. 5. fol. 499. scribit, nempe quòd ob pallij litem cum Patauiensi ab Imperatore perfidè desciuerit, contra legem Salicam, Vngaros in Imperatorem concitârit, ideoque à Summo Pont. Agapeto excommunicatus, deinde captus & excæcatus sit: Leo enim septimus Summus Pontifex, Gerardo Patauiensi Episcopo Pallium concesserat, cui cùm Egololphus at-

que Herolphus hic, Salisburgen. Episcopi, sese opponerent, Agapitus secundus concordat ac dirimit hanc contentionem, separando prouincias Noricę regionis, ita vt vterque in sua prouincia esset Archiepiscopus, iuxta diploma eiusdem Agapiti, quod Patauiæ extat, & apud Lazium de Repub. Roman. libro 12. fol. 1256. cuius Auentinus quoq; meminit lib. 5. fol. 495. Annaliū. Benedictus quintus postea Fridericum, successorem Herolphi, rursum Archiepiscopum; Econtra Benedictus sextus Piligrinum Patauien. Archiepiscopum declarat, & à Salisburgensi Imperio soluit: extant de hac re diplomata, quorum etiam Auent. meminit lib. 4. fol. 490. ac lib. 5. fol. 502, licet longè diuersis verbis, &c.

FRIDERICVS huius nominis primus ex familia Comitum in Chiemgevv, factus Archiepiscopus Anno Christi 956. Iste consecrauit S. VVolffgangum in Episcopum Ratisponensem. Otto Magnus seu primus, Imperator, dedit huic Episcopo, cuius Frater Comes erat Sighardus, &c. & Ecclesiæ Salisburgensi, propter amorem Dei, Villam Grabmstat, sitam in Kiemgevv, in Comitatu seu Ditione trium Comitum, nomine Odoacri, Sighardi, & VVilhelmi, cum pertinentiis; Item Ecclesiam S. Ioannis, & omnem decimam in Müesenpach, cum aliis: Datum huius donationis Romæ Anno 958. Præfuit Annis 33. sepultus in Sacello S. Gregorij, aliàs ante S. Andreæ Altare. Otto Imperator Anno 963. cum magna solemnitate Salisburgę pascha celebrauit. Titus Prępositus S. Ruperti, fit Monachus, & eodem Anno Abbas S. Petri. 22.

HARTVVICVS Comes à Spanheim & Artenburg, aliàs Lauental, electus est Archiepiscopus, 6. Idus Nouembris, Anno 990. claruit multis miraculis, & habetur pro Sancto. De eo ferunt, quòd, cùm in Plüenbach pergens, ramum aridum, casu de arbore carpsisset, statim in eius manu floruerit, vnde adhuc loco nomen Plüenbach superest. Sepeliit idem Diuum VVolffgangum apud S. Emeranum Ratisponæ: Idem S. Martinū titulo doctus inuenit, eumq; D. Ruperto in vrna argentea auro vestita coniunxit. Rexit Annis 32. mortuus est Anno 1023. sepultus in Sacello D. Gregorij. 23.

NVNNBERG, Monasterium Monialium, Imperator Heinricus sanctus eiusque coniunx S. Chunegundis reficiunt, ac in eum locum, in quo nunc est, quasi de nouo construunt, ac fundant, quod priùs erat inferiùs in Cella Presbyterorum.

GVNTHERVS, diui Heinrici Cæsaris Cancellarius, electus est Archiepiscopus sub Benedicto Nono, fortè 8. Nam Benedictus nonus Anno 1033. secundum Iohan. Lucidū in libro de emendatione temporū factus est Pont. Max. præfuit laudabiliter Annis quatuor, sepultus in Crypta retro Altare S. Erasmi. 24.

DIETMARVS secundus, electus Archiepiscopus sub Conrado, secundo Imperatore, Anno 1027. præfuit optimè Annis 16. sepultus in Sacello S. Gregorij prope D. Hartuuicum, &c. 25. Auent. lib. 5. fol. 511.

VVALDVVINVS à Diethmaro educatus, factus Archiepiscopus sub Heinrico tertio Anno 1042. præfuit Annis 20. sepultus est in Cripta retro Altare S. Erasmi. Auent, fol. 545. Baldingum vocat, & 518 Baldouinum. 26.

GEBHARDVS, natus ex Nobili familia Sueuorum Comitum de Helffenstein, secundùm aliquos, Patre Chadoldo, Matre Azala, Anno 1061. factus Archiepiscopus, per Heinricum 4. cuius scriba fuit (teste Auent. fo. 545.) sub Alexandro secundo Summo Pontifice. Idem Anno 1073. 2. Maij, Gurcensem dedicauit ædem, in Charinthia, vbi antea erat Cœnobiū sanctarum virginum, & constituens in ea sedem Episcopalem, Guntherum Episcopum ordinauit. Genealogia istorum Comi- 27.

rum scripta, quam vidi, habet Patrem VVernherum, Matrem Attalam de Styra,

Auent. lib. 5. f. 4. ANNO 1075. ob reuerentiam Deiparæ Virginis, D. Blasij Cœnobium Admontense in Styria fundauit, auspiciis Hemmæ, quæ Vxor fuit Comitis VVilhelmi in Friesach & Zeltschach, in vulgari Chronica Salisburgensi Hemma nominatur, Comitissa in Friesach. Iohan. Auent. autem in sua vulgari translatione ponit, Hemmam natam fuisse ex Comitibus de Katzenhouen & Abensperg, ipsamq; in Gurch instituisse Cœnobium Monialium, & ibidem sepultam esse. Chronica seu fundatio Admontren. Monasterij habet fundationem Anno 1074 factam, eodemq; anno dedicatam, ordinationis seu Pontificatus sui Anno 15. Gebhardus hic Admuntensi Monasterio Arnoldum quendam Monachum S. Petri præfecit, construxit quoque idem Gebhardus tres munitas Arces, vnam Iuuauij, aliam in VVerffen, tertiam in Frisiaco oppido Charentaniæ.

SVB huius Regimine, Heinricus quartus Cæsar excõmunicatus fuit à Gregorio septimo, à quo Pontifice Gebhardus propter fidem, quam illi tanquam vero Romano Pontifici seruârat, remuneratus est iure & titulo legationis super omnes Ecclesias Regni Theutonici, vt diceretur Legatus natus, qui posteà ad omnes successores hæreditario quodam iure deuolutus est. Fuerunt tum temporis maximi motus in Germania & turbulentissima tẽpora, ꝑpter schisma, inter Regnũ & Sacerdotiũ, Ita vt ob cęteris potentiã in toto regno Germaniæ, Põtificię partis vix quinq; Episcopi, iste nimirũ Gebhardus, Altmannus Patauiensis, Adelbero Herbipolensis, Hermannus Metensis & Meginhardus Frisingensis, reperti sint. Pulsus deinde Gebhardus in exilium est ab Heinrico Imperatore, & partim in Saxonia, partim in Suecia delituit; Interim magna Hungariæ pars, quæ ad Episcopatum Iuuauiensem pertinebat, est abalienata vsq; in hodiernum diem; Nam antea fines diœcesis Salisburgensis erant, vbi Drauus influit Sauum.

Auent. fol. 585. HEINRICVS Imperator Berchtoldum suæ partis Socium Episcopum constituit, qui putatur fuisse Comes de Mosburg, Frater nobilissimi Comitis Conradi, vt habet vita S. Conradi, Archiepiscopi Salisburgen. 29. quæ extat in Monasterio Raitenhaslach, in libro sepulturarum. Idem Iohan. Auent. lib. 5. Annalium fol. 582. dicit, hunc Berchtoldum fratrem fuisse Burkhardi, Comitis Mosburgen. Hic Berchtoldus Thesaurum Ecclesiæ ingentem dissipauerat, donec post Annos nouem Gebhardus in antiquam possessionem est restitutus, Soror huius Gebhardi Diethpurgis cum suo Marito Bernhardo Comite de Plain fundauit Monasterium Canonicorum regularium in Reihensperg, quo etiam tempore instituti sunt Monachi in Melico & in Gotvvich.

SVB id tempus diploma diuulgatum est, Archiepiscopum Iuuauensem ius habere creandi Episcopum Gurcensem, creatumque Episcopum regalia à Iuuauensi accipere oportere. Anno 1090. ipse Gebhardus transegit vitam in Arce VVerffen, quam cõdidit, postquam rexisset Ecclesiam Annis 29. mortuus ibidem Anno 1091. sepultus in Monasterio Admontensi. Liber antiquissimus Admuntensis habet eum obiisse Anno 1088. Trãsactis ab ordinatione sua Annis 27. Mensib. 10. 17. Calen. Iulij translatum in Monasteriũ suum Admuntense, hunc à Sancto Ruperto fuisse 26. ab Arnone primo eiusdem sedis Archiepiscopo 16. de eo vide etiam Auent. fol. 584.

28. THIEMO, seu Diethmarus, ex Nobili Boiorum sanguine prognatus, prima ætate in inferiori Altach operam literis dedit, posteà educatus in Hirschaugiensi Monasterio factus est Abbas S. Petri Iuuauiæ.

HVNC Thiemonem cognatum suum Conradus Comes Medlingensis in Bauaria, iam antea contra Berchtoldum conatus est Episcopum Salisburgensem facere; Verùm iuxta Saldorff in Norico, agroq; Salisburgensi Berchtoldus Thiemonis co-

stis copias fudit, & Conradū Comitem illum Medlingensem aduocatum Iuuauensium vnà cum fratre, pluribusque aliis, occidit. Diethmarus vel Thiemo captus à Starkhando & Verigando fratribus, atque à Poppone, Charionum Præfectis in vincula coniicitur (Auentinus fol. 588.) qui demum, post mortem Gebhardi, ad Archiepiscopatum postulatus & confirmatus est ab Vrbano secundo Pont. Romano, à quo & Pallium accepit. Iste Thiemo Sacellum rotundum in porta Templi Nunnbergensis consecrauit, deinde profectus cum multis aliis Comitibus & Viris nobilibus, ad recuperandam terram sanctam, quorum numerus ferè sexcentorum millium fuit, captus à Turcis, ac post omnium membrorum truncationem, viso corde proprio, apud Cotozaim Martyrio coronatus est Anno 1101. *Thiemo Martyr.*

CONRADVS Baro de Abensperg, eligitur Episcopus Anno 1106. Eodem Anno 12. Kalend. Nouembris confirmatur à Pont. Romano, Paschali 2. & Pallio honoratur, communem vitam Canonicorum regularium S. Augustini Iuuauiæ instituit, quorum erant numero 24. à qua hoc nostro seculo, operâ Matthæi Langi, eiusdem Ecclesiæ Archiepiscopi & Cardinalis, soluti sunt Canonici, quàm benè notat alibi Abbas Trithemius in Historia Hyrsaugiē. Monasterij, sub Abbate Sigero 7. circa finem fol. 46.

FVIT hîc Conradus, Nepos Comitis Babonis de Abensperg, qui triginta duos filios legitimè natos & filias octo ex duabus Vxoribus suscepit, quos ad Heinricum sanctum deduxit in Comitiis Ratisponensibus. Exhæredatus ille Conradus à suis fratribus confugit in Aulam Heinrici quinti, à quo clementer acceptus, Iuuauensem ab eo Ecclesiam gubernandam accepit. Auent. lib. 5. fol. 593. hoc Heinrico 4. tribuit. Sed, quia tandem contra Cæsarem cum Pontifice sentiebat, pulsus fugit in Italiā. De pietate & Zelo huius Conradi erga sedem Romanam, pro qua mortem minanti etiā iugulum lubens præbuit, scribit Otto Frisingensis Episcopus lib. 7. cap. 14. Consecratus per Paschalem 2. S. Pont. post mortem Heinrici quarti (Auent. lib. 6 folio 610.) Fundauit iste Conradus Anno 1121. Monasterium, sanctarum Virginum ad D. Rupertum, quod deinceps Burckhardus Cardinalis, Archiepiscopus Salisburgensis, voluntate Pontificis pij secundi, Anno 1462. mutauit, & ibi duodecim Presbyteros constituit. Fundauit idem Monasterium Raitenhaslach. Is quoque Chiminum Templum, olim à Thessalone 2. Regulo Boiorum, D. Benedicto conditum, ab Vgris in egestatem redactum, Mystis Augustinianis; It idem Mystis eiusdem ordinis iuxta eundem tractum proxime Reichenhall D. Zenonis ædem tradidit, & Lonsonem primum Præpositum ordinauit. Sub eiusdem Episcopatu Anno 1119. primus Iuuauensis Ecclesiæ Præpositus, Hermannus moritur, succedit Gebno, quo Anno 1130. defuncto, substituitur Hugo in Præpositura, Anno 1143. Seccau Cœnobium Canonicorū Regulariū construitur. Hic Conradus Gurcensi Episcopatui suam Diœcesim atq; illius terminos dedit. Rexit Ecclesiam Conradus Annis 42. moritur Anno 1147. senex ac plenus dierum, Vir sanctus ac pius, sepultus est ante Altare D. Erntrudis. Construxit & hic Conradus Xenodochium in Friesach, bonis ac redditibus dotauit, vt habet liber traditionum ac diplomatum Monasterij Admunten. sine Anno, nisi fortè sit sequens Conradus, de quo dubito. *Auent. lib. 6. fol. 611.*

EBERHARDVS, natus ex nobili familia Comitum de Hilpoltstein in Franconia, primò fuit Canonicus Bambergæ, vbi operam dedit Philosophiæ; postea factus Monachus in Prüfening prope Ratisponam: Deinde creatus est Abbas Monasterij Biburgensis, quod Monast. illius fratres auspiciis D. Ottonis, Episcopi Bambergensis instituerant; tandem verò interuentu Gotfridi, Abbatis Admontensis, Archiepiscopus est electus, sub Conrado 3. Rege Romanorum; & ab

Eugenio

Eugenio tertio Pontifice Maximo, pallio donatus est Anno 1147. fuit beneficus & amaror pauperum, præfuit Annis 18. mortuus apud Rein vel Ramam Cœnobium Anno 1164. Sed cũ debita pompa Iuuauium deportatus, & in summo Templo ante Altare omnium Sanctorum sub Angelo tumulatus: ad cuius sepulchrum, multa sunt facta diuinitus miracula. Pro illius ergo Canonizatione, Burckhardus de VVeispriach, Cardinalis & Archiepiscopus, adeò multum laborauit, vt omnia testium sufficientium examina in Consistorio Romæ sint producta; Sed morte præuento eodem Burckhardo, Anno Domini 1464. res mansit inexpedita. Hic Eberhardus in schismate, inter Alexandrum & Victorem electus est, vnâ cum Hartmanno Sabronensi, seu Brixinensi Episcopo. Soli hi duo Boiorum Episcopi partes Alexandri fouerunt, Auent. lib. 6. fol. 637. De hoc schismate & literis ad hunc Archiepiscopum per Fridericum 1. Imperatorem & alios scriptis, & cur ad Synodum Papiensem non venerit latè Radeuicus continuator Othonis Frisingensis libro 1. de gestis Friderici circa finem.

Auent. lib. 6 fol. 644.

31. CONRADVS secundus huius nominis, Episcopus Patauiensis ex generosa stirpe natus, Patre S. Leopoldo, Marchione Austriæ, Matre Agnete, filia Heinrici quarti Imperatoris, fuit frater vterinus Conradi Regis Romanorum, Friderici verò Cæsaris patruus, Sororius autem Heinrici quinti Imperatoris, ac præfuit Ecclesiæ Patauiensi Annis 16. posteà Anno 1164. tertio Calend. Iulij, Archiepiscopus Iuuauiensis factus, & ab Alexandro tertio pallio donatus. Fuit Vir doctus, probitate vitæ, & rerum cognitione clarissimus, & fratri suo Ottoni, Episcopo Frisingensi, Historico insigni non dissimilis. Præfuit Archiepiscopatui Annis ferè V. mortuus Anno 1168. sepultus ante Altare S. Andreæ. Sub eodem, Anno 1167. Ecclesia Iuuauiensis cum tota ferme ciuitate, igne periit. Eadem calamitate Ratisponenses ac Frisingenses ciuitates perierunt, vt Otto Episcopus in vita Friderici primi refert. Othakher Marchio Styriæ, Eberhardus de Burckhausen, Sifridus de Libenoue, Luitholdus de Plain Comites obierunt, Liebenau Co. cessit Ecclesiæ Salisburgensi.

IMPERATOR Fridericus primus, curiam in Lauffen, seu Saltzburghouen habuit, Anno 1167. Ibi Ecclesiam Iuuauiensem distrahit.

32. ADALBERTVS huius nominis secundus, filius Ladislai Regis Bohemorum, & Gertrudis Sororis Conradi sui præcessoris, electus est Archiepiscopus Anno 1168. ab Alexandro tertio Pont. Romano pallio donatus. Hic cùm inter se discordarent Pont. Max. & Fridericus Imperator, à Friderico, quòd eius sententiæ subscribere nollet, ex Episcopatu pulsus, ciuitatem Hallensem exussit, & Arcem Halmburg contra Imperatoris vim ædificauit. Auent. folio 645. aliam causam suæ depositionis ponit, nempe quòd ab Vlrico Patriarcha Aquileien. contempto Moguntino consecratus fuerit. Rursum folio 646. narrat aliam causam, nempe quòd in Vngaria à supposititio Legato insigne Archimystæ acceperat, &c. Eo exacto, Præpositus in Berchtersgaden, Heinricus administrauit Episcopatum, posteà Venetiis Fridericus Imperator præfecit Conradum Comitem de VVittlspach, Episcopum Moguntinensem Cardinalem, qui Templi Iuuauien. conflagrati noua fundamenta iecit, hoc Elogio, Quarto decimo Calend. Martij Imper. Friderico Augusto & Heinrico eius filio Cæsare, Ottone de VVittlspach, inclito Boiorũ Duce, &c. Depositus est per Fridericũ 1. eò quòd nollet iurare, super decreto Principũ, quòd sine consensu Romani Imperatoris nullus Pontifex eligeretur, vel reciperetur, Auẽt ibi. fol. 643. Vide eundẽ, fol. 654. vbi de graui eius cõtentione, cũ Hermanno, Comite Ortẽburgen. electo Gurcensi, quẽ in Arce Strasburg

burg obſedit, ad deditionē & abdicationem Gurcenſis Epiſcopatus, ad quē fine ſuo conſenſu electus erat, coegit; factus eſt autem hic Otto, Dux Bauariæ, beneficio Friderici Imperatoris primi, exacto Heinrico, Duce Boiorū & Saxoniæ potentiſſimo, Anno 1181. Sed tandem vtroq; inrruſo, cedente, conſentiente & Pontifice, & Imperatore, reſtitutus eſt Adalbertus.

Anno 1171. Vitalis, Virgilius, Hartvvicus, Pontifices Iuuauien. & Pilegrinus Patauienſis, multis miraculis clarent. Hic Adalbertus deinde à ſuis capitur, ad fluuiū Lamer, & per 14. dies in Arce VVerfen detinetur: cuius rei indignitate factum eſt, vt res diuina, tam Iuuauij, quàm in aliis vicinis Epiſcopatibus non perageretur; Eò dimiſſo cantatum eſt ſolenniter, Liberâſti nos de afflictione, Anno 1197. Domina Eliſaberha de VValchen, vnâ cum Marito ſuo, Vlrico de Freuntſperg, renunciârunt in manus Conradi Epiſcopi omni iuri, quod prętendebant in prędio, vulgo, dem vrbar Weittering/ꝛc. Rexit poſt reſtitutionem Annis 26. obiit Anno 1200. ſepultus eſt coram Altari S. Andreæ.

Forte hic eſt ſuperior Conradus de VVirlſpach, intruſus per Fridericum I. ſed Annus 1197. non quadrat. Reperio hunc Conradum, Archiepiſcopum Salisburgen. in diplomate Frideri. I. quod Adalberro Epiſcopo Friſingenſi dedit, ſuper foro Veringen & ponte ibidem, de Anno 1180. cuius tenorem inuenies ſub illo Epiſcopo Adalberro.

EBERHARDVS à Truchſen/ſecundus huius nominis Epiſcopus Brixienſis, fit Archiepiſcopus Anno 1200. Berchtoldus Præpoſitus, ab illo Romam ad Summum Pontificem pro Pallio mittitur, qui re infecta Romæ moritur, cui Bernhardus Præpoſitus Berchteſgadenſis ſucceſſit: ſubſecutus eſt ipſe Eberhardus, & multo labore Pallium accepit ab Innocentio tertio; inſtituit idem tria Epiſcopia, Chiemenſe, Lauentinenſe & Seccouienſe, vt poſteà dicetur.

Eodem tempore inimicitiæ exortæ fuerant, inter Ludouicum, Bauariæ Ducem, & Conradum Epiſcopum Ratiſponenſem, cui Eberhardus, ob clientelam & Parochiam Vtinenſem cum Duce litigans, fuit confœderatus; ſecutum eſt bellum inter ipſos, in quo multæ Arces dirutæ, tota Bauaria ferro, flammiſque plurimum vaſtata, reliquię Sanctorum abreptæ, & alia facinora inaudita ſunt perpetrata: Poſteà Ludouicus Dux, & Epiſcopi reconciliati ſunt Anno 1226.

Svb hoc tempore S. Kunigundis, Imperatrix miraculis coruſcans, ab Innocentio Pontifice canonizatur Bambergæ, inter multos alios Epiſcopos adfuit etiam hic Eberhardus.

Hoc quoq; tempore, quinto Idus Auguſti, Bernhardus Præpoſitus reſignat Eberhardo Archiepiſcopo Prælaturam apud Raſtat; Et deinde Idus Septembris obiit, ſuccedit Albertus Chiemenſis Præpoſitus, reuerſo Eberhardo Ratiſpona 8. Idus Nouembris Iuuauia concremata eſt. Huic Eberhardo Heinricus, olim Comes in Matray, tunc verò in Kaſmundt, tradidit Arcem Matray cum omnibus pertinentiis, quę ab Eccleſia Salisburgenſi in feudum tenebat. Confirmat Philippus Romanorum Rex Anno 1207, Berchtoldus, Comes de Graiſpach, poſteà litem mouit in Camera Heinrici Romanorum Regis Nurnbergæ, putans ad ipſum hæreditario iure pertinere Comitatum; ſed abſolutus eſt Epiſcopus ab impetitione iſta per ſententiam Anno 1224.

Anno 1212. Albertus ob debilitatem reſignat Præpoſituram; cui Otto ſuccedit. Hic poſteà in Epiſcopum Gurcenſem eligitur Anno 1214. Ab Eberhardo Archiepiſcopo inſtituitur Epiſcopatus Chiemenſis, ſub Innocentio Papa tertio, & Rudigerus de Radeck fit primus Epiſcopus. Auent. fol. 660.

Synodus ab Eberhardo celebrata fuit, cui interfuerunt Frisingensis, Pataviensis, Gurcensis & Chiemensis, Episcopi; Ratisponensis propter seditionem suæ ciuitatis interesse non poterat, ac misit suo loco Præpositum, Decanum & Scholasticum; in eo omnes Prælati a lijs absentes totius prouinciæ ab Archiepiscopo Iuuauensi sunt excommunicati, quam excommunicationem Honorius tertius Pontifex Romanus confirmauit.

Anno 1217. Rex Hungariæ, item Bauariæ, Austriæ ac Morauiæ Duces, & Episcopus Salisburgen. coniunctis copiis, Palæstinam petiêre; profectus est vnà Albertus, Præpositus Salisburgensis, & Fridericus, Præpositus Berchtesgadensis, qui duo cum multis aliis perierunt in Nilo, cùm exundantis naturam ignorarent; Alberto Præposito succedit alter Albertus, eiusdem Ecclesiæ Custos & Canonicus.

Comes item de Plain Leutoldus, oppignoratis suis quibusdam prædiis, vnà militatum iuit, qui percussus sagitta oculum amisit, & inter redeundum obiit Taruisij: Ossa eius ab Eberhardo Iuuauense & Rudigero Chiemense, Episcopis in Hegelvverdt, sepulta sunt, à quibus etiam eadem die Monasterium consecratum est.

Cripta & Ara S. Iohannis à primo Seccouien. Episcopo Carolo consecrata; capella & alia reads S. Hartvvicum à primo Episcopo Chiemense Rudigero dedicata 7. Idus Septembris.

Ludovicus Dux cœpit ædificare munitionem Hallis in Monte, quod Grutte dicitur, quæ ab Eberhardo Episcopo, specie pacis, destructa est; hâc ob causam quicquid in Hall reddituum habuit, Aitachensibus vendidit.

Anno 1219. Eberhardus instituit Episcopatum Secouiensem, cōsentiente Honorio Pontifice, cui Carolus Præpositus Fricsiacensis præficitur.

Heinricus Gurcensis Episcopus obiit, cui succedit Vdalscalcus, eiusdem fani Sacerdos.

Anno 1221. corpora Modesti & Viti, Sanctorū, quæ in æde S. Andreæ in Lauent miraculis claruêre, Eberhardo Archiepiscopo, Carolo Seccouiensi, & Rudigero Chiemense, Episcopis præsentibus, Iuuauiam aucta sunt, cum magna solennitate & frequentia populi.

Eodem tempore idem Eberhardus instituit Episcopum apud S. Andream in Lauent, cui præfecit Vlricum Plebanum in Haus, qui posteà Straubingæ, in nuptiis Ottonis, Ducis Bauariæ, præsentibus multis Principibus, ab Eberhardo Archiepiscopo consecratur, Anno 1223. in quo numero variant Chronographi. Electus Brixiensis Episcopus, in festo Palmarum, Venetiis ab Eberhardo Archiepiscopo cōsecratur, præsentibus Magdeburgen. Archiepiscopo, & Duce Austriæ, qui ad occurrendum Imperatori Italiam intrauerant.

Anno 1226. Vxor Heinrici Regis Rom. filij Friderici Imperatoris Aquisgrani, dum multi Principes aderant, coronatur; adfuit & Eberhardus, qui in reditu Agrippinæ donatus est sacris reliquiis Virginum sanctarum, quæ S. Vrsulam secutæ sunt.

Heinricus Comes de Mittersil, & Leutoldus Comes de Plain, vterq; Comitatum suum, à Ludouico Duce Bauariæ in beneficium seu feudum habebant; post obitum amborum, sine masculis hæredibus, Ludouicus Dux prætendebat Comitatus illos ad se deuolutos; at commutatione facta cum Eberhardo Archiepiscopo cessit suo iuri, accipiens bona ac fundos Ecclesiæ in Altenburg, Anno 1228.

Anno 1230. S. Pontifex & Imperator in gratiā redeunt arbitris Principibus Germaniæ, Patriarcha Aquilegiensi, Pontificibus Salisburgensi & Ratisponensi, Austriæ, Meraniæ & Carenthaniæ Ducibus, & quibusdam aliis: Imperator à Pontifice Romano ab excommunicatione absoluitur, & hospitio excipitur; Eberhardus reuersus, consentiente Pontifice maximo, Præpositum Iuuauensem; Abbates, S. Petri &

tri & Admontensem mitrâ Pontificali in die festo Paschæ insigniuit, Anno 1231. Carolus primus Episcopus Secouiensis obiit, pariter Vdalscalcus, Episcopus Gurcensis.

Simon Abbas S. Petri ob debilitatem cessit; succedit Berchtoldus Abbas Admontensis.

Anno 1232. Eberhardus Archiepiscopus, ab Imperatore reuersus, Conradum Frisingensem & Heinricum Secouiensem electos, apud Frisiacum in festo Pentecostes consecrauit. Eodem Anno 4. Idus Iunij D. Vergilius à Gregorio nono in Catalogum Diuorum refertur seu canonizatur.

Circa id tempus, Otto, Bauariæ Dux, curiam Ratisponæ indixit; sed ob indignationem Principum & Regis Landishutæ celebrauit; cui etiam interfuit Eberhardus Archiepiscopus: posteà magno exercitu Rex Bauariam intrauit expugnatum Ducem; sed arbitto Episcopo Eberhardo in gratiam eum recepit, accepto obside, Ludouico filio Ducis puerulo: Deinde Dux habuit Conuentum Ratisponæ, cui Eberhardus & omnes Bauariæ Episcopi interfuêre.

Anno 1236. Dux Austriæ Consilio Iudæorum Austriam clausit: Ita neq; aqua, neq; terra quicquam in Noricum vehi poterat; neque tamen Iuuauiæ frumentum deficiebat, quod ex Sueuia; neq; vinum, quod ex Francia aduehebatur. Anno eodem Eberhardus hic statuit; vt pro more veteri Præpositus illi ad læuam assisteret proximus, &c.

Anno 1237, Eberhardus Ecclesiam Brixiensem dedicauit, & ossa S. Hartmanni in vrnam condidit.

Anno 1238. Eberhardus & Dux Bauariæ Consilium inierunt pro pace reformanda, quod Strubingæ indixête; sed ob dissensionem Sacerdotum & Laicorum nihil perfecêre.

Eodem Anno, Imperator Fridericus Taruisij hyemauit, quo discedente, violata fide, ciues Eberhardum omni sua suppellectile spoliauerunt. Auent. lib. 7. fol. 672. dicit, hoc a Venetis factum in agro Taruisiano. Et Imperator totâ æstate multis copiis Mediolanenses & Bononienses vastauit.

Anno Domini 1242. obiit Chuno, Præpositus Salisburgensis; itidem Berchtoldus Abbas S. Petri, pro quibus electi sunt, Otto Canonicus eiusdem Ecclesiæ in Præpositum, & Richerus Prior in Abbatem.

Eodem Anno, Eberhardus Monasterium Salmsvveil, post obitum Gunthrami de Andelzreüt, primi fundatoris, petentibus Monachis, in quodam Concilio pro se & successoribus, in protectionē recepit, dans illi Monasterio partes in Salina in Hall, & faciens illos Monachos fratres Capituli Salisburgensis, &c. Dux Bauariæ, præsentibus Eberhardo Archiepiscopo, & aliis Principibus, curiā Ratisponæ celebrauit, vbi pro reformatione status, nec non contra Albertum Bohemum, Legatum Apostolicum pro Friderico 2. Imper. aliqua sunt constituta ac edita.

Anno 1243. Eberhardus contulit Capitulo Salisburgensi duas Ecclesias Parochiales, videlicet Gastunam & Talgeu.

Praefuit iste Eberhardus, Pater pauperum dictus, magna cum laude, Annis 45. Hic emit Anno 1246. ab Hermanno, Comite de Ortenberg, Carinthio, aliqua prædia sita in Lessach, quæ posteà dedit ad Monasterium Raitenhaslach, vt ibidem in Registratura habetur, licet erroneo Annorum numero. Eodem hoc Anno 1246. quarto Nonas Decembris, obiit hic Eberhardus, sepultus in summo Templo prope S. Virgilium, sub Horologio, qui antea Lauatorium in ambitu fieri curârat.

34. BVRGHARDVS, Comes de Zigenhagen, aliàs de Zigenhaim, de quo vide Io. Auent. in Annalibus fo. 686. ab Innocentio tertio pallio donatus, sed nec cōsecratus, neq; à populo admissus, mortuus est in itinere in Cœnobio apud Salmsvveil, & ibi sepultus.

35. PHILIPPVS, Bernhardi Charinthiæ Ducis filius, de familia Comitum Ortenbergensium, vnanimi suffragio tàm Canonicorum quàm Ministerialium, electus seu postulatus est Archiepiscopus Iuuauensis, Anno 1247. Sed Pontifex, ignorans electionem, Burckhardū, nescientibus Canonicis, Episcopatui præfecit, & pallio donauit, q nōdum adepta possessione è viuis excessit, cui iste successit Philippus. Anno 1249. Philippus celebrauit Concilium, mandato Romani Pontificis, in oppido Bauariæ Müldorph, quod Municipium Iuuauense est; interfuêre Episcopi Frisingensis, Ratisponensis, Seccouiensis: Huc vocatus Dux Bauariæ, vtroque gladio compelli debebat, vt Romano Pont. adhæreret, contra Fridericum Imperatorem.

Anno 1250. Philippus Marchiam manu hostili ingressus, prædia quorundam Stiriensium rapinis atq; incendiis vastat. Anno 1252. Comites, Tyrolensis & Görzensis, magna conducta Manu obsiderunt Griffenberg: His sese opposuit Philippus Episcopus, Comitemq; Tyrolensem & Comitem ab Escheloch, cum aliis eorum coadiutoribus cepit, eosque captos in Arcem VVerffen abduxit & detinuit, donec se magna pecunia redimerent.

Eodem Anno Philippus fratrem Heinricum ordinis Prædicatorum constituit Episcopum Chiemensem. Anno 1253. Electus idem Salisburgen. quendam ex fratribus Episcopatui Gurcensi præfecit.

Anno 1254. Heinricus Episcopus Bambergensis vendidit iurisdictionē in Mansee Ecclesiæ Iuuauensi, ducentis marcis Argenti.

Anno 1256. Bernhardus Dux Carinthiæ, Pater Philippi, Electi Salisburgensis, & Vlrici fratrum obiit, cui Vdalricus filius successit, &c.

Eodem Anno, cùm Philippus quibusdam mandatis & ordinationibus Pont. Romani non esset obediens, & ciuitates Arcesq;, ad Episcopatum pertinentes, hominibus improbis committeret; Capitulum Salisburgense, consensu Pōtificis, alium Episcopum, nimirum Vlricum Episcopum Seccouiensem, elegit; cùm Philippus iam intra decem Annorum spacium consecrari nollet. Missus est item Otto Præpositus Romam ad Pontificem, vt hanc electionem confirmaret. Philippus re cognita, accitis auxiliis ex Bohemia & Austria, Episcopatum igne deuastauit: Qua in re à quibusdam Ministerialibus, datæ fidei oblitis, fuit adiutus. Interim summus Pontifex mandat fratri Heinrico Episcopo Chiemensi, vt Philippum nomine Pontificis Romani citet, omnesq; Arces & Ciuitates sibi committat: Quòd si Philippus facere recusauerit, aqua & igni illi interdicat. Cùm verò Philippus hæc contemneret, inania terriculamenta arbitratus, Heinricus, quod in Mandatis habebat, exequitur: Et ita tota ciuitas Iuuauensis, integro Anno, diuinis caruit officiis, quamuis in quibusdam Parochiis fautores Philippi diuinam rem faciebant; Similiter & Monachi S. Petri & Virgines sanctæ, timore seu fauore Philippi, diuina resumpserunt.

36. VLRICVS, Episcopus Seccouien. confirmatur Anno 1257. ab Alexandro quarto, in Archiepiscopum Iuuauiensem. Re intellecta, Philippus atrociùs sæuit in suos Symmystas, & penè omnes eiicit Sacerdotes, corū prędia distrahēdo, & redditus interuertēdo, magnisq; cladibus affecit possessiones, Iuuauēsi ditioni subiectas: Itidē postcà audita morte Summi Pontificis fecit, ita vt quatuor Sacerdotibus, q soli remanserāt in Salisburgo, vix necessaria suppeteret. Vlric⁹ nouiter elect⁹,

Otto

Otto Præpositus,& Heinricus Chiemen. Episcopus, per sesquiannum Romæ mansère, &c. distracto interim Chiemensi Episcopatu, quem à Philippo antea acceperat.

Eo tempore duo Canonici Iuuauenses, Vlricus filius Comitis Hermanni ab Ottenberg,& alius nomine Gregorius, defecerunt à Capitulo, & adhæsère Philippo,& antequam Vdalricus confirmaretur, Philippi causa Romam profecti sunt. At Gregorius in itinere miserè periit: Alter auditus est à Pontifice,& despectus domum reuertitur.

Pver in Rastat nascitur cum duobus cornibus, cuius ploratus 14. diebus antè auditus quàm nasceretur.

Anno 1258. Vdalricus cum Ottone Præposito & Episcopo Chiemensi Roma reuertitur, Regemq; Vngariæ Stephanum, qui cum magno exercitu Marchiam intrârat,& Pettauiensem ciuitatem obsederat, propter quosdam rebelles, qui antea in Vngaros impetum fecerant, certis conditionibus ab obsidione amouet, & magna cautione, multisq; vadibus eandem ciuitatem eidem obstringit: Posteà, assumptis multis militibus, Iuuauium iter arripit,&, dum Radestadio appropinquâsset, Dux Carenthaniæ illum inuasit; in crepusculo vtrinque acriter dimicatum, multis ex vtraq; parte vulneratis & occisis.

Anno 1260. Vdalricus in Valle Anesi iter faciens, & in Bauariam properans, ab Austriacis nempe, Heinrico de Turri, non procul ab Admundt, capitur, & in Arce VVolckenstain, cui à nubibus & rupibus inditum nomen, detinetur aliquandiu; sed tandem iussu Ducis Austriaci liberatur: Ita magnis impensis & laboribus in Bauariam peruenit, vbi aliquandiu manens, licet possessionem nondum acquirere posset; tamen à Nuncio Romani Pontificis excommunicatur, eò quòd 4000. Marcas Argenti, quas curiæ Romanæ promiserat, non soluit, & omnia iura Episcopalia ei interdicuntur: Quamobrem ille appellauit Romam,& eò profectus est. Capitulũ Salisburgense ita sex Annis multis calamitatibus oppressum, Arbitris, Rege Bohemiæ, & Duce Carenthaniæ, cùm nemo auxilium Vdalrico ferret, neque ipse se tueri posset, concordiam cum Philippo iniit, salua tamen authoritate sedis Apostolicæ. Id factum est Anno 1261.

Seqventi Anno, Vdalricus Roma reuersus, adducit secum Episcopum Squillatensem, accepta potestate reformandi Ecclesiam Iuuauensem, sub quibusdam conditionibus, vt nimirum promissam pecuniam certo tempore solueret; Quòd si non faceret, ab ipso Episcopo authoritate Apostolica excommunicaretur.

Dvx Bauariæ Heinricus, qui per fas & nefas octo oppida initio dissensionis occupârat, cum milite copioso, adiunctis sibi illis de VVispach, qui priùs adhæserant Philippo, ab eoq; ditati & euecti fuerant, Consilio eorundem imperum in Iuuauium fecit, situm transaquam, & omnino illam partem diripuit, ac videntibus præsentibusq; Vdalrico Archiepiscopo, & Squillatensi Episcopo, igne combussit; Nec illo contentus, eorundem de VVispach Consilio, armato milite Salinam intrans, munitionem vallumq; erexit ad domandum Iuuauium. Vdalricus, quia pecuniam non soluit, excommunicatur ab Episcopo Squillatensi, & toti Iuuauiensi Diœcesi denuntiatur. Philippus igitur Archiepiscoparum, cui per decem Annos præfuerat, resignauit. Anno 1263. Dux Heinricus, cùm Iuuauium capere non posset, fœdus iniit, territus fulmine, quod meridie vidit sereno die: Philippus eiicitur ciuitate, & aliis oppidis Diœcesis; Monachi & sanctæ Virgines iam tertiò abstinent à diuinis.

Pontifex Max. Regi Bohemiæ & Episcopo Olomucensi Iuuauium commisit tuendum & reformandum, quæ omnia facilè obtinuerunt rem magno conatu gerẽtes; aliqui verò Clientes Iuuauienses Bohemis, aliqui Heinrico, Duci Bauariæ adhæserunt, qui neq; Capitulo, neq; Episcopo fidem debitam seruantes, possessio-

nes abalienatas sibi adscripserunt, & prædia Sacerdotum & Episcopi sibi vsurpârunt: Vnde quidam Gebhardus de Velben obsidem, Magnum Comitem à Görtz, qui fidei suæ à Capitulo commissus fuerat, clanculum dimisit, acceptis octingentis Marcis argenti, quas in suos vsus conuertit.

Anno 1264. Vlricus vocatus à Capitulo, clientibus & ciuibus, Iuuauiensem intrauit ciuitatem, ibiq; vnà cum Duce Bauariæ quatuor Menses mansit; sed considerans peruersitatem plebis, suamq; imbecillitatem, proposuit, sese Magistratu abdicare, indeq; in Marchiam recedens, abdicationis tabulam Romam misit: sed Vrbanus iam è viuis excesserat; Ideo in medio ea relicta res est.

Eo Anno, Monachi S. Petri, sanctæque virgines Moniales in Monte, in gratiam Capituli redierunt, facta recompensatione quapiam damnorum, quæ secutæ fuerant ex defectione illorum.

Anno 1265. Vdalricus cessit oneri & honori, missis literis resignatoriis Romam, quas Pontifex recepit; præfuit autem Annis nouem.

37. VLADISLAVS, Dux Poloniæ, Heinrici Ducis Vradislauiensis frater fit Archiepiscopus, datus per Pont. Max. Clemētem quartum, qui itidem M. Petrum, Præceptorem Vladislai, constituit Episcopum Patauiensem.

Anno 1266. Vladislaus Iuuauium venit, vnà cum Episcopo Patauiensi, honorificè à suis excipitur, & fratrem Heinricum ordinis minorum S. Vlrici Episcopum Chiemensem confirmat.

Chuno, quem Philippus præfecerat Monachis S. Petri, sese abdicat; & Simon frater eiusdem Monasterij eligitur & confirmatur.

Anno 1267. sacris initiati sunt Sacerdotes à Ratisponensi Episcopo, in profesto Pentecostes, suscepit & Vladislaus sacros Ordines, die sequenti ordinatus & consecratus est, & à Clemente Pont. summo pallio honoratus.

Patriarcha Aquilegien. ab Alberto Comite Goritiæ capitur, sed ab Episcopo Iuuauensi quodam pacto liberatur.

Anno 1268. Vlricus Episcopus Seccouiensis obiit. Substituitur Bernhardus, Decanus Patauiensis. Dux Carinthiæ pro multis damnis, Iuuauiensi Ecclesiæ illatis, satisfecit oppidis & arcibus S. Viti, & S. Georgij datis in proprietatem Ecclesiæ, ea tamen rursum in beneficium seu feudum recipiens. Eodem Anno moritur Gregorius Patriarcha Aquileiensis, cui Philippus antea electus Episcopus Salisburgēsis, intercessione fratris sui Vlrici Ducis Carinthiæ, surrogatur; sed mortuo Vlrico, Philippus à petitione repulsus, voluit Ducatum Carinthiæ, tanquam verus hæres, occupare; at per Ottokarum Bohemiæ Regem est impeditus, qui Ducatum vnà cum feudis, quæ ab Ecclesia Salisburgensi Dux in feudum acceperat, iniustè sibi vendicauit: Interea Vladislaus, omnibus in Bauaria, Stiria, Carinthia, aliisq; locis ritè ordinatis ac recuperatis, profectus est in Patriam, postulans hæreditatem suam; cuius partem voluit Episcopatui vnire; Quo comperto propinatum est ei venenum, ex quo debilitari cœpit; festinus igitur Salisburgium rediit, ibiq; placidè in Domino obiit, Anno 1270. cùm rexisset magno cum fructu & vtilitate Ecclesiam quinque Annis, sepultus est in summo Templo ante Aram Deiparæ Virginis.

38. FRIDERICVS de VVallen, Præpositus Salisburgensis, eligitur Archiepiscopus Anno 1270. Quo Anno ciuitas magna ex parte incendio periit; fuit in æstate huius Anni tanta siccitas, vt plæraq; sata arescerent: Inde maxima fames secuta; vinum tamen in abundantia natum est.

Fridericvs Anno 1272. Romam ad confirmationem & Pallium obtinendum proficiscitur, quam eo ac sequenti Anno impetrauit; Ibidem autē querimonia magna à Nummulariis aduersùs Fridericum facta est, propter æs alienum, quod Episco-

Episcopus Vlricus contraxerat, quodq; Otto Præpositus per surreptionem membranarum & sigilli Capituli Iuuauensis à creditoribus acceperat, nesciente Capitulo. Vnde, quòd eam rem, tùm creditores, tum Fridericus Episcopus vehementer vrgebant, graue detrimentum Capitulum accepit: Quanquam non in vtilitatem Capituli, sed Episcopi ea pecunia expensa fuerat, Collegium tamen coactum est 200. Marcas puri argenti persoluere; Hæc scribuntur posteris, vt sint cautiores in asseruando sigillo.

Rex Bohemiæ Othocarus quibusdam conditionibus feuda Principum, Austriæ, Stiriæ & Carinthiæ à Friderico Frisiaci recepit, præstito Homagio ipsi & Ecclesiæ.

Philippvs quondam Iuuauensis Archiepiscopus, nunc Aquilegiensis Patriarcha, totum patrimonium suum Regi Bohemiæ tradidit ac resignauit, exceptis his, quorum proprietates Vlricus Dux, Philippi frater, Ecclesię Iuuauensi antea pro damnis illatis tradiderat, nempe oppidum S. Viti & alia, quę Philippus sibi vsurpanda reseruabat.

Anno 1274. conuocauit Concilium prouinciale Fridericus, cui interfuêre Episcopi, Frisingensis, Patauiensis, Ratisponensis, Brixiensis, Chiemensis, Seccouiensis, ac Templum Iuuauense consecrauit in die omnium Sanctorum, cooperantibus Episcopis superioribus; Gratius fuit id festum & spectaculum sacrum elargitione indulgentiarum Maximi Pontificis Alexandri, Patriarchæ Gradensis, & aliorum Archiepiscoporum.

Anno 1275. Rudolphus Romanorū Rex, Comitia Nüernbergæ habuit, ad quæ Otthocarus, Bohemię Rex, & Heinricus, Dux Bauariæ inferioris, neq; precibus, neq; minis sunt moti, vt comparerent; Friderico autē Archiepiscopo ibi cum Patriarcha Aquileien. apparente, & in verba Rudolphi iurante, Rex Bohemiæ Iuuauensem Ecclesiam hostili manu inuasit, comburendo prædia quàm plurima, damnumq; intulit, quod æstimatum fuit 40000. Marcis Argenti.

Fridericvs in hac calamitate belli, & Episcopus Patauiensis tanquam Lampades inter alios imperij Principes coruscantes, licet eorum fides à Rege potentissimo, variis artibus, dolo, minis & pecunia tētaretur; maluerunt tamē suæ salutis & rerum iacturam facere, quàm Romanū Imperium deserere. Vtinam nostra tempestate multi tales Principes forent, qui publicum imperij bonum magis quàm priuatum curarent; melius procul dubio haberet Rom. Imperium. Herbrodus Lauentinus Episcopus obiit, cui Eberhardus Abbas S. Pauli substituitur.

Anno 1279. Diethericus, Episcopus Gurcensis obiit, cui succedit Iohannes Episcopus Chiemensis; eidem substituitur Conradus de Hintsperg, Canonicus Patauiensis. Eodem Anno Reinpertus de Glaneck transegit cum Ecclesia Iuuauensi pro damnis iniustè illatis persoluere 300. Marcas Argenti, sub pœna amissionis feudorū suorum, quæ posteà Ecclesiæ aperta sunt.

Idem Fridericus Archiepiscopus ab Heinrico Episcopo, & Capitulo Ratisponensi emit omnes redditus ac prædia, quæ in Monsee habuerunt 1. lib. denariorū pro 7. Marcis argenti. Liechten & Altentann à Nobilibus de Tannad Fridericum & Ecclesiam Iuuauensem, hoc ferè tempore quoq; peruenêre.

Eodem tempore Fridericus Castrum Chalhaim, ob immania illîc facinora perpetrata, solo adæquari iussit.

Anno 1280. Fridericus iterum prouinciale Concilium conuocauit, cui interfuêre Episcopi, Ratisponensis, Frisingensis, Patauiensis, Brixiensis, Chiemensis, Secouiensis, Lauentensis; Et quia Prælati quidam præcipuè Patauiens. non interfuêre, Fridericus eos contumaciæ damnauit, quam sententiam precibus aliorum Episcoporum & Consilio Capituli mutauit. Eodem Anno in die S. Alexij, nix magna

à Frisinga vsque in Longau cecidit, quæ admirationi omnibus fuit, maxima quoq; sterilitas passim peruagata; multi fame mortui, panis de auena in pretio & rarus fuit. In Cœna Domini, dum sacra concio fit, puella quædam nata de Cella, quæ viginti Annos à natiuitate muta fuit, precibus S. Rudperti & Virgilij, loquelam accipit.

Anno 1283. Gotfridus Patauiensis & Leopoldus Seccouiensis Ecclesiarum designati Episcopi, pridie Nonas Martij, ab Heinrico Ratisponensi Episcopo consecrantur Iuuauiæ, sequenti die Solis à Friderico Episcopi declarantur. Hartindus de VVoldonia Parochus in VVels Gurcensi Ecclesiæ præficitur. Eodem Anno, Dux Austriæ Albertus occasione pacis, quam cum Friderico Iuuauensi Episcopo, & excellenti Principe Ludouico, Duce Bauariæ, pepigerat, Heinrico Duci Bauariæ inferioris bellum indixit; collectoq; exercitu aduersus illum profectus, Valentiam vsque processit, quod oppidum Norici est, vulgò VVels vocatur: cui & Fridericus sese coniunxit, eundem adiuturus: Sed Heinrico & VVickardo, Ratisponensi & Patauiensi, Episcopis intercedentibus, Dux Austriæ domum reuertitur, Fridericus Episcopus & Dux Bauariæ conciliantur. Moritur Fridericus Anno 1284. septimo Idus Maij, 15. Calendas Maij sepelitur in summo Templo apud Altare S. Andreæ, rexit Annis 15.

39. RVDOLPHVS de Hocheneck Sueuus, Rudolphi Romanorum Regis Cancellarius, eligitur Archiepiscopus, Anno 1284. vnanimi suffragio omnium, adeò vt ne vnus quidem dissentiret. Martinus Pontifex Max. audita legatione & literis Rudolphi Cæsaris & Capituli Iuuauensis, commisit eam rem Episcopis, Constantiensi, Aichstetensi, & Abbati de Salmsvveil, qui authoritate Apostolica Rudolphum iam designatum examinarent; quòd si dignus inueniretur, vt illum inaugurarent; sed Constantiensi morbo impedito Collegæ mandatum sunt executi, & 8. Idus Martij, Rudolphum Archiepiscopum declarauerunt, sequenti die Sacerdos efficitur; misit igitur Romam pro Pallio Fridericum de Mitterkirchen, Canonicũ, & Heinricum de Ges, Præpositum Frisacensem, decretorumq; Doctorem, qui cùm Patauium venissent, certiores facti sunt de morte Pontificis Martini, cui Honorius quartus, natione Romanus, successit; Is magno fauore prosecutus est Germanos, & ob hoc Rudolphum Pallio coronauit, Anno 1285.

Eodem Anno, Gebhardus Lauentinus Episcopus obiit, cui Conradus, Salisburgensis Ecclesiæ Canonicus & Scholasticus, substituitur.

Rvdolphvs diem indicit, vt colloquatur cum Duce Bauariæ Heinrico, vbi recitata instrumenta sunt, quibus pacis conditiones, firmatæ inter Ducem & Fridericum Episcopum, præscriptæ erant; ibi inducias fecêre ad festum Michaelis, inter quas oppidum Müldorff, dubium, an fraude, an verò casu, exuritur, quod statim Heinricus Dux obsidione cingit: Et, quia Rudolphus nihil huiusmodi metuebat à Duce, qui Ecclesiam Iuuauensem in fidem & tutelam receperat, in Marchiam profectus fuerat: E Grætia igitur (quod oppidum Stirorum est, qui apud veteres Taurisci vocantur) re intellecta egressus, copioso milite Bauariam inferiorem depopulatur igne & ferro; cui Dux fit obuiam, & Müldorphium in deditionem accipit: Tandem Ludouicus, superioris Bauariæ Princeps, vtrumq; ad Colloquium inuitans, tanquam arbiter Honorarius, pacem inter eos firmauit.

Anno 1286. Cæsar Rudolphus Augustæ curiam celebrat in Epiphania Domini, adfuêre Episcopi Ratisponensis, Iuuauensis, Coloniensis, Patauiensis, Basiliensis, Ludouicus & Heinricus, Duces Boiorum, aliiq; multi Nobiles; Ibi pax firmata est inter

est inter Rudolphum Episcopum, & Heinricum Ducē: dati sex arbitri, qui vtriusq; causam audirent, & omnia componerent; Sequenti anno Heinricus restituit Rudolpho Episcopo oppidum Müldorph, quod illi antea ademerat.

Anno 1288. corpus S. Virgilij translatum est à Rudolpho sept. Idus Nouēbris, præsentibus Episcopis, Ratisponensi, Pataviensi, Gurcensi & Seccouiensi.

Eodem tempore, voluntate & concessione Pontificis Maximi, idem Rudolphus sepeliuit Eberhardum Archiepiscopum, sub horologio, ac præfuit Ecclesiæ magna fidelitate, annis quinque, mortuus est Anno 1289. 3. Non. Augusti, sepultus ante altare S. Virgilij.

CONRADVS Praitenfurt, aliàs de Vanstorff, Lauentinensis Episcopus, à Pōtifice Romano factus Archiepiscopus, dum pro Pallio Romā mitritur à Stephano, Heinrici Ducis Bauariæ filio, qui à Pontifice, propter immaturam ætatem, nam vix 21. annum habebat, non est admissus, etsi omninm suffragio postularetur. Auent. lib. 7. fol. 718. aliam causam allegat, nempe quòd Legati Pontificis, quos ad explorandam vitam & mores Stephani Ducis in Bauariam miserat, militari veste amictum & sagittariorum spectaculo præsidentem offendissent, &c: Conradus igitur Pallio, quo omnimoda potestas illius Pontificij Magistratus declaratur, à Romano Pont. donatus est, Anno 1289. 40.

Eodem Anno, cùm Dux Austriacus Albertus, cum Conrado Iuuauēsi Archiepiscopo discordaret, grauiaq; vtrinq; damna accepissent; Conradus fœdere sese iūxit Ottoni, inferioris Bauariç Duci, quo cum Carinthiam ingressus (nam spes ipsi facta fuerat ab incolis potiundæ Stiriæ) redire coactus est ob densitatem niuium. Auēt. lib. 7. fol. 718. scribit, hunc Conradum cum Othone, Stephano & Ludouico, fratribus, Ducibus Bauariæ inferioris, fœdus iniisse, & Falckenstain arcem in confinio Austriæ, & Bauariæ, eò quòd Austriàci crebris incursationibus regionem infestam redderent, eoque prædas agerent, expugnâsse.

Sequentibus verò annis, Conradus, vnà cum Militibus Ottonis Ducis, cepit Ottonem filium Meinhardi Ducis Carinthiæ ductum in castrum VVerfen, vbi per 10. Menses detentus est, cuius liberatio pacem firmauit: Ad quam inter ipsos constituendam solicitè laborârunt Dux Bauariæ Ludouicus, & Heinricus Episcopus Ratisponensis, sed pax illa durauit tantùm annos tres, vel paulò plus. Dux enim Austriæ obsedit oppidum Rastat per duos Menses, & discessit ab obsidione, tùm coactus inopia commeatus, tùm quia Otto Bauariæ Dux cum exercitu iam Iuuauiam intrârat.

Anno 1291. ciuitas Accaron, quam solam Christiani in Palæstina possidebant, obsessa est à Rege Ægyptiorum, quem Soldanum vocitant, & 40. diebus & noctibus impugnata capta est, multaque millia Christianorum capta & occisa sunt; Aliqui nauigio aufugēre; Et rumor fuit, si concordes fuissent Collegiorum fratres hospitum sc. Templi Teutonum & ciues, ciuitatem non fuisse captam. Pontifex Romanus Nicolaus omnibus Patriarchis, Episcopis & aliis mandauit, vt conuocato Concilio deliberarent, qua ope, quoue Consilio Palæstinæ succurri posset. Concilium Iuuauēse rescripsit tria Collegia Templariorum Teutonicorum, &c. commutanda in vnum ordinem, ac meliorem obseruantiam redigenda, & Cæsarem cum Principibus in auxilium vocandum esse. Sed Pontifex mortuus est, antequam hæc Romam nuntiarentur. Auent. aliter de hac Synodo fol. 720.

Eodem Anno Conradus Archiepiscopus Iuuauensis, à Summo Pontifice cōfirmatus, venit Roma.

Eodem etiam anno, obiit VVernhardus, Episcopus Seccouiensis ad festum natalis Domini.

Anno 1292. 4. Idus Ianuarij obiit Conradus Episcopus Chiemensis Viennæ, qui corpus suum Iuuauium deduci iussit ad Concilium, quod Conradus eò conuocauerat, in quo ab Episcopis honorificè sepultus est.

Eodem anno Heinricus, Præpositus Iuuauensis, factus est Seccouiēsis Episcopus, cui successit Fridericus, Decanus de Mitterkirchen, per electionem in Vigilia Palmarum.

Eodem etiam anno datus est ad Episcopatum Chiemensem Fridericus eiusdē Ecclesiæ Præpositus.

Hoc Anno Colloquium fuit habitum ab Imperij Principibus in Linz oppido, in festo Pentecostes, vbi conuenerant Ludouicus, Comes Palatinus Rheni, Dux Bauariæ, Otto Dux Bauariæ, Albertus Dux Austriæ, Meinhardus Dux Carinthiæ, Conradus Archiepiscopus Salisburgen. Heinricus Ratisponensis, & Bernhardus Patauiensis, Episcopi: Ibidem recōciliati sunt, Albertus Dux Austriæ, Otto Dux Bauariæ, & Conradus Archiepiscopus, & liberatus est Otto Dux Carinthiæ.

Anno 1295. Conradus Episcopus emit ab Heinrico de Berghaim sedem & iurisdictionem in Berghaim, cum omnibus suis pertinentiis, quæ ab Episcopo in feudum habuerat.

Eodem Anno, Domini de Gutradt, Otto cum Heinrico filio, Dapiferi, Iuuauēsis Episcopatus, Castrum Gutradt, & omnes suas ditiones Episcopo Conrado & Capitulo, cum proprietate subiecerunt, ac rursum in beneficium seu feudum receperunt.

Anno 1298. in Comitiis magnis per Albertum Rom. Regem Nürnbergæ habitis, Conradus hic Archiepiscopus in numerum amicorum Regis receptus est, Auētin. lib. 7. fol. 734.

Anno 1306. Albertus Cæsar intrauit Bohemiam, ducens secum Conradum, Episcopum Iuuauensem, & Rudolphum filium suum, Ducem Austriç, asserens ad imperium ipsius Regni collationem deuolutam; Regnum ipsum filio & suis fratribus hçreditario iure contulit.

Anno sequenti, Conradus Episcopus, iussu Cæsaris Alberti, Carinthiam intrauit, & intra spacium vnius Mensis cum dimidio cepit ciuitatem S. Viti, Volckenmarckr, Klagenfurt, Arcem Rabenstain, non longè à Frisiaco expugnauit, ac solo æquauit; Et in Monte D. Thomæ munitionem construxit.

Eodem anno obiit Ludouicus, Decanus Iuuauensis, cui successit VVickhardus de Polhaim, Canonicus ibidem.

Eodem anno obiit Elisabetha, Abbatissa in Nunberg, cui successit Margaretha de Giebing Virgo Cœnobij D. Petri.

Eodem anno obiit Helmvvicus, Præpositus Iuuauensis, cui successit prædictus VVickardus de Polhaim.

Anno 1309. obiit Vlricus, Episcopus Seccouiensis, circa festum Epiphaniæ, cui substitutus est Fridericus de Miterskirchen, Præpositus Iuuauensis, pro quo electus Fridericus de Leibnitz, Canonicus & Camerarius ibidem; cuius confirmationem Conradus Episcopus tres ferè Menses distulit, eò quòd non sit dilata electio in suam prçsentiam, licet ad eum electio non spectaret, &c.

Conradus Archiepiscopus vnà cum Abbatè S. Lamperti ad Curiam Rom. citati sunt, Summus Pontifex dicebat hoc Monasterium ad ipsum tantùm pertinere, Anno 1310. Dux Austriæ misit Vlricum à VValsee cum Milite armato in Ditmoning, contra Ducem Bauariæ, qui coniunctis Episcopi militibus & Bauariam & Diœcesim vastârunt rapina & igne, adeò vt quàm plures frigore & fame perirent mortales, quæ mala tanta est pestilētia subsecuta in tota Bauaria, vt à festo Martini, vsq; ad festum Purificationis in vno Cœmiterio Ditmoning plus quàm 1300. cadauera condita sint.

Crispinianus in vita Friderici, &c.

Anno

Anno 1311. celebrata est Synodus Salisburgi, in qua Summo Pontifici decimæ omnium annuorum redditum Ecclesiasticorum sunt cõcessæ, ad faciendam expeditionem in terram sanctam: Eo tempore Dux Austriæ cum Conrado Episcopo obsederunt ciuitatem Schärding.

Praefvit iste Conradus annis 24. mortuus est, Anno 1312. in festo annuntiationis Deiparæ Virginis, quo die natus fuerat; sepultus in summo Templo ad Aram S. Andreæ.

Fvndavit Sacellum D. Iohannis in Palatio Episcopali; similiter ædificauit Hospitale Mariæ Magdalenæ, & donauit S. Petri Monasterio, &c.

VVIEKHARDVS de Polhaim, electus Archiepiscopus, Calend. Aprilis, Anno 1312. eodem anno confirmatus in die sancti VVilibaldi; eodem anno in die Abdon & Sennon, per Clementem quintum, Romæ consecratus; in Vigilia D. Augustini Pallio decoratus; In Vigilia Thomæ Roma discessit, magnis laboribus & expensis. 41.

Iste VVickardus 13. Calend. Augusti eiusdem anni, aperuit vrnam S. Rudperti, & inuenit ossa cum capite D. Rudperti,

Item D. Martini in magna quantitate, D. Vincentij Martyris in magna quantitate, Hermetis, Crisanti, Dariç, Gisslarij; Et eodem anno ostendit easdem Reliquias, in festo natalis Deiparæ Virginis; & deinde proximo festo translationis D. Rudperti, dedicauit nouam Aram D. Rudperto, ibique ossa sacra eius recondidit. Et proximo festo translationis D. Virgilij consecrauit Aram D. Virgilij, cœptam à suo prædecessore Conrado, ibique eius sacra ossa recondidit: At paucis diebus pòst; id est, quinto Non. Octobris, percussus spasmo in toto corpore, & grauissima Lethargia pridie Non. Nouembris obiit. Præfuit annis tribus cum dimidio, & sepultus est ante Aram D. Rudperti.

FRIDERICVS, huius nominis tertius à Leibnitz, Præpositus & Archidiaconus Salisburgensis, Anno 1315. eligitur Archiepiscopus, & sequenti anno in priuato Consistorio Romæ à Pont. Maximo Ioanne XXII. confirmatur, tertio Calend. Nouembris. 42.

Octavo autem Calend. Decembris, mandato Pontificis, Berengarius Tusculanus Cardinalis istum Fridericum, & Patriarcham Gradensem, & Archiepiscopum Rossen. Græcum Barbatum, cum quinque Episcopis, & quatuor Abbates consecrauit.

In Octaua Martini, iuramentum pro cõmuni obsequio præstitit, & sequenti die post Elisabetham fuit Pallium petitum & concessum à Pontifice, Anno 1317.

Hoc Anno Fridericus instituit Hospitale S. Blasij.

Idem Fridericus fœdus iniit cum Friderico de Austria, & illius fratribus, cõntra inferioris Bauariæ Duces, qui multa damna Episcopo & suis intulerant; Et contra quoscunque, excepto Summo Pont. Imperio, & Ludouico electo Rom. Rege, superioris Bauariæ Duce, ac Rudolpho eius fratre, qui Rheni Palatinatũ possidebat, vt mutuo auxilio forent propriis expensis.

Iam antea, Anno 1314. in electione Imperatoris, dissensio orta fuerat inter Principes, Electores; aliis ac maioribus quidem votis, Ludouicum Ducem Bauariæ, aliis Fridericum Austriæ, ad Imperium postulantibus: vnde vtrinq; graue bellum est natum, quod octo annis durauit; Cui hic Fridericus Archiepiscopus, oblitus primæ Ecclesiæ suæ institutionis, per Boiorum Principes factæ, pro parte Austriaci, postea se immiscuit, ac contra Ludouicum arma sumpsit.

Anno 1322. in Vigilia sancti Michaëlis, Fridericus Dux Austriæ, qui sibi nomen Cæsaris vendicabat, Heinricus ipsius frater, Fridericus Iuuauensis Episcopus, Al-

bertus Dux Saxoniæ, Episcopus Pataviensis & Lauentinensis, Bauariam variarum nationum exercitu intrârunt; Et inter Ottingam (quod oppidum inferioris Bauariæ est, in ripa Oeni situm, æde Deiparæ Virginis à Carolo Magno constructa, & miraculis insigne) & Müldorphium castra metati sunt, apud riuum Isenum: Quibus Ludouicus Cæsar, Iohannes Rex Bohemiæ, Heinricus inferioris Bauariæ Princeps, Fridericus Burggrauius Nornbergensis, atque alij magno exercitu occurrentes sub monte Dornbergio conflixêre; Interfectis vtrinque plus mille viris: Ludouicus Cæsar vicit omnibus prædictis Ducibus captis; Episcopi autem sibi fuga salutem quæsiuêre, audita suorum clade.

Militavervnt sub Friderico Episcopo, Nobiles sequentes, quos pridie illius prælij ense stricto ter in caput percussos, vt animosiores redderet, Equites Auratos designauit, vulgò zü Ritter geschlagen.

Nicolavs de Tann, Heinricus Oder, miles eius, id est, minister seu famulus, Eckardus à Thann, Conradus Thumbshürn miles eius, Dietherus Velber, Conradus Velber, Conradus Oberndorfer, Ortulphus Moser comes eius, Heinricus Pruninger, Vlrici duo VVispeckij fratres, Hartindus VVispeck, Fridericus Köpflman, Fridericus & Conradus filij ipsius, Heinricus Gottfridus, Siboldus de Lampoting, Siboldus & Albero de Nopping, Heinricus Trauner, Nicolaus de Albm, Conradus Trenbeck, Albertus Trēbeck, Iacobus Spör comes eius, Ortulphus Schönperger, Nicolaus & Cōradus dicti Aufleer, Marquardus de Vanstorf, Bernhardus Truchsäs, Eberhardus Geier, Iohannes Pfäffinger, Zacharias Pannichner, Albertus Gebinger comes eius, Iacobus de Turri, Vlricus, Iacobus de Turri fratres, Rudigerus de Radeck, Petrus Gaugsperger eius comes, Vlricus de VVens, Vlricus & Otto de Achdorf, Ioannes Ecker comes eius, Ottmarus Visler, Gebhardus Trauner, Rapoto Albrechtshammer, Comes de Panichenstain, Tragan de Tegborn comes eius, Otto de Leibnitz, Fridericus Carlsperger, Fridericus de VVolfsavv, Otto de Steir, Rudolphus de Holneck, Luipoldus Frey, Hartindus Mansperger, Ortulphus & Diethmarus Püchser, Fridericus de Loibnitz, Hertindus Schlosperger, Fridericus de Schrattenperg, Iacobus à Hohenstain, Rudolphus de Vanstorf, Ludouicus de VVelkirch comes eius, Ioannes de Neideck, Hermannus de Minendorf, Albertus de Tackenavv, Ludouicus de Ror, Henricus de Silberberg, Ludouicus Truchsäs, Cunradus Stadauer, Nicolaus Püchser, VVulfing Flachpergerius, Conradus de Sachsen, Conradus de Steg, Vlricus de Hoff, Fridericus Reichenburger, Vlricus de Langavv, Hermannus de Lennberg, Henricus de Limi, ein Twarfer/ Conradus Pottendorffer, Gotfridus Chelz, Heinricus Maffenperger, Vlricus Nusdorffer, &c.

Iohannes Auent. lib. 7. Annalium, ex quadam Chronica Ludouico quartò Imperatori dedicata sequentes addit.

Iohannes Haunsperger, Petrus Sultzperger, Nicolaus Reinhold, Heinricus Oxel, Vlricus Goldman, VVolfhart Altenburger iunior, Alram Stralenfelser, Eckart & VVolfhart Ouenstetter.] Et isto cōflictu magnam Ecclesia Salisburgensis rerum suarum iacturam fecit, eò quòd Fridericus Episcopus à Ludouico Imperatore post hanc victoriam proscriptus fuerat, & quòd oportuerit captiuos Nobiles redimi puro argento: Propterea Duces Austriæ prædicti Ecclesiæ Salisburgen. impignorauerunt, propter accepta damna, quatuor arces, perpetuis temporibus possidendas, scilicet, Arenfels, Loschentall, Lauemundt & Neumarckt in Carinthia, quas posteà Anno 1459. Fridericus Imperator, multis priuilegiis Salisburgensi Episcopatui concessis, redemit.

Anno 1323. Fridericus emit à VVulfingo de Goldeck nouum & vetus castrum desolatum, vulgò Burckstal in Dächsenpach, vnà cum Comitatu & iurisdictione, quæ Goldeccenses antea ab Ecclesia in feudum habuerant pro 2500. florenis.

Eodem

Eodem anno, Episcopus Fridericus transegit cum Goldecensibus, de Comitatu in Gastein, de castro Klainstain, & de aliis quibusdam prædiis, quæ Goldecenses ab Episcopo pari modo in feudum possederant.

Marqvardvs & Fridericus, Nobiles de Perchaim, propter homicidium commissum in quodam Iuuene Keuzel, ædificârunt & fundârunt altare S. Erntrudis, in summo Templo Salisburgi.

Anno 1324. in Octaua assumptionis D. Virginis, oppidum & castrum Tittmoning à Ludouico Imperatore occupatum, ac VVulfingo à Goldeck custodiendum traditum est, conniuentia ac fraude, vt putatur, eorum, qui intus & extra oppidum ac castrum fuerant; Inter quos non postremi habebantur aliqui Ministeriales Ecclesiæ Iuuauensis, quorum primus fuit prædictus VVulfingus à Goldeck, Otthonis filius, à quo multa mala sustinuit Iuuauia.

Anno 1327. Titmoning, cum toto Comitatu, post magnam deuastationem, redemptum est, non sine maximo labore & impensis.

Anno 1336. Domini à Perkhaim vendiderũt Episcopo Friderico iurisdictionem in Anthering, quam antea in beneficium seu feudum ab Episcopo habuerant.

Eodem anno, Fridericus Episcopus instituit celebrari perpetuam Missam in altari S. Crucis; Item in altari omnium Sanctorum duas, Vnã nomine omnium Sanctorum; alteram nomine omnium Animarum fidelium.

Fridericvs Archiepiscopus moritur, Anno 1338 Calend. Aprilis, cùm rexisset Ecclesiam annis 23. sepultus apud altare S. Crucis in muro.

HEINRICVS de Piernprunn ex Bauaria, olim Ludimoderator, ad D. Rudpertum, fit Archiepiscopus, Anno 1338. Hoc anno locustæ senas alas habẽtes innumerabiles, circa festum Afræ ab oriente venientes, Bauariam fœdârunt, quę vno die 20. millia passuum progressæ, & herbas & arborum frondes depastæ sunt, &c. Rexit Ecclesiam annis 5. moritur Anno 1343. sepultus in Sacello D. Piligrini. 43.

ORTHOLPHVS de VVeiseneck Styrius, frater Gotfridi Episcopi Patauiensis, eligitur Archiepiscopus, Anno 1343. vir valde magnificus, curauit fieri Auream crucem, cum pretiosis gemmis, In Choro summo Templi, vnà cum aliis Clenodiis argenteis quàm plurimis, in curia & camera. 44.

Anno 1345. emit ab Anna Abbatissa in Nunnberg balneas in Müln, 10. libris denariorum.

Anno 1348. maxima pestilentia penè totum orbem peruagata est, quæ in Asia apud Indos incipiens, tribus pòst annis in omnes gentes desæuit ad extremos vsque Britannos, Bohemos, Noricos, Pannonios, & multa domicilia euacuauit.

Anno 1359. apud Villacum oppidum, clarissimũq; Carinthiæ Emporium terræ motu Mons corruit, & quàm plurimos homines occidit; sic & in Pannonia, & in Italia nonnullæ ciuitates corruêre.

Eodem anno Sibothus à Tetlham vendidit Ortholpho Archiepiscopo arcem Tetlham, cum omnibus ad eam pertinentibus, 4235. Vngaricis Ducatis.

Anno 1355. Conradus de Kuchel (qui fuerunt Marscalci hæreditarij Ecclesię Salisburgeñ.) legauit Ortholpho Episcopo Abstorf & Abtsee, quę priùs titulo permutationis ad Episcopum spectabant.

Anno 1356. instituit Ortolphus celebrari ppetuam Missam in altari S. Trinitatis.

Anno 1362. mediante Rudolpho, Duce Austriaco, Ortolphus Archiepiscopus conuenit cum Erhardo à Tann, super iurisdictione Kestendorf, & Pręfectura Altenthann, vt Episcoparui Salisburgensi cederent; Posteà Burckhardus Archiepiscopus arcẽ & iurisdictionẽ Altenthann VVolfhardo & Ernesto Vberacker, eorumq; hæredibus, masculis titulo Præfecturæ perpetuò possidenda concessit. Ortholphus

præfuit

præfuit annis 22. moritur Anno 1365. sepultus est ante Aram S. Trinitatis, quam ipse suis sumptibus fundauerat & consecrauerat.

45. PILGRINVS de Puechaim eligitur Archiepiscopus, Anno 1366. Iste fundauit Sacellum, cum sex Aris, vbi prius tantùm vna Ara fuit S. Nicolao dicata ab Heinrico de Plernprunn. Idem bella gessit cum Friderico, Duce Bauariæ.

ANNO 1380. (Chronica S. Petri habet 1386.) Conradus Episcopus Ratisponensis & Capitulum Pilegrino Archiepiscopo vendiderunt arcem Vtter, & turrim Engelsberg; Dominium item in Parrnis ad Athesim, pro 18000. Vngaricis Ducatis, sub pacto de retrouendendo: cui pacto posteà Anno 1383. Iohannes Episcopus Ratisponensis, vnà cum Capitulo renuntiauit, additis priori precio adhuc 8000. Vngaricis florenis, &c.

EODEM ANNO, summum Templum Salisburgense, vnà cum campanis & organis, toroque adeò ornatu igne periit, & ferè media pars ciuitatis versus Chay exusta est.

ANNO 1385. fusæ sunt duæ campanæ D. Virgilij & D. Virginis.

ANNO 1386. tanta fuit inundatio aquarum Salisburgi, vt ea portam pontis penitùs destrueret; Durauit autem à festo Ioan. Bapt. vsque ad diem Processi & Martiani.

ANNO 1387. die S. Virgilij, Fridericus Dux Bauariæ cepit Pilegrinum, Archiepiscopum Salisburgensem, cum aliquibus Militibus, eumq; in Cœnobium Raitenhaslach deduxit; sed paulò pòst liberatus est.

ANNO 1390. Pilgrinus Archiepiscopus emit à Georgio Episcopo & Capitulo Patauiensi arcem Mattsee, vnà cum Lacu, omnibus prædiis ac redditibus, ad eam spectantibus, pro 7000. pond. Viennensibus; Iste contractus renouatus est per Georgium Episcopum & Capitulum Patauiense, nimirum quòd Archiepiscopo Gregorio vendiderit castrum Mattsee, cum pertinentiis, 15000. pond. Viennensibus, Anno 1398.

PRAEFVIT Pilegrinus fideliter annis 32. mortuus est, Anno 1396. quinto Mensis Aprilis, ac sepultus in Sacello, quod ipse fundauit.

46. GREGORIVS Schenck de Osterwitz eligitur Archiepiscopus, Anno 1396. Iste Gregorius Anno 1398. emit ab Hugone Goldecker ius coquendi salis, nomine Goldeck in Hällen, vnà cum officina salinaria, mõtibus & syluis illuc pertinentibus, quæ antea in feudum ab Episcopo tenebat, pro quibus illi dedit Dāchsenpach, quod posteà Hugo ex singulari beneuolentia in testamento Archiepiscopo legauit. Isti Goldecker fuerunt Pincernæ Archiepiscopatus Salisburgeñ. ipsorum fuit Gastein, & iurisdictio VVerffen & Rastat. Præfuit Gregorius annis septem, mortuus est Anno 1403. sepultus ante Baptisterium, curauit etiam organum fieri in summo Templo.

HOC ANNO, sede vacante, facta est Salisburgi confœderatio per Prouinciales & Ministeriales Ecclesiæ Seculares, super aliquibus grauaminibus, quæ ipsis per Pilgrinum & Gregorium, proximos Episcopos, imposita fuerāt; nempè ratione æris alieni contracti, steurarum, feudorum, violentiarum, desponsationum filiarum inuitis Parentibus, malæ administrationis iustitiæ & similium, &c. Ita vt nollent Successori ac futuris Episcopis iuramentum fidelitatis præstare, priusquàm his oneribus liberarentur, & illis ob id per Episcopum & Capitulum caueretur; appensa etiam sunt cōfœderationi 50. sigilla, inde ipsa Erinaceus, Ygl, vulgo appellabatur, sequens Episcopus Eberhardus confirmat eodem Anno 1403.

47. EBERHARDVS tertius de Neuhausen eligitur Archiepiscopus, Anno 1403. ante ipsum intrusus erat Berchtoldus de VVāching, Episcopus Frisingensis,

per Bonifacium nonum consecratus: Sed eodem anno mortuus est Bonifacius; & Successor eius, Innocentius septimus, Eberhardum de Neuhausen constituit Archiepiscopum, & electionem Capituli de eo factam confirmauit.

Anno 1417. Eberhardus erexit Aram D. Annæ, ædificauit item ædiculam venerabilis Sacramenti, ordinauitque lumen perpetuum & campanam, feria sexta pulsandam, vulgariter den Antleß leütten.

Anno 1418. fundatum & ædificatum est de nouo Sacellum sancti Andreæ Salisburgi trans pontem, per Martinum Reiter, Iudicem ciuitatis Salisburgensis, & Doctorem Iohannem Reiter, fratrem suum, & Iohannem Crafftonem, Canonicum ac Custodem apud sanctum Stephanum Viennæ Austriæ. Huius confirmatio facta est ab Archiepiscopo Salisburgensi Eberhardo, & Iohanne Reisperger, Præposito.

Anno 1425. confirmauit Eberhardus Missam S. Iohannis in Inberg, quam Ludouicus Tänckl, ciuis Salisburgeñ. fundauit.

Anno 1427. die Priscæ Virginis, obiit Eberhardus Archiepiscopus, qui fieri curauit magnam Monstrantiam, vt vocant, sanctæ Annæ: In cuius superiori parte tres visuntur imagines, ex puro auro conflatæ, de Thesauro inuento, vt fama est in Inberg. Præfuit annis 24. sepultus est in Sacello D. Annæ à se constructo.

EBERHARDVS de Starchenberg electus est Archiepiscopus, Anno 1427. fuit vir habitudine corporis, pietate & vitæ castimonia insignis, optimusq; gubernator. Præfuit annis duobus, mortuus est quinto Idus Februarij, Anno 1429. sepultus in Sacello S. Annæ. 48.

Scribunt aliqui ipsum vnà cum Camerario suo veneno extinctum esse, eò quòd reformationem inchoare nitebatur.

IOHANNES secundus Reisperger, electus Archiepiscopus est, Anno 1429. 49.
Anno 1438. emit iste Iohannes dimidiam piscationem, in Stagno Zellersee, ab hæredibus Nobilium de Kuchel, qui etiam, deficiente ista Nobili familia, vendiderunt suam hæreditatem, in prouincia Salisburgensi, Episcopatui. Iohannes Archiepiscopus moritur, Anno 1441. vltima Septemb. sepultus est in Sacello D. Martini, præfuit annis 12.

FRIDERICVS quartus, Truchsäss de Emerberg, Ioanni Successori, post obitum Ioannis, domini Capitulares, prætextu cuiusdam veteris consuetudinis, inter se distribuerant vestes, & bona quædam defuncti Archiepiscopi, ad quotidianum vsum pertinentia, & hoc sede vacante. Quapropter ipsi in pœnas & censuras constitutionis Bonifacij octaui, Incip. quia sæpe de elect. lib. sexto ignoranter inciderant; dissensione posteà in electione suborta inter Capitulares, aliis Sigismundũ de Volckenstorf, Præpositum Salisburgẽsem; aliis Fridericum Truchsäs, Decanum eligentibus; Fridericus, sui electione comperta, statim misit Basileam ad Cõcilium pro absolutione sui & suæ partis Canonicorum, nec non pro confirmatione, quam non magnis expensis obtinuit. Nam suffragia alterius partis fuerunt irrita; & sic obtinuit Fridericus Archiepiscopatum per concordiam. Composuit hic Eberhardus litem inter Leonhardum, Episcopum Patauiensem, & Canonicos Patauienses, eorumque adiutores; Nempe Albertum Austriæ Archiducem, &c. propter electionem ortam; circa Annum 1432. de quo sub Leonhardo Episcopo, & apud Auent. lib. 7. fol. 819. 50.

Anno 1452. Fridericus hic vocatus cum multis aliis Principibus Landshutam ad Nuptias Ludouici Ducis Bauariæ, & Annæ Ducissæ Saxoniæ, Matrimonio eos copulauit, domino Ioanne Grienenvvalder, Episcopo Frisingensi, diuina solenniter celebrante.

C Eodem

Eodem Anno Vlricus Mörs, ciuis Salisburgensis, fundauit Missam S. Thomæ, cum 29. lib. denariorum.

Fridericus Archiepiscopus moritur eodem Anno 1452. 30. die Aprilis, sepultus ante Aram S. Andreæ. Rexit Episcopatum annis decem.

51. SIGISMVNDVS primus à Volckenstorf, Præpositus Salisburgensis, fit Archiepiscopus, Anno 1452. fuit singularis Promotor pauperum, humilitate, vitę & morum integritate maximè conspicuus; & propterea multis Principibus charus; literarum diuinarum lectioni maximè incubuit, Maximilianum Regem & Georgium Ducem Bauariæ è sacro fonte leuauit.

Sub hoc Episcopo castrum Goldeckerhoff, post longam iudicialem disceptationem per sententiam adiudicatur Ecclesiæ Salisburgensi.

Anno 1457. Sigismūdus Archiepisc. fundauit, vnà cū Sacerdote Thoma Sintzēhauser, Missam S. Gregorij, in summo tēplo; Episcopus dedit 14. pōd. Sacerdos 12. pōd.

Fundavit idem Sigismundus Missam D. Sigismundi & Colmanni. Moritur Anno 1461 3. Nouembris, sepultus est in Sacello S. Colmanni, quod ipse fundauit, dotauit & cōsecrauit. Rexit annis nouem cum dimidio, reliquit ingentem Thesaurum in Camera. Monetæ tum pondus per Imperatorem Fridericum, hunc Archiepiscopum & Leonhardum Patauiensem imminutum, septima pars lucrifacta, nigra moneta, vt vocant, in albam permutata. In Boiaria quoq; Ludouicus Dux, quintam partem argenti æri miscuit, & denarios, quos Schinderlingos vocant, percussit. In omnium rerum summa fertilitate, vilitateq; annonę, fame laboratum est. Nemo vinum, frumentum, aliúdue hoc ære vendere voluit. Veteres nummi à diuitibus coëmpti seruabantur, vulgus nouos duntaxat habebat & recipere cogebatur: Tandem Ludouicus Dux, abolita noua moneta, veterem ferire coactus est. Auent. lib. 7. fol. 833.

52. BVRCKHARDVS à VVeispriach, Præpositus Salisburgensis, cui successit in Præpositura D. Fridericus Pranecker, fit Archiepiscopus, Anno 1461. Iste in initio statim sui Archiepiscopatus ordinauit 12. Presbyteros, 6. Religiosos, 6. Seculares, qui præessent Choro Salisburgensi, & omnia ad diuinum cultum spectantia ritè exequerentur, dimissis Choralibus (vt vocant) qui primam Missam soliti erant canere apud S. Vergilium. Impetrauit etiam à Pio secundo, Pontifice Maximo, extinctionem Monasterij Monialium Ord. S. Augustini, prope Parochiam, eique præfecit prædictos Sacerdotes, vt ibi cibum caperent, & habitarent. Redditus annuus singulorum erat 70. floreni Rhenenses: Sed, quia Burckhardus Archiepiscopus non diu vixit, ista fundatio per Capitulum fuit abolita, Presbyteri dimissi & Chorales reuocati: Monasterium verò Monialium manet extinctum, desolatum, & postea planè dirutum.

Anno 1462. propter nimias exactiones, quas Burckhardus Archiepiscopus suis imposuit, orta est seditio rusticorum Montanorum, qui sese Archiepiscopo opposuerunt; multasque arces & munitiones in Montanis locis occupârunt. Rogatus est Ludouicus, Bauarię Dux, qui per suos Legatos inducias fecit, vsque ad proxima Comitia prouincialia, in quibus lis ista integrè sopita est, mediatoribus, domino Georgio Haunsperger, dño VVilhelmo de Albm, dño VVilhelmo Trauner, VVilhelmo Turner, Hartmāno Nusdorfer, Marco Nusdorfer, rusticorū deputatis Patronis, &c.

Eodem tempore prædictus Burckhardus factus est Cardinalis Tituli S. Nerei & Achillei, qui, vt mos est, Cardinalium ingressus Templum, benedixit populo; posteà celebratum est sacrum in Ara S. Rudperti, præsentibus Principibus.

Anno 1464. Burckhardus fecit ex Ecclesia filiali in Müln Collegium decem Sacerdotum: Curauit item fieri tabulam argenteam in Choro, ex 440. Marcis argenti,

genti, septem Vnciis. Dedit item Aurifici VVolfhardo Faust nouem Marcas & decem Vncias auri optimi, & vniones pretiosissimos ad faciendam Thecam, quam Monstrantiam vocant, pro circumferendo sacratissimo Corpore Christi; sed fuit morte præuentus Burckhardus, antequam absolueretur opus; Postea eius Successor impignorauit aurifabro illam pro 668. florenis, quæ postea iussu Capituli redempta fuit per Custodem, & deinde Crux aurea facta, continens auri Marcas decem ad Chorum, Anno 1492.

BVRCKHARDVS Cardinalis & Archiepiscopus, moritur Anno 1466. 16. Februarij, cùm rexisset Archiepiscoparum annis quatuor, sepultus est ante Aram D. Rudperti.

BERNHARDVS à Ror ex Austria, Plebanus Salisburgensis, electus est Archiepiscopus, Anno 1468. in festo S. Matthię Apostoli; deinde Dominica, infra octauam Corporis Christi, in ciuitatem introductus, præsente Sigismundo, Duce Bauarię; Dominica sequenti per Episcopos, Frisingensem, Ratisponensem & Gurcensem consecratus; & Dominica sequenti, frater Rupertus Keutzl per prædictum dominum Bernhardum in Abbatem S. Petri benedicitur. 53.

ANNO 1467. obiit dominus Fridericus Prancker, Præpositus, cui succedit dominus Caspar de Stubenberg.

ANNO 1471. Fridericus tertius Imperator Conuentum Principum Ratisponæ indixit, cui interfuit etiam Bernhardus Archiepiscopus Salisburgensis, vbi in publica audientia Principum Imperatori dormitanti dixit Orator Apostolicus: Serenissime Imperator, non hue veni, vt te à somno excitem, sed vt tibi currenti calcar adhibeam; minimè alioquin certè in administratione imperij dormitabat hic optimus Imperaror.

ANNO 1473. in Vigilia Paschatis, Fridericus Imperator, vnà cum filio suo Maximiliano, Salisburgum venit, Augustæ Comitia celebraturus, de expeditione contra Turcos facienda; vbi tamen nihil actum est, sicut neque antea Ratisponæ. Confluxerunt ad eum quàm plurimi Principes; inter quos fuerunt Georgius, Sigismundus & Christophorus, Duces Bauariæ, qui omnes feria secunda Paschatis Danubio cum Cæsare abierunt.

HOC ANNO in vere tantus fuit æstus, vt circa festum S. Gertrudis, quasi omnes arbores florerent; Deinde in æstate montes ignem spirarent, & ex terra de radicibus arborum exiret ignis.

ANNO 1474. Dominus Iohannes Tulbeck, Frisingensis Episcopus, propter senectutem resignauit Episcopatum domino Sixto Tannberger, Canonico ibidem, & Electo Gurcensi, qui in die S. Paschæ Salisburgi ab Archiepiscopo Bernhardo in Choro consecratus est, astantibus sibi Bernhardo Chiemensi, & Sigismundo Salensi, Episcopis.

ANNO 1475. obiit Generosus dominus Hadmarus de Laber, Officialis & Decanus Salisburgensis, qui legauit in Testamento Archiepiscopo mille florenos, & Ecclesiæ Salisburgensi omnia sua vasa & Clenodia argentea; Ex quibus postea imago D. RVDPERTI facta est in pondere 100. Marcarum, & duodecim Vntiarum.

ANNO 1477. Maximilianus, Friderici Imperatoris filius, Archidux Austriæ, Salisburgium venit, profecturus ad nuptias, cum Maria filia Caroli Ducis Burgundiæ celebrandas.

EODEM anno, obiit Reuerendus in Christo Pater, dominus Bernhardus de Kraiburg, Episcopus Chiemēsis, Doctor & Pater deuotissimus, cui successit D. Georgius Altorfer, Cancellarius Curiæ Salisburgensis, Landshutę natus.

Anno 1478. 24. Octobris, obiit Reuerendus Pater, dominus Casparus à Stubenberg, Præpositus Ecclesiæ Salisburgensis in Muravv, mortuus in itinere, quod susceperat gratia visitandi Imperatorem in Grätz, cuius Consiliarius erat; deportatus est Salisburgum, & sepultus in Capitulo, cui successit Christophorus Ebron, Canonicus Salisburgensis, die 9. Nouembris.

Anno 1479. Reuerendissimus in Christo Pater & dominus Ansias, Tituli S. Sabinæ montis regalis Presbyter Cardinalis, Salisburgum venit, visitaturus Imperatorem Viennæ, in caussa resignationis Archiepiscopatus, de qua posteà: Vnde reuersus est in Vigilia S. Bartholomæi, & iuit Augustam & Norinbergam ad Principes Germaniæ, cum quibus egit de causa Turcorum.

Eodem anno in bello, quod Archiepiscopus contra Fridericum Imperatorem gessit, impignorauit Matthiæ Vngariæ Regi totum Vicedominatum, in Friesach, cum castris & vrbibus, quæ ille per vndecim annos tenuit; Redempta posteà tempore Friderici Archiepiscopi, & ad Ecclesiam reuersa præter Gmunden.

Bernhardus iste Archiepiscopus fuit homo quietus & tranquillus, propterea onerum ferendorum impatiens, cogitauit de resignatione Archiepiscopatus, eoque magis, quòd Turci excursionibus deuastarent terras Ecclesiæ Salisburgensi subiectas, & vexaretur ipse etiam ab Imperatore & vicinis Principibus. Elegit itaque dominum Sixtum à Tannberg, Episcopum Gurcensem designatum, qui posteà factus est Episcopus Frisingensis. Quod cùm Imperator Fridericus intellexisset, vocat Archiepiscopum ad sese in Volckenmarckt, & petiit ab ipso, ne sine suo consensu Episcopatum resignaret. Fuit his temporibus apud Matthiam Vngariæ Regem quidam Archiepiscopus Strigoniensis, nomine Iohannes Vratislauia oriundus, qui paulatim plurima beneficia in Vngaria adeptus fuerat; homo sagax, multarum linguarum peritus & prædiues. Hunc Imperator ad sese Viennam, inscio Rege Vngariæ, allexit, vendiditque ei magna pecuniæ summa totum Dominium Steir, cum pluribus Castris, perpetuis temporibus possidendum. Interea, post aliquot annos, Bernhardus Archiepiscopus misit ad Imperatorem, D. Gebhardum Peuscher, Equitem & Capitaneum Salisburgensem, vulgariter Landtshauptman dictum, qui illum certiorem faceret de resignatione Episcopatus: Imperator voluit in illius locum substituere Iohannem prędictum, Archiepiscopum Strigoniensem, atque, vt res in occulto maneret, vocauit ad sese Bernhardum in oppidum Gräz, quasi consultaturus de bello Turcis inferendo; ibique in præsentia Iohannis Archiepiscopi Strigoniensis, D. Balthasari de VVeispriach, & D. Gebhardi Peuscher, exclusis cæteris Consiliariis, cum Bernhardo de resignatione Iohanni facienda egit, quæ omnia Bernhardus in præsentia iam nominatorum scripto confirmauit. Cùm verò Bernhardus posteà mentem Imperatoris suis aliis Consiliariis aperuisset; illi, audita perione Imperatoris, rem cum magno Ecclesiæ Salisburgensis periculo coniunctam esse dicebant, &, vt negotium priùs cum Capitulo ac statibus Prouincialibus communicaret, sedulò hortabantur: Hic quamprimùm domum reuersus, conuocatis Capitularibus & Prouincialibus caussam proposuit.

Interfuerunt Concilio Legati Imperatorij, Comes Schaffridus de Leiningen, Bernhardus de Scherffenberg, & M. Iohannes Kelner, Procurator Fiscalis; cumque maxima pars Prouincialium Bernhardum obnixè rogarent, vt Episcopatu, quem semel susceperat tuendum, diutius fungeretur, eique suum obsequium denuo offerrent, Bernhardus ipsorũ precibus victus consensit. Imperator per Legatos de tota re certior factus, ob tam insignem contumeliã, omnes munitiones & castra ad Ecclesiam Salisburgeñ. pertinẽtia, in Ducatibus Austriæ & Stirię occupauit, Tackenpeunt & Vanstorf funditus euertit. Bernhardus Archiepisc. cùm ei resistere nõ posset,

possett, fœdus iniit cum Matthia Rege Vngariæ, tunc hoste Cæsaris, eiq; omnes arces & ciuitates, quæ ab Imperatore nondum occupatæ erant, in tutelam rradidit; Hinc ex vtraque parte rapinæ, cædes & vastationes sunt subsecutæ; Tandem Bernhardus, multis acceptis damnis, Viennam iuit ad Imperatorem, & pluribus renitẽtibus Episcopatum resignauit, & Iohãnem Strigoniensem Archiepiscopum secum Salisburgium, in Vigilia Epiphaniæ, adduxit.

Anno ergo 1482. 14. Ianuar. in pręsentia duorũ Capitularium & Prouincialium, cessit administratio Ecclesiæ Salisburgensis Iohanni Strigoniensi Archiepiscopo; ita tamen vt recuperaret Eccclesiæ Salisburgensi dominia ac bona, in hac dissensione amissa; & Capitulum vnà cum Prouincialibus à iuramẽto, quod dederãt Regi Vngarię, per Bernhardum absolutũ est, excepto Christophoro ab Ebton, Pręposito, qui voluit fidem Matthiæ Regi Vngariæ datam seruare, & propterea exulabat vsque ad finem vitæ suæ in Halmberg & Müldorf, obiitq; Anno 1491. 20. Ianuarij, sepultus in Capitulo Salisburgensi, per istam cessionem, Bernhardus mitigauit aliquo modo iram Imperatoris: Certè isto casu Ecclesia Salisburgensis magnam rerum suarum fecit iacturam, quæ plus quàm centum mille Ducatorum æstimata fuit.

IOHANNES Strigoniensis pòst Salisburgensis Archiepiscopus factus est, Anno 1482. Iste, vt damna & impensas, quas Salisburgensis Episcopatus antea fecerat, resarciret, nouum vectigal instituit, ex sale, de quo singulis annis plus quàm 4000. florenos sustulit. 54.

Eodem tempore impetrauerunt ciues Salisburgenses ab Imperatore Friderico, consentiente Episcopo Iohanne, ius creandi singulis annis Consules & Magistrum ciuium, quibus antea carebant. Rex Vngariæ Matthias ex Castris, quæ in tutelam à Bernhardo Archiepiscopo acceperat, præsertim Castro & vrbe Friesach, cum Vicedominatu illius, decedere noluit; Eò quòd Bernhardus sine ipsius consensu Imperatori reconciliatus fuerit, eique datam fidem fregerit. Idcirco Castra ea retinuit, vsque dum vixit, quæ post ipsius mortem per Fridericum Archiepiscopum demum recuperata sunt, &c. Ipse Bernhardus in Titmoning professus est, nihilominus priorem titulum vsurpans, & in arce illa reliquum vitæ exegit, in qua Anno 1487. ictus Appoplexia obiit. Auectus est inde Salisburgam, & in summo Templo, coram altari D. Virginis, sepultus, cùm rexisset annis 21.

Mortvo Iam Bernhardo, Domini Capitulares postulârunt, vigore suprà allegatæ, prætensæ consuetudinis, vestes defuncti Archiepiscopi, quas cùm Iohannes iste illis dare recusâsset, maior pars Capitularium, nempe Sigismundus Hohenecker, Ruodolphus Kienberger, Christophorus Notthafft, excesserunt vrbe ad Christophorum Ebron, ipsorum Prępositum, qui tùm in Müldorff exulabat, eumque in Episcopum elegerunt: Nullus itaque Canonicorum in vrbe remansit, præter Decanum, Andream Mautner de Katzenberg, & Fridericum Comitem de Schaunberg, Plebanum, qui non consenserant in illorum electionem; Sed & Canonici illi vnà cum Præposito electo fuerunt posteà excommunicati.

Iohannes Archiepiscopus ex mandato Imperatoris duas Legationes susceperat: Vnam in Burgundiam & Brabantiam ad Maximilianum Imperatoris filium; Alteram ad Principes Imperij, pro eiusdem Maximiliani electione, in Regem Romanorum, fecitque tùm magnos sumptus, sine tamen detrimento Ecclesiæ Salisburgensis; Et si ipsi vita suppeditâsset longior, maximo emolumento fuisset eidem Ecclesiæ: Erexit multa ædificia, & collapsa vetera reparauit; Reliquit multa Clenodia & vasa aurea & argentea, quæ secum ex Vngaria attulerat; Dono dedit item Choro summi Templi Crucem auream, valentem septem Mar-

cas auri, pretiosissimis lapidibus ornatam; Item Infulam gemmis intertextam. Mortuus est, Anno 1489. Mense Decembri, Ictericus & Hydropicus, sepultus ante Aram S. Rudperti, præfuit Annis septem, Menses vndecim.

55. FRIDERICVS quintus, Comes à Schaunberg, Plebanus Salisburgensis, eligitur Archiepiscopus post mortem Iohannis, per venerabiles Patres, D. Rupertum, Abbatem sancti Petri, Iacobum, Abbatem sancti Michaëlis in Beurn, & Magistrum Leonhardum Angerer, caussarum Procuratorem; in quos suprà dicti, Decanus & Parochus Salisburgeñ. soli ibi residẽtes, reliquis Canonicis, vt dictum est, exulantibus compromiserant; Confirmatur clementissimè à Summo Pontifice, & Anno 1490. Dominica Iubilate, intrauit ciuitatem, &, vt mos est, benedixit populo; sequenti die accepit iuramentum à suis, à Prouincialibus & ciuibus; Dominica Cantate à Gregorio Episcopo Chiemensi consecratur, in præsentia Seccouiensis, Lauentinensis & Salent. Episcoporum.

ANNO 1493. die 19. Augusti, in funere Imperatoris Friderici, cùm iste Fridericus exequias cecinisset, Viennæ apud sanctum Stephanum, à Maximiliano Romanorum Rege regalia magna cum solennitate accepit, quæ antea ab ipso Imperatore Linzæ bis petierat Archiepiscopus Fridericus, nec tamen impetrauerat.

ANNO 1494. die 4. Octobris, Fridericus Archiepiscopus Hydropicus moritur. Redemit iste Fridericus supradictum Vicedominatũ Friesacensem à Stipendiariis Regis Vngariæ Matthiæ, qui Anno 1490 obierat. Rexit Fridericus Annos quatuor, Menses decem, sepultus est in Sacello S. Annæ.

56. SIGISMVNDVS secundus ab Holeneck, Decretorum Doctor, Magister Hospitalis, fit Archiepiscopus, Anno 1495. die 16. Octobris, die 15. Nouembris, fuit per Alexandrum sextum confirmatus: Deinde, sexto die Februarij anni sequentis, intrauit ciuitatem, benedixitq; populo. Posteà, quinta Dominica post Epiphaniã, à Gregorio Episcopo Chiemensi, præsentibus Episcopis, Patauiensi, Lauentinensi, Seccouiensi & aliis Prælatis, est consecratus.

EODEM ANNO, Sigismundus VVormatiam profectus est, vbi Roman. Rex, & alij Principes Comitiis intererant; habebat secum comitem itineris, D. Gregorium, Episcopum Chiemensem, qui vix Salisburgo egressus, in ponte fluuij Sala Apoplexia ictus, & reductus Salisburgum, mortẽ obiit: Die quinto pòst, Archiepiscopus de ipsius morte certior factus; die sancti Floriani in Pruck, propè Fürstenfeldt, contulit Episcopatum Chiemensem D. Ludouico Ebmer, Præposito sancti Zenonis, & Officiali Curiæ Salisburgensis, quem postmodum secum VVormatiam duxit: Die autem Corporis CHRISTI, qui fuit 18. Iunij, Maximilianus Romanorum Rex contulit Regalia Ecclesiæ Salisburgensis Sigismundo Archiepiscopo, in camera Curiæ Episcopalis, coram Electoribus & multis Principibus. Finitis paucis diebus, Sigismundus Archiepiscopus, propter debilitatem corporis, iter SALISBVRGIVM versus arripuit, sed inualescente morbo in oppido Müldorff mortem obiit, tertio Iulij, Anno 1495. Ductus est SALISBVRGIVM, & sepultus ante Aram sanctæ Crucis, cùm rexisset Ecclesiam post consecrationem Mensibus quinque, diebus quinque.

57. LEONHARDVS à Keutschach eligitur Archiepiscopus, Anno 1495. 7. Iulij. Iste Anno 1460. cùm esset adhuc Iuuenis, venit in Monasterium Oberndorff in Carinthia, prope VVolckenmarckt; ibi fuit anno probationis vsq; ad Annũ 1461. factaque professione, mansit in co statu vsq; ad Annum 1467. ibi fit Oeconomus Monasterij; posteà Anno 1473. creatus est Præpositus ad D. LAVRENTIVM. Eo munere functus est Annis octo, vsque ad Annum 81. Quo Anno electus est, die sancti EGIDII, Præpositus dicti Monasterij Oberndorff: Ei dignitati præfuit Annis nouem,

nouem, vsque ad Annum 1490. Ibi Monasterium & Præposituram, quæ per ignem cælitus incensa conflagrârant, instaurauit, & ab irruptionibus Turcorum egregiè defendit. Cùm verò Præpositura Salisburgensium, partim dissensione Capitularium, partim bellis intestinis exhausta, in potestatem cuiusdam Cardinalis Galli deuenisset; ipse Leonhardus Romam profectus, eam fauore Imperatoris Friderici tertij 3000. floren. è manibus Cardinalis redemit, eamque multis honorariis & Clenodiis auxit & ornauit; Cumque Præposituram Annis octo laudabiliter rexisset; tandem consensu Capituli Reuerendo admodum in Christo Patri, D. Rudolpho à Kienburg, Canonico & Plebano Salisburgensi, eam contulit.

Anno 1498. Leonhardus Archiepiscopus omnes Iudæos, quorum fraude & auaritia pauperes nō mediocriter grauabantur, Salisburgo & tota ditione Salisburgensi expulit, & seuerè statuit, ne cuiquam Iudæo, vel vsurario commorandi facultas inter suos præberetur; posthabitis etiam vectigalibus, quæ Iudæi singulis Annis Cameræ Episcopali pendebant.

Anno 1500. quidam ciues primarij Salisburgenses, facta conspiratione, eximere sese conati sunt Iurisdictioni Episcopatus; sed Leonhardus, cognitis ipsorum consiliis, inuitauit illos ad sese, tanquam conuiuio excepturus: Quos cepit, captiuosq; iussit in Arcem deduci: statuerat enim ipsos pœna capitis afficere. Sed interuentu & intercessione quorundam Magnatum, qui fortè fortuna aduenerant, certis conditionibus illis vitam concessit.

Magnis beneficiis iste Archiepiscopus Ecclesiam Salisburgensem cumulauit, multa prædia ab Episcopatu bellis abalienata & direpta redemit & instaurauit.

Decimas & alias possessiones in Vicedominatu Leibnitz, plusquàm 22000. floren. redemit: Similiter & Gmund, solutis Regi Romanorum Maximiliano 30000. floren. in potestatem Episcopatus redegit, vbi & Arcem, quæ incendio perierat, iterum erexit; nouumque Dominatum de Rupa, à generosis Dominis de VVeispriach 7000. floren. emptum, Episcopatui adiecit; Castrum item Stall, cum omnibus ad id pertinentibus, Dominis de Graben quondam oppignoratum, à Domino Vergilio de Graben redemptum, Archiepiscopatui denuo incorporauit.

Praefecturam Vandorff à Friderico Hofman, Dominium VVildeneck cum omni Iurisdictione, Monasterium Mansee, cum oppido ibidem & S. VVolffgango, à Romano Rege Maximiliano 12000. floren. emit: Dominia Voytgericht Müldorff, Item Hochgericht prope Müln, Ducibus Bauariæ impignorata, ab Illustrissimo Duce VVolffgango, Tutore Illustrissimorum Ducum Bauariæ, VVilhelmi, Ludouici, Ernesti, &c. 9000. floren. Vngaricis, Archiepiscopatui acquisiuit: Insuper Arces quasdam in Ducatu Austriæ, Stiriæ & Carinthiæ, vetustate penè conuulsas, reparauit: Ex quibus sunt Traismaur, Frisiacum, Leibnitz, Lanndsperg, Dackenprunn, Stein, Oppidulum ad S. Andream in valle Lauentina, Altenhouen, Lebnavv, Stauffeneck, &c. Vinaria quoque in Rastat fieri, & montem vulgò Rattstatter Thaurn/ vt onustis curribus iter præberet, præparari curauit; vulgò die Werck/ prope flumen Salzach ab Hallen, vsq; in Ditmoning, noua itinera Hirschpunt/ versùs Rauris, Dâchsenpach, magnis impensis fieri curauit; signauit quoque florenos Vngaricos & Rhenenses ex auro optimo: Item grossos & obulos argenteos in iusto valore & pondere.

Altare S. Rudperti, in Choro summi Templi, multis pretiosis Clenodiis, et verè Archiepiscopali munificentia & liberalitate decorauit.

Arcem firmissimam ciuitatis Salisburgensis muniuit fossa, aliaq; insignia ædificia in ea extruxit, & duo Sacella ædificauit, quæ ipse consecrauit: Quæ omnia plus quàm 26300. floren. constitere: Castellum & ciuitatem Pettavv, quæ in bello Vngarico Matthiæ Regis Vngarorum & Friderici Imperatoris, in potestatem Friderici & filij Maximiliani venerant, à Maximiliano, singulari vsus prudentia 20000. florenis Episcopatui iterum asciuit.

Castrum vter in Comitatu Tyrolensi situm ab Imperatore Maximiliano redemit; Altare S. Hieronymi in summo Templo propriis sumptibus fieri instituit, Missamq; perpetuam in eo fundauit; cui de omnibus necessariis calicibus, patinis & reliquis ornamentis copiosissimè prouidit.

Anno 1519. Leonhardus Archiepiscopus, cùm laudabiliter & verè paternè Episcopatui præfuisset Annis 24. moritur in Arce Salisburgensi, feria tertia post festum Erasmi, sepelitur in Sacello D Hieronymi. De Leonhardo isto ac successore eius Matthæo Maximilianus Cæsar facetè admodum fertur dixisse, habere se duos Capellanos, quorum alterum, non possit exhaurire, alium verò non replere, alludens ad huius parsimoniam, & alterius sumptuositatem, &c.

58. MATTHAEVS Lanngà VVellenburg, peruetusta Patriciorum Augustanorum familia natus, Præpositus primùm Augustensis, deinde Gurcensis Episcopus, factus posteà Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, & Maximiliani Imperatoris intimus Consiliarius, fit Archiepiscopus, Anno 1519. Fuit Vir singularis prudentiæ & doctrinæ, magnificus, beneficus, & maximè hospitalis, qui de omnibus infimis pariter ac summis benè mereri studuit, & proprerea apud omnes Principes Germaniæ, præsertim apud Maximilianum Imperatorem, cuius intercessione ad hunc Episcopatum peruenit, magna valuit authoritate.

Anno 1523. Dissensio inter ciues & Archiepiscopum facta est, eò quòd ciues noluerint illi debitam obedientiam præstare: Quod cùm intellexisset Archiepiscopus, clàm in Comitatu Tyrolensi conductis militibus, quibus præfecit Leonhardum à Vels, ad Gräding castrametatus est: Quare ciues consternati mittunt ad eum Legatos, orantq; veniam & pacem; Archiepiscopus instructa acie ciuitatem ingressus, supplices omnes in fidem recepit: Quod posteà latinum bellum, Germanicè Der Lateinisch Krieg dictum est.

Svb hoc Matthæo orta est seditio Rusticorum & Ciuium, qui Episcopatui parebant, propter quendam capitis supplicio affectum, nomine Stöckl, qui vnà cum aliis per vim eripuerat Archiepiscopo Sacerdotem, quem aliena à fide Catholica docentem Matthæus Arhiepiscopus iusserat perpetuæ custodiæ tradi: Isti tumultus sedati posteà sunt, mediante Ludouico, Duce Bauariæ, Anno 1526.

Hoc Anno 16. Nouembris, obiit D. Rudolphus à Kienburg, Præpositus, & Archidiaconus Salisburgensis, sepultus in ambitu, Vir omnium virtutum splendore ornatus, diuini cultus & Christianæ religionis diligentissimus obseruator, in oratione feruentissimus, in celebrando frequentissimus; ei substitutus est D. Balthasar à Lamberg, Canonicus, Decanus & Officialis curiæ ibidem.

Rvstici iterum violata fide, quam Domino suo dederant, seditionem molli sunt; sed illis Archiepiscopus 13. signis militum occurrens, dispalauit & prostrauit ipsorum Agmen. Multa præclara ædificia in Aula & Arce ciuitatis construxit, plantauit idem vineam, quæ respicit pratum Abbatis S. Petri, eamq; omnis generis exoticis arboribus locupletauit. Mortuus est Anno 1540. feria tertia paschali, cū vixisset Annis 72. & præfuisset Ecclesiæ Salisburgensi Annis 20. & 10. Menses, sepultus est in summo Templo ante Aram D. Rudperti.

ERNE-

ERNESTVS Comes Palatinus Rheni, Bauariæ Dux, Alberti & Kunegundis, Friderici Imperatoris filię proles, à Iohanne Auentino Historico rudimēta bonarum literarum percepit, Iasonem Maynum Ticini paucis diebus audiuit, Mathematicas disciplinas amauit: Rerum fossilium & Metallicarum tantam est assecutus notitiam, quantam in tota Germania quiuis alius. 59.

FVIT Patauiensis Episcopatus Administrator; Postea, Matthæo Lango mortuo, factus est Archiepiscopus Salisburgen. Anno 1540. impetrauit pallium à Paulo tertio summo Pontifice, per suos Nuncios, qui fuerant de Capitulo, V.Vilhelmum de Trautmansdorff & Eberhardum de Hirnhaim, Canonicos, Christophorum, Trauner ex Nobilibus, & Bertholdum Tenn ex ciuibus. Fuit Princeps placidissimus & laboriosissimus, qui die & nocte supplices suorum libellos legit, decreuit, decreta etiam nonnunquam Amanuensibus ipse dictauit, summaq; tranquillitate prouinciam, sine exactionibus & grauaminibus, administrauit annis 14. Cùm verò natura propensior esset ad res domesticas procurandas, quàm spirituales obeundas, maioresq; Ordines suscipere nollet, nec longiorē dispensationem à Summo Pont. impetrare posset; tandem Anno 1554. Episcopatum Capitulo Salisburgensi liberè resignauit.

ISTE posteà Ernestus in Comitatū Glatz, in Bohemia, nuper à se ex proprio patrimonio emptum, profectus. Ibi vixit vsq; ad Annum 1560. quo mortuus est Mense Decembri: Reuectus posteà Monachium apud Maiores suos sepultus est. Multis ille pretiosis vestibus & Casellis, ad rem sacram faciendam necessariis, Ecclesiam Salisburgensem, pio erga Catholicam religionem affectu auxit. Auxit item stipem 12. Vicariis & 6. Choralibus; illis 5. his verò duob. florenis singulis Angariis, cùm certis ac perpetuis redditibus.

MICHAEL à Khienburg, Carinthius, Canonicus Salisburgensis & Patauiensis, Vir pietate, vitæ castimonia, doctrina & beneficentia in omnes, præsertim in pauperes & studiosos insignis, factus est Archiepiscopus, Anno 1554. Eodem Anno impetrauit Pallium Romæ. 60.

ANNO sequenti die Trium Regum, intrauit Vrbem Salisburgensem, more solito: Interfuit binis Comitiis Augustanis, sub eo tametsi multa Nobilitate, aliisque splendidam Aulam haberet; nihilominus res Salisburgensis Ecclesiæ mirum in modum creuerunt, & ex fodinis Metallicis ita auctæ sunt, vt vix multis retro Annis vnquam.

MVLTIS præclaris ædificiis Aulam & ciuitatem illustrauit & ampliauit. Dum autem ex Bauaria à venatione, ad quam ab Alberto Duce Bauariæ Geysoueldam vocatus fuerat, domū properaret, in itinere, non procul ab illo vico in mediis campis, Apoplexia extinctus est 17. Nouembris, Anno 1560. Corpus Salisburgum allatū, cum maximo omnium planctu exceptum, & honorificè sepultum est ante Aram D. Rudperti. Rexit Annis sex.

IOHANNES IACOBVS Khuen Tyrolensis, Decanus Brixiensis, & Canonicus Salisburgensis eligitur concordibus votis Canonicorum, 26. Nouembris, eodem Anno 1560. confirmatur, sequenti Anno, ac per VVolffgangum Patauiensem Episcopum Pallio à summo Pontifice misso decoratur. Tentauit, eodem Anno in Decembri, Alueum salsæ fluminis, apud Goldingum oppidulum, inter horridas rupes nimis angustum dilatare ac nauigabilem facere, & hoc non sine magnis sumptibus, sed ob loci asperitatem, precipitisque Catharactæ difficultatem frustra, &c. Anno 1562. arcem VVerffen loco natura munitissimo, ex antiquis ruinis vindicandam statuit, eamque cita extruxit, ac tormentis 61.

mentis bellicis communiuit, vt hostiles etiam maximos impetus sustinere possit. Eodem Anno, conuocatis Episcopis, Frisingensi, Ratisponensi, Patauiensi, Brixinensi, ac cæteris Suffraganeis, cum illorum, necnon Alberti Ducis Bauariæ Legatis Salisburgi de legatione ad Concilium Tridentinum consultatum est, eoque missi sunt in Aprili, hercules Retinger, Episcopus Lauantinus, Felicianus Ninguarda tùm Theologus, nunc Episcopus Scalensis, & Apostolicus Nuncius, & Iohannes Baptista Ficklerus, eo tempore Secretarius, iam verò I. V. Doctor & Consiliarius Saltzburgen. Vir doctus & Catholicus, qui Annales Salisburgenses sui temporis diligenter collegit, ac mihi quædam communicauit; ex quibus, quæ ad hunc Archiepiscopum pertinent, pro ipsius honore excerpta, & hîc breuibus annotata sunt. Cōmunicauit mihi idem Doctor Ficklerus peruetustum librum, in membranis scriptum, veterum diplomatum ac traditionum Monasterij Admuntensis, cuius in hoc opere etiam aliquando fit mentio, &c.

Interfuit hic Arciepiscopus Comitiis Augustensibus Anni 1566. nec non conuentui Electorum Ratisponæ Anni 1576. In quo Rudolphus Rom. Rex electus est, necnon sequentibus Comitiis, in eadem Ratisponensi vrbe, Anno, &c. 77. celebratis, non solùm Austriacis Principibus Rom. Imperatoribus ac Regibus: Verùm etiā Electoribus ac cæteris, præsertim Augusto Electori Saxoniæ & Alberto Bauariæ Duci, cuius ferè omnes Nepotes ex filio VVilhelmo propria manu baptizauit, acceptissimus & amicissimus. Anno 1567. die 30. Iulij, flumen Salsa duarum noctium vniusq; diei imbribus vsq; ad vesperam ita excreuit, vt pontem, qui vrbem Salisburgensem suburgio iungit, cubito altiùs superârit, quem aquarum vis, nisi ingenti robore tam arcte connexus ac maximo pondere grauatus foret, planè sustulisset: Ex inundatione ista innumerabilia damna facta, tùm in hominibus, quorum nō pauci perierunt, tùm in iumentis, ędificiis, agris, pratis, hortis, lignis, sceptis riparum, munimentis & aliis, præsertim apud Hallulam oppidum supra Salisburgum; vbi officina Salis coquendi destructa atq; ingens copia parati Salis submersa periit, quæ omnia damna vltra valorem centum mille aureorum ęstimata sunt; obseruatum tum est, ipsam dictionem Diluvium, huius Anni inundationem penè indicare, cùm ex eius literis, quæ omnes numerales sunt, hic Annus 1567. colligatur, &c.

Hoc ipso Anno 17. die Octobris, circa meridiem Salisburgi, ventus vehementissimus exortus, per noctem in diei sequentis meridiem durans, non solùm pleraq; tecta detexit; verùm etiam ædificia grauiter concussit, aliqua diruit, & cùm flatu turbinoso ac calido niues alpium non pridem proiectæ resoluerentur, concurrentibus vndiq; torrentibus, flumina, inter quæ & Salsa, iterum adeò excreuerunt, vt riparum aggeres nuper maximis sumptibus ac laboribus refecti denuo deuastârint, deniq; parum minoris damni, quàm superior attulerit inundatio.

Anno 1569. die 15. Martij, Synodus Salisburgi congregata est, cui interfuerunt, Ernestus Bauarię Dux, Administrator Episcopatus Frisingensis, Vrbanus Episcopus Patauiensis: Item Brixinensis, Gurcensis, Secouien. & Chiemensis, Episcopi; præterea multi alij Ecclesiarum Prælati & Abbates.

Porro 14. Iunij eodem Anno, ob frequentes & grauissimos imbres, à Kastino alpium oppidulo aquis maximo impetu erumpentibus, 51. domus sublatæ ac solio æquatę sunt, desideratis plus 200. hominibus.

Anno 1570. circiter octauum diem Iunij, in quibusdam locis Salisburgensis Archiepiscopatus & Bauarię de coelo miraculosè frumentum pluit, præsertim in Pręfectura Alten Thann tribus milliaribus à Salisburgo, versùs Austriam; Item Maurkitchij, vico Bauariæ, non procul ab Oeno: Item in Vico Riedensi, aliisq; nonnullis locis, grana frumenti simillima boni saporis, corticis subtilis adeò, vt quicquid substantiæ haberet, totum in se farinam contineret, quod & molendo expertum est.

Circa

Circa eadem tempora summa fuit annonę caritas, famesq; passim; pręsertim in Carinthia, Styria & Austria, terris aliàs feracissimis frumenti.

Anno 1571. tertia die Augusti, Ditmoning ad Salsam situm oppidum ditionis Salisburgen. noctu fulmine tactū, igne inextinguibili, paucis exceptis ędiculis, in loco excelsiorę sitis, ferè totum miserè periit. Pestis quoq; tùm Salisburgi, tum aliis eius ditionis locis grassatur, multis hominum millibus absorptis, Archiepiscopus ad Müldorff confugit.

Anno 1572. 6. Iunij flumen Salsæ iterum inundauit, vt plus quàm viri altitudine inundationum superiorum signa vinceret, nimia scilicet imbrium frequentia maxima damna hominibus, iumentis, ędificiis & aruis inferens; quæ postea maximis sumptibus instauranda fuerunt.

Anno 1573. die 26. Augusti, Salisburgi iam secundò collecti sunt Suffraganei ac Prælati prouinciæ ad Synodum, in qua constitutiones illæ compositæ, quæ Typis mandatę sunt; hæc die 3. Septembris finitur.

Die 13. Nouembris, Salisburgi Cometa apparuit aspectu grandis & terribilis.

Die 26. eiusdem ad oppidum Hallense supra Salisburgum, in Mineris salinariis, intra Montis viscera 6300. pedes ex solido salinario lapide excisus est Vir, ex omni parte integer, cum barba, superciliis, crinibus, vnguibus & vestibus quoque inconsumptis, capite nonnihil compressus, carne consolidata & exiccata, staturæ nouem spitamarum: Constitutum erat hunc Salisburgum deferri, vt ibi obrei mirandæ perpetuam memoriam seruaretur; sed cùm Cadauer hoc per aliquot septimanas aëri expositū, diffluere ac corrumpi inciperet, terræ conditum fuit. Coniectum est, hunc ante hominum memoriam inter fodendum casu quodam absorptum huc vsq; delituisse.

Idem Archiepiscopus iam inde propemodum ab initio sui regiminis, montem illum, qui supra Hallulam est, & Dirrenpach appellatur, indicibili sumptu, propter eruendam salis materiam suffodi, atq; per aliquot millia pedum spacium, per solida Saxa meatu, vsque ad salis mineras excindi curauit, quo loco Mons Iohannis Iacobi nunc vocatur. Aulam quoq; Episcopalem in Vrbe Salisburgensi multis nouis ac splendidis ædificiis exornauit.

Vias ad Salsam fluuium per angustias inter Goldingum & peruiam, id est, VVerfen, & vlterius ad Fericiam flumentum rapidissimum, qua valle peruia Rastadium itur, per durissimma Saxa ampliauit, produxitq; maximis laboribus & expensis. Multo autem maioribus nouam per montes Arulæ maioris excindi fecit

Anno 1579. in festo S. Matthiæ Apostoli, qui fuit dies 24. Februarij, D. Archiepiscopus apoplexia corripitur, dum à prandio in cœnaculo Aulico comœdiam auscultat.

Anno 1580. 18. die Iulij vnanimi consensu Capituli electus & datus est Archiepiscopo coadiutor D. Georgius à Kienburg, Canonicus ac Præpositus ibidē, Vir iuxtà pius, doctus ac exemplaris, vt hic quotidianis ac grauioribus negociis præesset, ac decumbēs Archiepiscopus minus molestaretur. Confirmata est hæc electio à Sede Apostolica, atq; electus propter maiorem cōmoditatem in curiam Episcopalem hoc 1581. anno commigrauit, quo ipso anno in autumno ego vtrumq;, cùm Salisburgi essem, officiosè visitaui, deprehendiq; in Archiepiscopo defectū quidem sinistræ manus ac pedis; verùm aliàs intellectum integrum ac linguam in respondendo ac interrogando adhuc pro qualitate satis expeditam. Omnipotens vtriq; suam gratiam diutiùs viuendi ac benè gubernandi præstare velit. Amen.

Præpo-

Præpositorum summi Templi Salisburgensis Catalogus.

1. HERMANNVS *primus Præpositus Salisburgensis moritur, Anno 1119.*
2. GEBNO *obiit Anno 1136.*
3. HVGO *obiit Anno 1170.*
4. SIBOTO *obiit Anno 1184.*
5. GVNDACHERVS *moritur Anno 1196.*
6. BERTOLDVS *Romæ moritur Anno 1200.*
7. BERNHARDVS *olim Præpositus de Berchtensgaden, posteà Salisburgensis, eo ipso Anno resignat Præposituram, 5. Idus Augusti in Rastat.*
8. ALBERTVS *Chiemensis Præpositus resignat Præposituram Anno 1212.*
9. OTHO *factus Episcopus Gurcensis, Anno 1212.*
10. ADALBERTVS *moritur Anno 1219.*
11. ADALBERTVS, *Salisburgensis Ecclesiæ Custos & Canonicus, qui Anno 1232. Episcopus Chiemensis creatur.*
12. CHVNO, *Decanus Salisburgensis Ecclesiæ obiit Anno 1242.*
13. OTHO *Canonicus Salisburgensis obiit Anno 1262.*
14. FRIDERICVS *de Wallen factus posteà Archiepiscopus Salisburgensis, Anno 1270.*
15. HEINRICVS *Præpositus Salisburgensis factus, posteà Episcopus Seccouiensis, Anno 1292.*
16. FRIDERICVS *de Mitterkirchen, antea Decanus eiusdem Ecclesiæ, qui eodem Anno 1292. fit Episcopus Chiemen.*
17. HELMBLICVS *obiit Anno 1307.*
18. WICKHARDVS *de Polhaim factus Archiepiscopus, Anno 1312.*
19. FRIDERICVS *de Leibnitz, Præpositus & Archidiaconus Salisburgensis, factus posteà Archiepiscopus Anno 1315.*
20. IOHANNES *Rechensperger, aliàs Reisperger, Præpositus, Anno 1418. Ita habet Chronica Episcoporum.*
21. BVRKHARDVS *de Weißpriach, Præpositus, fit Archiepiscopus Salisburgensis, Anno 1461. cui in Præpositura successit Fridericus Pranckher.*
22. FRIDERICVS *Pranckher obiit Anno 1467.*
23. CASPARVS *de Stubenberg obiit Anno 1478. Mense Octobri.*
24. CHRISTOPHORVS *Ebron, Canonicus Salisburgen. Exul in castro Halbenberg, & Mûldorffij. Obiit, Anno 1491. 21. Ianuarij.*
25. LEONHARDVS *à Keutschach fuit Præpositus, factus Archiepiscopus, Anno 1495.*
26. RVDOLPHVS *à Kienburg, Canonicus & Plebanus Salisburgensis, moritur Anno 1526. die 16. Nouembris.*
28. BALTHASAR *à Lamberg, Canonicus & Decanus Officialis Salisburgen. obiit Anno 15.*
28. EBERHARDVS *de Hirnhaim, Canonicus Salisburgen. qui Anno Domini 1552. factus est Episcopus Eichstadien. Ibidem obiit Anno 1560.*
29. CHRISTOPHORVS *de Lamberg, Canonicus ac Decanus Salisburgen. successit Eberhardo in Præpositura ac obiit Anno 1579.*
30. GEORGIVS *de Kienburg, Canonicus, Vir æquè pius, doctus ac prudens, qui & nuper Reuerendissimi Archiepiscopi Salisburgen. Ioann. Iacobi Khuen coadiutor ac successor legitimè electus, adeoq; confirmatus est.*

FRISINGENSES EPISCOPI.

FRISINGA.

FRISINGENSE oppidum, medio ferè itinere inter Monachium & Lādshuetam, ædificatum putatur eo tempore, quo Romani Bauariam per Præsides Prouinciarum regebant. Locus ille elegantem & amœnum in colle situm & prospectum habet, agrum ex vna parte satis fertilem, ex altera, iuxta flumina, Mosacum & Isaram, prata amœnissima.

In libro maiori traditionum vocato, ibidem (cuius autor Conradus Frisingensis, Sacrista & Canonicus, Anno Domini 1187. sub Episcopo Ottone tertio, sed per alios posteà continuatus vsq; ad tempora Hermanni Episcopi, qui obiit Anno 1421. ex quo pleraq;, quæ sequuntur, sumpta sunt, &c.) de institutione huius Episcopatus ita scriptum reperio,

BEATVS Corbinianus à Gregorio tertio Pontifice Episcopus ordinatus, accepto Pallio, in Bauariam Legatus missus à Thassilone, Sororio Pipini Regis, qui maiordomus dicebatur, & Theodone filio ipsius benignè susceptus, Montem istum, qui Frisinga dicitur, accepit, vbi primò Ecclesiam, quæ vsq; hodie cernitur, in honorem beati Benedicti construxit, & Monachorum Conuentū ibi coadunauit, dotans eam Ecclesiam cum prædiis Maise, aliàs Maies ad Arthesim, prope Tyrolim & Meran, vnde ipse oriundus erat (licet vita seu legenda sua, vt vocant, aliter habeat) Charzes, Camina & aliis, quæ pro 900. Solidis Auri à Pipino Rege acceptis emerat. Confirmauit hæc Pipinus Rex, concedens conuentui facultatem liberam eligendi Episcopi, quæ confirmatio sub VValthone Episcopo, vnà cum aliis Ecclesiæ diplomatibus & ornamentis, incendio periit. Auentinus de institutione huius Episcopi, & de S. Corbiniano, in Annalibus lib.3. fol.283. & seq.285. discrepat in tēpore; nempe quòd hoc sub Theodone 7 Patruo magno Thessalonis, & sub Grimoldo fratre ipsius sit factum, qui ipsum S. Corbinianum Fruxinensi Ecclesiæ præfecerunt, vbi de insidiis ab Vxore Grimoldi S. Viro factis, ac de fuga eius: Item quomodo post mortem Grimoldi, per Hugobertum Ducem Bauariæ, fratrem Grimoldi, & Auum Thessalonis ex Italia, in Bauariam sit reuocatus, Frisingæ in Arce sua collocatus, ibique mortuus, ac iussu Hugoberti, sicut Testamento suo statuerat S. Corbinianus, Maias in Patriam relatus, ibiq; sepultus sit, &c. fol.286. Rursum iussu Tessalonis Frisingam trāslatus, idem Auent. fol.303. Aduocatos habuit hæc Ecclesia olim Comites Schyrenses, quos Otto Episcopus, in libro sexto Chronicorum cap.20. non valde commendat; cùm tamen Radeuicus, continuator Othonis, Otthonem de VVitlspach, Signiferum Friderici primi, nunquam satis laudare queat, lib.3. cap.18. & 20. Et lib. 4. cap.63. Ottho quartus Palatinus, prædicti Otthonis Signiferi Pater, renunciauit huic iuri aduocatiæ, prædicto Episcopo Otthoni, pro se & suis successoribus, in præsentia Conradi Imperatoris, Auentinus in Annalibus suis.

HABET Episcopatus hic, sicut & cæteri in Germania suos, quos vocant, quatuor Officiales hæreditarios, Magistrum coquinæ, quem aliàs Dapiferum, vulgò Trucksassen, nominant, Nobiles de Freuntsperg, nunc imperij liberos Barones, Marschalckos olim nobiles de Perckhaim, Conradus Marscalckus de Perckhaim, Anno Domini 1229. quibus defunctis successêre Nobiles de Pientzenavv, Camerarios nobiles de VValdeck, qui habebant in Vrbe Frisingensi multa iura, ab Episcopis partim pecunia redempta, partim deficiente illa familia ad Episcopos reuersa, vt de hac re in libro genealogiarum familiæ de VValdeck latiùs habetur. Cessauit hoc officium

vſq; ad Annum 1569. quo ſubſtitutus eſt à Domino Erneſto, Epiſcopo Friſingenſi Chriſtophorus Raindorffer, Guilhelmi Ducis Bauariæ Aulæ Magiſter, & Præfectus in Kelheim, vir bonus ac doctus. Pincernæ officium olim tenebant Nobiles de Richolfeſtorf, Anno 1224. Conradus Pincerna & Miniſterialis Eccleſiæ Friſingenſis Año 1277. ſucceſsêre his Nobiles Iudmanni; his poſteà Nobiles de Preiſing, de Kopfſperg, qui hodie adhuc hoc officium tenent.

In quodam diplomate VVeſſeſpronenſi reperio de Miniſterialibus Ottonis Epiſcopi de Anno 1212. Hainricus Liber de Paing, Hainricus Camerarius, Hainricus Pincernarius, Guntherus Marſcalcus, Sighardus Dapifer.

Habvit quoq; Eccleſia Friſingen. olim multos Miniſteriales, quos hodie vaſallos vocant, familiarum hæc ferè nomina ſunt, VValdeck, VVoluerſtorf, Fromeſl, Gebolſpach, Levvtner, Turtenfeld, Haldenberg, Iudman, Pitlpach, Pholing, Seligkind, Buobenhauſen, Dornpach, VVerd, Richolueſtorf, Paſing, Kaſte, Schvvebing, Truchſas, Marſcalck de Perckhaim, Grunershauſen, Hüttenfurt, Höchērain, Aufhouern, Hetnkaim, Ezzenhuſen, Erpſenprunn, Ferting, Elpach, Herpreching, VVacharing, Herprechshauſen, Reickerſpuirn.

NVNC AD EPISCOPOS.

1. SANCTVS CORBINIANVS, natione Tyrolen. Friſingæ erexit Epiſcopatum. Circa Annum Domini 710. permittente Pipino Rege, & Bauariæ Ducatum tenente Grimoaldo, præfuit Epiſcopatui à ſe erecto 20. annis; vide huius ſancti Viri vitam, ſeu, vt vulgò vocant, legendam ſcriptam ab Aribone ſucceſſore in Epiſcopatu quarto.

2. ERIMBERTVS, frater Corbiniani, geſſit Epiſcopatum 28. annis, ſub Vtilone Duce Bauariæ, iuxta lib. Trad. ibi actum in caſtro Friſinga, &c. Friſinga enim tùm caput & Regia erat Principum in ſuperiore Bauaria, Auent. lib. 3. fol. 294. Hic conſecrauit Monaſterium Tegernſee, fuerūtq; ſuo æuo Diœceſes Bauariç ſuis limitibus diſtinctæ inuicē à ſeſe. Pipinus Pater Caroli Magni, poſtquam Friſingam & ſuperiorem Bauariam contra Vtilonem Regem occupâſſet, habitâſſe dicitur aliquot annis, in alio excelſiore Caſtro prope Friſingam, in Monte Tethmons dicto, ibidem Sacellum conſtruxiſſe in honorem S. Stephani: Quod in hunc vſq; diem appellatur VVeichenſtephan Monaſterium, &c. latinè quaſi conſecrati Stephani, de quo latiùs infrà de Monaſteriis Bauariç. Hic Epiſcopus ſua pietate multos commouit ad benefaciendum Eccleſiæ Friſingenſi: Inter alios quendā Mandebertum, qui cum coniuge ſua Gothane tradidit Zollingen; ita habet quædam Chronica Friſingen. Epiſcoporum, per Ioannem Freyberger, Licēciatum & Canonicum ibi, Anno Domini 1520. edita, ac Lantzhuotæ impreſſa: In qua vita S. Corbiniani ad longum poſita, aliorum verò Epiſcoporum ſuccinctè relata. Hunc Erimbertum ſolùm annis 13. præfuiſſe ponit, in aliis quoq; pluribus locis à libro traditionum ſupra citato diſcrepat. Cui ego propter vetuſtatem, licet eius nullam mentionem faciat, plus credendum cenſeo.

3. IOSEPH electus eſt ad Epiſcopatum Anno 758. Præfuit annis tribus. Hic ope Vtilonis Ducis Collegium Myſtarum inſtituit, cui flumen Iſenicus, in cuius Ripa ſitum eſt, nomen fecit in honorem S. Zenonis Epiſcopi quondam Veronenſis, ibidem in yſu ſepultus. Hunc Epiſcopum prędicta Chronica dicit Italum Veronenſem fuiſſe, annis 13. præfuiſſe, emiſſe Erching, Fering & Putlpach, &c.

4. ARIBO, egit iſte antiſtem annis 23. hic vitam ſancti Corbiniani conſcripſiſſe dicitur, interfuit Synodo Dingolfingen. ſecundùm aliquos Anno 775. habitæ, Conſilio huius Aribonis Epiſcopi Teſſalonus Dux Bauariæ. Diuum Valentinum

tinum Tridento Pataujam,& Diuum Corbinianum Maiis(Vrbs est ad Athesim fluuium in Tyrolen.Comitatu) Frisingam transtulit, ac dum illius, nec non D. Vergilii Episcopi Salisburgensis Consiliis obsequens fuit, optimum Principem præstitit, post quorum mortē prauis vsus Consultoribus à Carolo Magno defecit. Auent. lib. 3. fol. 302. & 303. Sub hoc Episcopo Ecclesiæ Frisingen. multæ donationes factæ sunt.

ATTO electus Anno 782. præfuit Annis 30. secundùm prædictam Chronicam 5.
solùm annis 27. & quidem optimè, qui Ecclesiam multis bonis ac redditibus ditauit. Obiit Anno 810. sepultus ibidē. De huius fide in Carolum Magnum Auent. lib. 3. fol. 306. Idem fol. 349. de controuersia Attonis contra Abbatem Chiemensem, iubente Carolo Magno, in vico Aybling per delegatos suos, Arnonem Episcopum Salisburgensem,& alios pro Episcopo decisa, adiudicatis tribus Ecclesiis in VVilling, Hegling & Berg. Idem interfuit Synodo Salisburgensi, iussu Caroli Magni, circa Annum 806. vel 7. indicto; vbi ob decimas ac bona Ecclesiastica litigatum, decisumque in quatuor partes diuidenda; quarum vna Episcopo, altera Parocho, 3. pauperibus, quarta refectioni Templorum cederet, de quo idem Auent. fol. 356.

HITTO, hic translationem sacrorum Bibliorum in plerisq; locis corruptam 6.
pro virili correxit,& constituit, mandato Lotharij Regis, Boiorum filij Ludouici Pij, in Ecclesia VVeichenstephen, sex Canonicos, cum Præposito Anno 830. gubernauitq; Episcopatum annis 24. seu 25. Sepultus in Crypta Cathedralis Ecclesiæ, habens super sepulchro cibotium de lignis. Hic Episcopus emit Ismaning, Eyting, Allershausen, Holtzhausen, Schoflorn,&c. ex prędicta Chronica.

ERCTENBERTVS, Nepos prioris Hittonis ex fratre, administrauit Episcopa- 7.
tum annis 18. De hoc Episcopo vide Brusch: in Monasteriis sub Campidonen. Mo.&c. Quo anno obierit incertum est; dicitur autem sepultus in Capella S. Petri in monte,&c.

ANNO Episcopus, iuxta librum traditionum, Anno Domini 855, Hyldescalcus 8.
Episcopus Tridentinus Vineas Episcopi Fruxinensis apud Pisonium Coloniam Boiorū ad Isaci & Athesis confluentes, occupat. Anno Episcopus rem ad Ludouicū Regem defert. Is Pōtificibus diem dicit, apud Aibling, in publico Boiorū Conuentu, vico superioris Boiariæ, in Ripa Mangualdæ, iure disceptare iubet. Qui causam cognouēre Iudices, Vineas Fruxinensi Templo addixēre. Auent. lib. 4. fol. 412. Chronica habet hunc Annonem Episcopum ex Hall infra Insprück oriūdum, Patri absque aliis liberis defuncto successisse: hinc multa bona in Runn & circa Hall Ecclesiæ Frisingensi attulisse, præfuisse annis 21. obiisse Anno 875. sepultum ibi.

ARNOLPHVS electus est Anno 854. ad Pontificatum. Ipse ampliauit Eccle- 9.
siam Cathedralem, iuxta librum traditionum. Præfuit solùm annis octo, sed annus electionis concordat cum superiori numero Annonis Episcopi. Chronica habet, hunc circa diuinum officium valde occupatum & sollicitum fuisse.

VVALTHON, hic vixit in Pontificatu annos 22. passaque est Ecclesia Ca- 10.
thedralis suis temporibus à Barbaris graue incendium, Anno scilicet 883. At donatione Arnolphi Imperatoris, qui concessit Episcopo VValthoni sal in Salina, siue cum nauigiis, siue cum carris, siue mutha vehendi,& alia multa dona dedit; Anno 898 omnia sunt resarcita: Constitutumq; tunc fuit Pontificia authoritate, vt deinceps nullus per Capitulum eligeretur in Episcopum, nisi esset Canonicus eiusdem Ecclesiæ.

Ludovicus Imperator, filius Arnolphi, dono dedit VValthoni Episcopo, cuius disciplinæ Ludouicus septennis traditus fuerat, iuxta Auentinũ, libro quarto folio 475. Curtem Regiam in Veringa cum pertinentiis ad restaurationem, Anno 920. Confirmat Ottho primus Imperator Anno 940. Idem tradidit domum Lac, Anno 974. Idem Ottho condonat Iuditæ, fratris sui beatæ memoriæ Viduæ, Salinam, quod vulgò Hall vocant, in pago Salisburgi sitam, Anno 984. Numerus hic non quadrat cum Otthone primo, qui Anno 974. obiit, ex libro traditionum & ex diplomatibus ibi.

Sub hoc VValthone nono, seu decimo Episcopo Frisingensi, scriptus est insignis ille liber Euangeliorum Francicis, hoc est, Germanicis versibus, seu Rythmis, cuius Titulus est, Liber Euangeliorum in Theodiscam linguam versus. Putatur: quòd tunc æditus, quando Franci Orientales primùm Christiani facti sunt; ex quo beatus Rhenanus in Germania sua colligit veteres Francos, qui, trãsito Rheno, nobile in Galliis regnum constituerunt, Germanica vsos fuisse lingua; incipit autem præfatio illius libri hoc modo:

Nun wil ich scriban vnser Heyl Euangelion so wir nun hier begunnen / in Franckisga Zungun / ɩc.

Extat liber aliquandiu desideratus, sed per Reuerendissimum ac Illustrissimum Principem, D. Ernestum, &c. fortè fortuna in quadam cista iterum repertus; antiquitatis ergò venerandus ac videndus.

11. VTTO, successor VValthonis, vixit tantùm vno Anno in Episcopatu, ante cõfirmationem mortuus, aliàs Ottho, qui interfuit expeditioni Magni Ludouici, Romani Regis, contra Vngaros, Anno 907. Auent. fol. 480.

12. DRACOLPHUS electus est Episcopus Anno 908. qui non solùm Cathedrali, sed etiam aliis Ecclesiis collegiatis noxius fuit, immensas faciens expensas; exactisq; 28. annis submersus fuit in Danubio. Secundùm Chronicã præfuit solùm 20. añis, Vngaricę expeditioni dicitur interfuisse, ac de tribus Cœnobiis, Mosspurch, Isn, & Scheffltlorn multa Clinodia, ornamenta ac pecunias abstulisse.

13. VVOLFRAMUS, hic quantum potuit, anno vno, quo præfuit, instaurauit, quod Antecessor suus dilapidauit. Interfuit hic Episc. Conuentui Dingolfingen. per Arnoldum Ducem Bauariæ, circa Annũ 919. habito, cum aliis Bauariæ Episcopis, In quo Maias & Caninas; item vicos, vineas, aliaque prædia prope Tyrolios, in Vennonum Athesisq; valle, quæ ad huc ibi Mystæ Fruxinenses possident, VVolframo huic reddidit, de quo Auent. libro 4. folio 487. Chronica habet hunc 19. annis præfuisse, quod verisimilius est; nam quomodo vnico anno Antecessoris sui leuiter profusa resarciret. Tempore huius Episcopi fuit schisma in Ecclesia Frisingensi, tres paribus votis electi; hinc inter Canonicos tantæ immicitiæ ortæ, quæ longo tempore posteà vix sedari poterant, donec iuramenti vinculo in concordiam redirent fratres. Obiit hic Episcopus, ac Frisingæ sepultus. Anni huius præcedentis ac sequentis Episcoporum malè conueniunt, &c. hoc propter antiquitatem & scriptorum eius temporis tam penuriam quàm incuriam.

14. LAMPERTUS factus est Episcopus, Anno 938. functus officio suo annis 31. Huius tẽpestate irrumpẽtes Vngari, & omnia deuastantes in Austria & Bauaria Ecclesias S. Stephani & Viti combusserunt: Ecclesiam verò Cathedralem, propter nebulam omnia obducentem, nullo loco violare potuerunt. Chronica habet hunc præfuisse annis 19. obiit Anno 954.

15. ABRAHAM factus Episcopus; annis 37. cum magno commodo Ecclesiæ suæ præfuit. Hunc quidam putant fuisse Palatinum Carinthiæ, qui posteà Comi-

tes de Górtz vocati sunt, fundator Præpositurae in VVerd, ad Lacũ VVerdsee quinque præbendarum vnà cum Decano, sicuti legi in Elencho quodam scripto veterum familiarum Carinthiæ; cuius tamen Lazius in commentariis Reip. Rom. non meminit.

Hic etiam Episcopus Abraham impetrauit ab Otthone, primo Imperatore, Anno 972. Gudigen, ab Otthone 2. Chrenia Anno 974. ab Otthone tertio Creiner March, extant diplomata in libro traditionum. Ipse quoque alteram Turrim summi Templi construxit, multa Clinodia & Tapetas Ecclesię dono dedit. Sepultus in Capella S. Thomæ à se ædificata. Ottho secundus in bello contra Patruelem Heinricum, Ducem Bauarię; Item contra Heinricum, Ducem Carinthiæ, & contra hunc Abrahamum Episcopum Frisingam obsedit, cepit, & Episcopum captiuum tenuit, circa Annum 980. Auentinus libro quinto folio 503. 504. Meminit huius rei ac Episcopi Abraham Chronica Hirsuelden. sub Anno Domini 974. Hic Episcopus Abraham circa Parochiales Ecclesias suæ Diœcesis & earum ædificia, valde vigilans & attentus fuit, quòd supererat largitus pauperioribus: itaqne Parochiales Ecclesiæ sub ipso creuerunt, quarum se Collatorem fecit. Obiit Anno 992. secundùm Chronicam.

GOTSCALCVS successit Abrahamo, Anno 995. secundùm librũ trad. extat ibi diploma, quod Ottho tertius Imperator tradidit Gotoschalcko Episco- 16.
po sex Huobas regales, in loco, qui dicitur in Dulmarfeld, iuxta fluuium Ipisa cum venationibus, piscationibus, saginationibus, molendinis, proprędio prope Krembs Anno 995. Chronica ponit hunc 12. annis præfuisse, redditus Ecclesiæ valde auxisse. Cùm autẽ ad ipsum & Capitulum spectaret præbendas conferre, concluserunt, vt nullus aliquod beneficium cum præbenda possideret, neque fratres super alios extollerent ac superbirent. Ita erant vnanimes, vt nullus aliquid suum esse diceret; & quidem rectè, sicut D. Augustinus Monasterium Clericorum instituit, & secundùm regulam viuere cepit. Rursum anni tàm electionis, quàm regiminis huius Episcopi cum sequenti Episcopo malè conueniunt.

FRIDERICVS Episcopus, idem Ottho tertius Imperator huic Episcopo 17.
tradidit 30. regales Huobas, in regione vulgari vocabulo Osterriche, in Marcha, in Comitatu Heinrici Co. filij Leopoldi Marchionis, in loco VVeithouen, cum terris cultis & incultis, aquis, aquarumúe discursibus, sub sigillo Anno 996. extat diploma ibi.

Idem Imperator eodem anno concedit ciuitati Frisingensi mercatum & licentiam monetandi & teloneum.

Heinricvs sanctus Romanorum Rex, donat Ecclesiæ Frisingensi, VVeltz & Lintha, Anno &c. 1007. Hunc Episcopum Fridericum Chronica planè omittit, & pro eo Engelbertum ponit, qui Anno 1005. factus sit Episcopus.

ENGELBERTVS Comes Mospurgensis annis 34. Episcopatui præfuit, at- 18.
que ex patrimonio suo non parum eundem ditauit, quin & Collegium Canonicorum in VVeihenstephen fundatum ante 200. annos, à Hittone Episcopo, commutauit in Monasterium ordinis S. Benedicti, & sic quasi iis fundator huius Monasterij fuit. Cui de rebus Ecclesiæ maioris ac S. Corbiniani, ad sustentationem Monachorum, aliquot Pagos ac decimas dedit. Præpositum autem cum sex Canonicis transtulit ad Ecclesiam S. Viti in vmbelico illius montis, prope Frisingam sitam, ac ab ipso institutam, circa Annum 1029 &c. vel 1021.

Hvic Engelberto Conradus Imperator secundus, seu Salicus dictus, multa bona

& priuilegia dedit; inter alia, ius seu facultatem monetandi Aurum & Argentum; item Mineras Anno 1029. Cõmisit quoq; illius fidei filium suũ Heinricum educandum & informandum. Sic testatur diploma illius, quod & Heinricus Rex cum Patre Conrado subsignauit Anno 1033.

Sancta Kunegundis, Vidua Heinrici sancti Imperatoris, dedit Ecclesiæ Frisingensi, tempore huius Engelberti, cum consensu fratris sui Heinrici, Ducis Bauariæ, & statuum Prouincialium, sequentia propria bona, prædia Rantestorff siue Ranteshouam, Hochperchach, Ostermutinga, Veltkirch cum Ecclesiis & decimis; cum foresto VVilihart ac forestariis, cultis, incultis, mancipiis, vtriusq; sexus vineis, Molendinis & cum omnibus pertinentiis, scilicet demùm post mortem Imperatricis pleno iure deuoluenda. Insuper tradidit ei omne ius, quod habuit in loco Hall dicto cum sartaginibus. Econuerso Episcopus dedit Imperatrici, precario ad dies vitæ possidenda, & tenenda de rebus Ecclesiæ suæ, curtem Ysena, curtem Burckreina, ac curtem, quæ dicitur Dorfa, curtem etiam Tegirnvvanc, cum terris cultis & incultis, cum ipso Monasterio & congregatione sancti Zenonis in Isen, ac reliquis Ecclesiis, & decimis, cum mancipiis, Syluis & Molendinis. Ex lib. traditionum refert Vitus Arnpeck in Chronica fol. 137.

Permvtavit hic Engelbertus cum Gebhardo I. Episcopo Ratisponen. in loco, qui dicitur vulgò Gruoba, vbi sanctus Dei Martyr Emmeranus obiit, iugera quinq; in Episcopatu Frisingensi sita: Et ab illo accepit curtile vnum de parte hæreditatis Gebhardi, intra Vrbem Ratisponam situm, & alia curtilia de Ecclesia extra ciuitatem sita, &c. vt habetur in libro traditionum Ecclesiæ Ratisponen.

Obiit Engelbertus Anno 1039. cùm annis 34. præfuisset, sepultus in Cathedrali Ecclesia ante aram S. Spiritus. Brusch. de Monast. VVeihenstephen.

19. NICERVS, aliàs Nitgerus, functus est Episcopali officio annis 13. & Canonicos è VVeichenstephen semotos confirmauit in Ecclesia S. Viti; fuit homo superbus ac sæuus, obiitq; subita morte Rauennæ, secundùm Herman. contractũ. Hunc Iohan. Auentinus lib. 5. Annalium fol. 524. Reginoburgij obscuris crepundiis natũ, fratrem Bernulphi ac Machtuni dicit, qui propter fidem violatam per Cæsarem Heinricum 3. cruci affixi miserè suffocati sunt. Anno Domini 1044. Nitgerus ob necem fratrum ignominiosam erga Cæsarem nimis proteruus Rauennam relegatus, ibidem obiit Anno 1052. Auent. fol. 537.

20. ELLENHARDVS electus est Anno 1053. in Episcopum, fundauit Collegium Canonicorum apud S. Andream, in monte Frisingensi, haud procul à Cathedrali Ecclesia: Interfuit Cõuentui ab Heinrico 4. Anno Domini 1076. VVormaciæ celebrato, & exactis 25. annis sui Pontificatus mortuus est. Heinricus Rex tradidit Abbatiam in Beurn, in Pago Sundergou, in Comitatu Sigmari Comitis sitam, cum Villis vineis, &c. Anno 1065. extat diploma.

21. MEGINVVARDVS electus est Anno Domini 1078. multaq; passus à VVelphone, qui Brunonem Augustanum Episcopum bello fatigabat; redactis verò rebus in tranquillitatem, profectus est in Bohemiam, vt infideles ad Christi conuerteret fidem. Mortuusque est Pragæ, & sepultus, cùm Ecclesiæ Frisingensi præfuisset annis 31. Meginvvardus Episcopus emit ab Adalramo de Schmitthusen, quem Virum Nobilem vocat, castrum Buttenberch cum pertinentiis, Anno 1080. Testes, Comites, Arnold & Ernestus, Vdalscalcus de Helisund, Gotscalcus de Manchph. de familia Machtuni & frater eius Fritilo, Adalbrecht & Dietricus de Potenp. Ita habet liber traditionum. Interfuit hic Meginvvardus Conuentui Episcoporum Germaniæ & Galliæ, Moguntiæ habito, super schismate inter Regnum ac Sacerdotium, Anno 1085. vel circa. Auent. lib. 5. fol. 585.

HEIN

HEINRICVS ab Eberſtorff, hunc Chronica per errorem ab Eberſtain vocat, 22.
factus Epiſcopus, Anno 1098. Epiſcopali munere functus eſt 39. annis. Sub eo
VVelpho vaſtauit ciuitatem Friſingēſem. Quin & ipſe non parum incommodauit
Epiſcopatui, quòd Heinrico V. adhereret contra Rom. Pont. quam obcauſam Cō-
radus Saltzburgeñ. Archiepiſc. partium Pōtificiarum Friſingam venit, Heinricum
Paſcalis, Sum. Pontificis decreta refellentem depoſiturus, ſed re infecta coactus
diſcedere. Auent. lib. 6. fol. 617. Idem fol. 624. ponit hunc Heinricum obiiſſe Anno
1137. quo & Lotharius Imper. ac alij quidam Principes. Legauit autem omnia bona
ſua, quæ habuit in Eberſtorff & Gries, ad Epiſcopatum Friſingenſem.

OTTO, filius diui Leopoldi, Marchionis Auſtriæ, vir doctus & pius, factus eſt 23.
primus Præpoſitus Neoburgi in Auſtria, Monaſterio à S. Leopoldo Patre fun-
dato; Inde ſtudiorum cauſâ Pariſios profectus, ingreſſus eſt Morimundenſe Cœno-
bium cum 16. Sodalibus, vbi facta profeſſione euocatus eſt Friſingam ad Epiſcopa-
tum, Anno 1138. ita vetus Auſtriæ Chronica habet. Ioann. Cuſpinianus in Auſtria, in
vita S. Leopoldi ponit Ottonem, ſe ad Concilium Ciſtercienſe, quod Morimundi
agebatur, contuliſſe, ibi morbo & ſenecta oppreſſum oppetiiſſe ſanctiſſimè ac reli-
gioſiſſimè; ibique ſepultum. Anno M. C. LVIII. paulò poſt diſceſſum Ottonis,
Friſinga cum Sede Cathedrali, omnibus Templis & ornamentis incēdio grauiſſimo
periit. Hic Otto non tam inſtaurator quàm fundator Eccleſiæ Friſingenſis extitit:
Bona enim diſtracta recuperauit, collapſa Palatia & ædificia reſtituit; Religionem
Monaſteriorū reparauit. Hic ipſe Otto, ope fratris ſui Heinrici, Ducis Bauariæ, tùm
temporis Monaſterium Scheftlarn per Hungaros vaſtatū reſtaurauit, ac in locum
Benedictinorum Præmōſtratenſes ſubſtituit, Anno Domini 1140. pariter de nouo
inſtituit Monaſterium nouę Cellę, prope Friſingam, pro eodem ordine Præmon-
ſtrateñ. necnon Schlierſenſe Collegium, de quibus infrà de Monaſteriis latiùs. Sub
hoc Ottone Epiſcopo, ac ipſius præſentia & Conſilio ſopita ac deciſa eſt grauis illa
contentio, ſuper Ducatu Bauariæ, inter fratrem Ottonis, Heinricum Marchionem
Auſtriæ, ac Heinricum Leonem, Saxoniæ Ducem, per Fridericum I. Rom. Imper. in
Comitiis Ratiſponeñ. Auſtria fit Ducatus ſeparatus à Bauaria cum acceſſione pro-
uinciæ ſupra Anaſſum, Bauaria Leoni adiudicatur, extat diploma. Item aliud eiuſ-
dem Friderici I. Imperatoris, ſuper ponte ſoro teloneo in Veringen, infra Mona-
cum, ac ſupra moneta, inter hunc Ottonem Epiſcopum, & Heinricum, Ducē Ba-
uariæ & Saxoniæ, &c. quorū tenorem inuenies in fine horū Epiſcoporū, litera A. B.

IN QVO ſtatu Eccleſia Friſingenſis ſub hoc Ottone fuerit, ac de eius laudibus,
vide Radeuicum Continuatorem Ottonis, in vita Friderici Imperat. lib. 4. cap. 12.
cum ſequenti. Auent. lib. 6. fol. 626. ponit Conradum Regem Roman. hunc Otto-
nem fratrem ſuum vterinum, creâſſe Epiſcopum Friſingenſem, Anno 1138. Obiit hic
Otto, Anno 1158. Auent. ſolio 637.

ALBERTVS functus eſt officio Paſtorali 24. annis. Fuit ſuo tempore Eccleſia 24.
Friſingeñ. ornata doctis Canonicis, excellebatq; reliquas Germaniæ Cathe-
drales Eccleſias, in diuitiis & ꝑtioſis iocalibus: Sed orto incēdio vno quaſi momēto
omnia amiſit bona, de quo Auent. lib. 7. fol. 654. ita ſcribit: Albertus Fruxineñ. Pon-
tifex, ope atque conſenſu Ottonis, Boiariæ Ducis, Ottonis à VVitlſpach dinaſtæ,
Theodorici à VVaſſerburg Comitis, ſacrā ædem, ſcilicet Friſing. quę irato Vulcano
perierat, reficit. Et cùm Albertus iſte ſuā Eccleſiā reædificare vellet, in fundamentis
inuenit corpora ſanctorum Martyrum, Alexandri & Iuſtini. Hic Albertus totum
ferè ſuum Patrimonium ad Eccleſiam Friſingenſem legauit, fratrem habuit Vl-
ricum, Sororem Gerburgim, Anno Domini 1181. ex libro tradit. Familia ipſius
non nominatur. Fridericus primus Imperator proſcripto Heinrico, Duce quōdam

Bauariæ & Saxoniæ restituit huic Adalberto Episcopo forū in Veringen cum Ponte, quod Dux illi per vim abstulerat, & in villam München transtulerat. Diplomatum copiam quære in fine litera C.

25. OTTO secundus, vir pius, & Canonicus Magdeburgensis, factus Episcopus Frisingensis, præfuit illi Ecclesiæ annis 38. Iste fabricam Ecclesiæ rursum instaurauit, multaq; bona in eā contulit. Fuit hic filius Diethpoldi, Comitis de Perg, in Sueuia & Gisalæ, Co. in Diessen, frater Vlrici & Diethpoldi, Episcoporū Pataniensium, Ita habet liber 2. traditionum. Et Auent. in Annal. fol. 693. in principio. Hic Otto secundus, vno die, quod mirum est, Veronę à Sum. Pōtifice spiritualia, & ab Imp. Friderico regalia suscepit, Anno 1183. Otto hic Ottenburgium, arcē superioris Boiariæ, contra Ludouicum Bauariæ Ducem, construxit, præsidio firmauit obsalinarium portorium vectigalque; Duci Boiorum & Monacensibus bellum indicit, sal deuehentes, Veringen vicū suum, atq; Ottoburgium petere coegit, cætera itinera præcluditatq; obsidet, quæ res posteà per Philippum Regem Rom. transacta. Monacenses quottannis è portorio 57. Drachmas auri Frisingensibus pensitare iussi, quod in hodiernam diem obseruatur, ac quottannis ex Telonei Monaceñ. redditibus soluuntur 50. Talenta vsualium denariorum, Auent. lib. 7. fol. 659.

26. GEROLDVS electus in Episcopum, Anno 1220. iuxta tenorem Epitaphij sui præfuit 11. annis, sed sine laude.

GEROLDVS iste 26. Episcopus, cuius familiæ fuerit, ignoratur. In quodā Latino diplomate Schireñ. mo. de Anno 1224. reperio, qđ ibi sepultus sit Otto de Richolrestorff, & Heinricus filius eius, Pincerna Geroldi, Episcopi Frisingensis; & quòd ille Episcopus dederit Monasterio aliquā bona in Vaiztenavv, &c. Hinc coniicio, eum fortè illius familiæ fuisse, &c. In illo diplomate citātur multi testes, inter quos Frisingensis Ecclesiæ Ministeriales, Eberhardus de Schvvabing, Fridericus frater suus, Sighardus Truchsas, Conradus Marscalckus de Perckhaim, Rapoto de Grunershusen, Sighardus de Huttenfurt, Heinricus de Perckhaim, Altman & Heinricus de Hohenrain, Conradus & Heinricus de Aufhouern, Albero de Hettenkhaim, Arnoldus de Ezzenhausen, Rapot & Heinricus de Erpfenprunn.

27. CONRADVS Töltzner non parum profuit Episcopatui Frisingensi, quin & ex patrimonio suo quatuor instituit Canonicos, in Sacello S. Pauli. Huic vnà cum Eckperto Bambergensi, & Rudigero Pataniensi, Episcopis, Fridericus II. Imp. expulso Friderico, Duce Austrię, cōmisit Viennam atq; Austriam gubernandam, at post mortē Eckperti per Fridericum Ducem, occupata & recuperata Vienna cum Pataniensi captus, (Auent. lib. 7. fol. 669. 675.) & Viennæ diu in captiuitate detētus. Vixit in Pontificatu annis 27. obiit Monaci, sepultus Frisingæ, in Capella S. Pauli.

28. CONRADVS Comes, Syluester VViltgrauius, præfuit annis 20. Obiit Anno 1278. Hic Conradus Episcopus, defunctis absq; Masculis hæredibus, Berchtoldo, Diethpoldo, Ottone & Ludouico, Marchionibus de Hohenburg in Norico, omnia feuda, quę ab Ecclesia Frisingeñ. tenuerant, eidem Ecclesiæ aperta. Concessit Ludouico Duci Bauariæ, Consanguineo suo, ob merita ac defensionem, Anno Dñi 1261. extare diplomata Monachij, &c. Idem quoq;, mortuo Gebhardo de Tölntz, Nobili viro, feuda, quæ ab Ecclesia Frisingeñ. habuit, vnà cum decimis Parochiæ Cuntzstorf, & bonis in Entzelhausen, concessit Ludouico Duci Bauariæ, Consanguineo suo charissimo, ob sua merita ac defensionem, testes, Fridericus de Mōte Albano, Præpositus maioris Ecclesiæ, Conradus Abbas de VVeihenstephen, Arnoldus de Mässenhausen, Berchtoldus Testudine, Vlricus de VVolfoltstorf, Conradus Notarius & alij, Anno 1266. extat documētum Monachij. Eundem quoq; Ludouicum, Ducem Bauariæ, vocat dilectum suum Consanguineum, in quodā alio diplomate,

mate, quod extat in Monast. Vnderstorff, de Anno 1272. Hic impetrauit ab Ottocaro, Rege Bohemiæ, multas Aduocatias in Austria, & alia plura bona, iuxta lib. trad. Aliqui putāt hos Co. Syluestres, qui vltra Rhenum adhuc extant, dicti, die Wild vnd Rheingrauen/ab Ottone VVittlspachio, occisore Philippi Rom. Regis descēdere, vt habet liber tradit. Vnderstorfeñ. Mona. & notat Auentinus lib. 7. fol. 661. quod supradictis diplomatibus aliquo modo confirmatur, ego in re dubia nihil affero. Cōradus hic partiam Friderici II. Imp. opera Eberhardi Archiepiscopi Saltzburgeñ. & Rudigeri Patauieñ. tandem etiam cum Ottone Duce Bauariæ in gratiam rediit, Burckrain Episcopo tributum, Auent. fol. 675. & 683. pariter posteà cum Heinrico Duce Bauariæ, Ottonis filio, Autore Philippo, Archiepiscopo Salisburgeñ. in concordiam venit. Auent. fol. 695.

FRIDERICVS Montalbanus factus est Episcopus Frisingeñ, Anno 1278. fuit antea Præpositus Frisingeñ. Mortuus est anno quarto post electionem, Anno Dñi 1282. iuxta lib. tradit. sepultus Frisingę in Capella S. Leonhardi. 29.

EMICHO, Comes à Mospurg, vir sanctus, electus est Episcopus Frisingeñ. post Fridericum Montalbanum, præfuit annis 29. Mortuus Viennæ, Anno 1311. relatus Frisingam, ibi in Capella S. Georgij sepultus est, secūdùm lib. trad. Fuit hic quoq; Comes Syluester Rudolphus Dux Bauariæ, frater Ludouici Imper. huic impignorauit castrum Tölntz cum pertinentiis, intra certū tempus redimendū, quo elapso, Gottfridus, Successor Rudolpho adhuc triennium concessit, Anno 1312. intra quod puto factam esse reluitionē: Nam ab eo tempore fuit in manibus Ducum Bauarię. 30.

CONRADVS tertius huius nominis, Monacen. Doctor Canonum, factus Episcopus, instituit Ecclesiam Ioannis Baptistæ, & sex Canonicos vnà cum Præposito, quæ priùs dotata & fundata fuit, per Albertum Episcopum. Hic Conradus anno 7. suæ administrationis veneno est sublatus, Anno 1322. 31.

GOTFRIDVS, Ecclesię Frisingeñ. Decanus, factus Episcopus, tribus annis Pōtificatum gessit; Ipse instituit Sacella S. Trinitatis, & S. Catharinæ, Anno 1315. Quod non conuenit cum præcedenti numero Conradi Episcopi: Imò præfuit Anno 1312. vt suprà & hoc anno obiit secundùm Auent. lib. 7. fol. 747. 32.

IOANNES, Doctor Canonum, & Canonicus Bambergeñ. & Brixieñ. postulatus Episcopus Frisingensis, quinq; duntaxat septimanis officio functus est. Obiit Anno 1324. Auct. lib. 7. fol. 750. hunc Ioannem inuitis Canonicis à Ioanne XXII. impositū dicit, illumq́; , vt Canonicos placaret, Parochias ipsis fecisse pensionarias, tùm hospitalitatem imminutam, quod in pauperū alimenta antea distributum, in alios vsus versum esse, tum etiam incorporationes, vt vocant, & absentiás inualuisse. 33.

CONRADVS quartus de Klingenberg, Sueuus, Episcopus Frisingensis, magna illi contulit dona, præsertim Infulam pretiosam & argenteam Crucem. Vngari & Bohemi suo tempore profecti, contra Ludouicum quartum Imper. miserè perdiderunt Bauariam & Diœcesim Frisingensem. Conradus hic de Klingenberg, Episc. Frisingensis, adhærebat Austriacis Principibus, & Sum. Pontificibus, contra Ludouicum IIII. Imperatorem: Capitulum aūt adhærebat Ludouico, &c. nolēs hunc Conradum admittere, sed constituens interim Vicedominum & Vicarium: Vnde habitabat Conradus in Austria, in castro Vlmerfelden, Anno 1335. vbi etiam mortuus est, Anno 1337. sepultus in claustro Lyrenfeld, prope Viennam. 34.

IOANNES secundus, Medicus doctus, antea Verdensis Episcopus, obtinuit Romæ Episcopatū, Anno 1337. absensq; duodecim annis possedit. Obiit Anno 1349. Auinioni. Cōtra hunc Ioannem Verdensem Auinioni exulantem, per Capitulum, electus est LEOPOLDVS de Schaunberg, qui Episcopatum possedit. Hic Margarithā dictam 35.
36.

dictam Maultaschâ Mattimonio Ioannis Bohemi absoluit, quæ deinde Ludouico Marchioni Brandeburgensi, filio Ludouici quarti Imperatoris nupsit, Anno 1342. Auent. lib. 7. fol. 782. in veteri eiusdem Marchionis Ludouici Registratura Leutoldus appellatur, Anno 1348.

37. ALBERTVS Comes Hochenbergensis & Haigerloch, Doctor Decretorum, translatus est per Clementem sextum, ad Frisingam, septemq; annis Episcopū egit. Ipse in propria persona interfuit expeditioni cum Alberto Duce Austriç, cōtra ciuitatem Tigurensem. Obiit Anno 1359. sepultus in Rotenburch ad Neccarum.

38. PAVLVS, antea Gurcensis Episcopus, electus fuit Anno 1359. Hic multa, quę etāt Episcopatus, vēdidit & impignorauit, rursumq; redemit. Mortuus est Añō 1377.

39. LEOPOLDVS difficulter propter schisma Romanorum Pontificum confirmari meruit, triennioque exacto Lactisè Ponte in subiectum fluuium cadens, submersus est, Anno 1381. ibidem sepultus in Monasterio S. Claræ.

40. BERCHTOLDVS VVechingensis, Viennensis Scholæ creatus Magister, electus fuit, Anno 1381. in Episcopum Frisingensem, &c. Berchtoldus iste fecit confœderationem cum Alberto & VVilhelmo, agnatis Ducibus Austriæ, nec nō cum Ioanne & eius filio Ernesto, Ducibus Bauariæ, cum omnibus suis Castris, Dominiis ac bonis ditioni prædictorum Ducum subiectis, pro meliori pace ac securitate, ad decennium, Anno 1394. Anno sequenti rursum confœderatus cum prædictis, Ioanne & Ernesto, contra Stephanum & eius filium, Duces Bauariæ in Ingolstat, &c. Anno Domini 1406. Ernestus, VVilhelmus & Heinricus, Duces Bauariæ obtinebant castrum Frisingense, promittentés inuicem bona fide illud possessuros, & nemini vllo pacto sine omnium consensu tradituros, &c. Ob quam causam occupatio ista facta, non legi; puto tamen hoc in fauorem Episcopi & Ecclesiæ factum fuisse, contra Ludouicum Angelostadiensem, ne ille occuparet, tùm agnatis suis ex eo castro, tùm ipsi Frisingensi Ecclesiæ noceret.

Ipse Episcopus fuit bonus Paterfamilias, instaurauit omnia Castra, quæ habet Episcopus in Austria, Carinthia, Styria & Carnia; auxit quoque Canonicis præbendarum prouentus, Anno 1403. Bonifacius IX. Sum. Pont. contulerat huic Berchtoldo Archiepiscopatum Salisburgeñ. contra Eberhardum electum Archiepiscopum per Capitulum; sed, eodem anno, defuncto Bonifacio, Innocentius VII. Successor, Eberhardi electionem confirmauit, &c. Auent. fol. 804. Mortuus est anno administrationis suæ 30. Anno Christi 1410 in Austria sepultus, in claustro Neuburg. hic instituit, vt processio in festo Corporis Christi, longiùs, per Ipsam nempe ciuitatem Frisingēsem, deinceps progrederetur, iuxta Calendarium præsentiarū. Ibi reliquit Mittam pretiosam, quam propinqui ipsius, quorum Nobilis familia apud Tyroliosadhuc extat, sibi vendicantes vendiderunt Abbati Arelacensi, pro 4200. Vngaricis Ducatis.

41. DEGENHARDVS à VVeix, Præpositus Augustanus, fuit electus, Anno 1410. in Præsulē Frisingensem, sed per Sum. Pont. alius promotus est; Nempe Conradus quidam Episcopus Gurcensis, qui præualuit; tamen pòst à suis Camerariis in Lack strangulatus, nunquam venit ad sedem. Post 31. annos, re comperta, exhumatus, & in Parochiali Ecclesia Lacensi sepultus, per Nicodemum Episcopum; ita habet liber mag. tradit.

42. HERMANNVS, Comes Cyliç, secundum lib. tradit. sed illegitimus, at secundum Auent. Com. Arrenbergensis, quem in illa familia non reperio, electus in Episcopum, ruptus grauiter obiit Anno 1421. VVolffgangus Lazius de Republ. Roman. lib. 12. folio 1176. ponit hunc ex Ioanne, Comite Cyliæ, & ex N. Comitissa Mont-

Montisfortis natum fratrem Catharinæ, Iohannis Dapiferi à VValtpurg, Sueui, Coniugis, &c.

IOANNES tertius, Grienvvalder dictus, Iohannis Ducis Bauariæ in Monachio Nothus filius, factus est Episcopus, Anno 1422. fuit Doctor Decretorum & Theologus, restitit Iohanni Huss, in Concilio Constantiensi, paulò pòst Nicodemus se ingessit, vt sequitur. 43.

NICODEMVS de Scala familię Veronen̄. & Vincentiæ dn̄orum, consentiente Martino V. Rom. Pont. sese ingerēs Episcopatui, excluso Ioanne, 20. annis illū potētertenuit. Eo mortuo, Anno 1443. Auent. ponit Anno 1446. Viennę in Austria, ibiq; apud Augustinianos, quos multis donis ornauit, sepulto, Grienvvalderus rursum adeptus est Episcopatū, præfuit annis 10. Hic alium quoq; intrusum habuit per Fridericum tertium Imperatorem, nempe Heinricum Schlick, de quo apud Æneā Syluium in Epistolis suis. Auent. hunc Stiliconē vocat, lib. 7. fol. 831. propter quam causam Iohannes magnas fecit impensas; Tandem 3. anno, quo pacificus est factus, obiit Viennæ, corpus Frisingam delatum, sepelitur in Capella S. Thomæ. 44.

IOANNES quartus, Tulbeck dictus, Monacen̄. Pręposītus ad S. Vitum, & Plebanus Monacensis, factus est Anno 1453. Episcopus. Præfuit annis 20. senectutis ac quietis causa; resignauit Episcopatum Cancellario suo, Sixto Tan̄bergensi. Sepultus Monachij, apud diuam Virginem, in Capella Maiorum suorū, sub altera Turri Septentrionali, vbi & Missam fundauerat, & plura alia bona fecerat. 45.

SIXTVS de Tannberg, Canon. Præpositus Isenen̄. electus Gurcensis, Bernhardus de Ror, Archiepiscopus Saltzburgen̄. pertęsus regiminis, statuerat huic Sixto cognato suo Archiepiscopatū resignare, quod Fridericus Imperator impediuit, significans ei, vt sine suo consensu nemini resignaret, ex Chron. Salisburgen̄. Sixtus posteà factus est Episcopus Frisingen̄, Anno 1473. instituit 12. Chorales: Natū est graue dissidium inter ipsum & Ducem Bauariæ Albertum, propter translationem & vnionem duarum Collegiatarum Ecclesiarum, in Seliers & Illmunster, ad D. Virginem Monacum, cui se hic Sixtus Episcopus tanquā Ordinarius vehementer opposuit: Sed Albertus Dux autoritate Pontificia obtinuit. Obiit Anno 1495. in Comitiis VVormatien̄. Frisingam portatus, in medio summi Templi sepultus, quod ipse testudine ornauit, nec non arcem montis Frisingensis muro cinxit. 47.

PHILIPPVS Palatinus Rheni, filius Philippi Electoris, &c. factus est Episcopus post mortem Sixti, repudiato propter iuuentutem, eius fratre Ruperto electo seu postulato Episcopo, & hoc per dispensationem Pontificiam, Anno 1499. Eodē Anno Heinricus Pruesehinck, Comes de Hardeck, vendidit Ecclesiæ Frisingen̄. castrū Mässenhausen cum suis Hofmarchiis ac pertinentiis, cum ratificatione Alberti Ducis. Rupertus aūt duxit vxorem, filiam Georgij Ducis Boiarię. Præfuit Philippus vsq; ad annum Christi 1540. factus est quoque Episcopus Naumburgensis in Misnia, Anno 1517. optimus ac prudētissimus Princeps, nec nō bonus Oeconomus, amplioriac electorali dignitate dignus. Qui castrū Frisingense multis nouis ędificiis, ac fontes saliēte ornauit, atq; infra Castrum, versus vrbem, egregiam domum de nouo extruxit, Neupavv dictam, animo cedēdi fratri suo Heinrico, & ibidem reliquum vitę quietè transigendi, sed præuentus est morte, &c. Anno 1540. 48.

HEINRICVS Comes Palatinus, Administrator VVormatiensis, & Præpositus Ellvvāgensis, Coadiutor Philippi fratris, post cuius mortē factus est Administrator Frisingensis, vir probus ac perbenignus erga omnes, quæ ferè omnibus Palatinis peculiaris ac innata virtus est. Obiit Anno Domini 1554. 49.

LEO, Augustini Leschij, I. V. D. & Cancellarij quondam Monacen̄. ex Francia oriundi, & Annæ Nobilis de Tann, Altmülensis filius; Ipse quoque I. V. D. Canonicus 50.

nonicus Frisingen. fit Episcopus post Heinricum, vir industrius, ac in negotiis Frisin. gen. Ecclesiæ valde exercitatus ac peritus, Principibus Bauariæ, VVilhelmo, Ludouico ac Alberto charus, quorum fauore ad hanc dignitatem non leuiter promotus. Cùm annos quinque quiet ègubernâsset, obiit Anno 1559. 15. Aprilis, sepultus ibi in Ecclesia Maiori.

51. MAVRITIVS, Nobili Sandizellorum familia natus, maioribus votis Capituli electus, cùm æmulum haberet Vitum à Fraunberg, Præpositum Frisingensem; &c. Hic bonum Oeconomum præstitit, vltra 30. Millia aureorum æris alieni persoluit, Turrim alteram summi Templi igne vnà cum campanis exusta, vnà cum Capitulo refecit: Tādem, cùm annis sex gubernâsset, resignauit Episcopatum Capitulo, retenta sibi annua pensione: In eius locum electus est Illustrissimus Princeps Ernestus, Dux Bauariæ, filius Ducis Alberti, inter fratres suos Iunior. Accidit autem, vt pridie eius diei, quo Mauritius Ernesto ex arce cedere, ac in quandam Episcopalem domum, in vrbe Frisingensi inferiùs sitam, commigrare proposuisset, ipse in balneo arcis Apoplexia tactus, repente moreretur, non in leue Successoris, ac Ecclesiæ commodum. Nam & pensione annua, & ea quidem satis graui liberati aliquot Millia aureorum, vnà cum non spernenda suppellectili in arce relicta, Duci Ernesto ac Capitulo ex more veteri cesserunt, quæ, si in alteram domum fuissent translata, ad propinquos suos ac hæredes pertinuissent, &c. Obiit Anno Dñi 1565. 16. Octob. sepultus in Ecclesia Maiori.

52. ERNESTVS, Palatinus Rheni, Dux Bauariæ, filius Alberti, post resignationem Mauritij Episcopi, fit Administrator Frisingensis; paucis pòst annis postulatur ad Ecclesiam Hildesianam in Saxonia, &c. Princeps egregiè doctus, Italicæ linguæ (nam per biennium ferè Romæ egit) non minùs quàm Latinæ peritus; Præest adhuc hoc 1581. anno, quo etiam Leodiensis Episcopus electus ac confirmatus est. Omnipotēs & animum & conatus suos, ad gloriam sui nominis, ad vtilitatem Catholicæ Ecclesiæ, ac animæ suæ, diuina sua gratia, dirigere velit. AMEN, &c.

IN NO-

IN NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDVÆ TRINITATIS, Amen, Fridericvs, diuina fauente clementia, Romanorum Imperator, semper Augustus; Quanquam rerum commutatio ex ipsa corporali institutione possit firma consistere, vel ea, quæ legitimè geruntur, nulla valeant refragatione conuelli, ne qua tamen rei gestę possit esse dubietas, nostra debet Imperialis auctoritas præcauere. Nouerit igitur omnium Christi Imperiiq; nostri fidelium præsens ætas & successura posteritas, qualiter nos, eius cooperante gratia, à quo cœlitus in terram pax est missa hominibus, in curia generali Ratisbonæ, in natiuitate S. Marię celebrata, in præsentia multorum religiosorum & Catholicorum Principum, litem & cōtrouersiam, quę inter dilectissimum Patruum nostrum Heinricum, Ducem Austrię, & charissimum Nepotem nostrum Heinricum, Ducem Saxonię, diu agitata fuit, de Ducatu Bauariæ, hoc modo terminauimus: Quòd Dux Austrię resignauit nobis Ducatum Bauarię, quē statim in beneficium concessimus Duci Saxoniæ. Dux autem Bauariæ resignauit nobis Marchiam Austriæ, cum omni iure suo, & cum beneficiis omnibus, quę quondam Marchio Lupoldus habebat, à Ducatu Bauariæ. Ne autem in hoc facto minui videatur honor & gloria dilectissimi Patrui nostri, de consilio & iudicio Principum, Vladislao, Illustri Duce Bohemiæ, sententiam promulgante & omnibus Principibus approbantibus, Marchiam Austriæ in Ducatum commutauimus, & eundem Ducatum, cum omni iure, præfato Patruo nostro, Heinrico & prænobilissimæ vxori suæ Theodoræ in beneficium concessimus, perpetuali iure sancientes, vt ipsi & liberi eorum post eos, indifferenter filij & filiæ, eundem Ducatum Austriæ hæreditario iure, à regno teneant, & possideant. Si autem prædictus Dux Austriæ, Patruus noster, & vxor eius absque liberis decesserint, libertatem habeant eundem Ducatum affectandi, cuicunque voluerint. Statuimus quoque, vt nulla magna vel parua persona, in eiusdem Ducatus regimine, sine Ducum consensu vel permissione, aliquam iustitiam præsumat exercere: Dux verò Austriæ de Ducatu suo aliud seruitium non debet Imperio; nisi quòd ad Curias, quas Imperator præfixerit, in Bauaria euocatus veniat; nullam quoque expeditionem debeat, nisi fortè quam Imperator in regna vel prouincias Austriæ vicinas ordinauerit. Cæterùm vt hæc nostra Imperialis constitutio omni æuo rata & inconuulsa permaneat, præsentem inde paginam conscribi, & Sigilli nostri impressione insigniri iussimus; adhibitis testibus idoneis, quorum nomina sunt hæc: Pilgrinus, Aquilegiensis Patriarcha, Eberhardus, Archiepiscopus Salisburgensis, Otto, Episcopus Frisingensis, Cunradus, Episcopus Patauiensis, Eberhardus, Episcopus Babenbergensis, Hartmannus, Episcopus Brixinensis, Hartvvicus, Episcopus Ratisbonensis & Tridentinensis, Dominus VVelpho, Dux (Spoletæ) Conradus frater Imperatoris, Fridericus, filius Regis Cunradi, Heinricus, Dux Carinthiæ, Marchio Englbertus de Istria, Marchio Albertus de Baden, Diethpoldus, Marchio de Voheburg, Heinricus, aliàs Hermannus, Comes Palatinus Rheni, Otto, Comes Palatinus (scilicet de VVitelinespach) & frater eius Fridericus, & alij quàm plures. In teutonico priuilegio verò quoque sequentes testes inscripti sunt, Gebhart / Graf von Sulspach / Engelbrecht / Graf von Hall / Gebhart / Graf zů Burckhausen / vñ vil andere mehr. Signum Domini Friderici Imperatoris inuictissimi.

Ego Rheinaldvs, Cancellarius vice Arnoldi Moguntinensis Archiepiscopi & Archicancellarij, recognoui, regnante Domino Friderico Romanorum Imperatore in Christo. Datum Ratisbonæ 15. Calendas Octobris, Indictione quarta, Anno Dominicæ incarnationis M. C Lvi. Anno Regni eius quinto, Imperij secundo. Amen.

B. IN NOMINE SANCTAE & indiuiduæ Trinitatis, FRIDERICVS, diuina fauente clementia, Romanorum Rex, & semper Augustus, dilecto Patruo suo OTTONI, Frisingensi Episcopo, eiusque Successoribus Canonicè substituendis in perpetuum: Ex quo diuina benignitate Romani Imperij gubernacula tenemus, dignum est, vt eius opitulatione, quantum possumus, quieti temporum, & paci Ecclesiarum curemus prouidere; Ita enim & in præsenti commissum orbem pacificè gubernari, & in futuro à Rege Regum sempiternæ retributionis præmio donari speramus.

INDE EST, quòd controuersiā, quæ inter te, charissime Patrue, qui in præsentiarum Frisingensis Episcopatus geris dignitatem, & Nobilissimum Consanguineum nostrum HEINRICVM, Ducem Bauariæ & Saxoniæ, super foro apud Fergen & München, dignoscitur agitari: Ita coram nostra & Principum præsentia decidere curauimus, vt deinceps omnis contentionis, quæ ob hanc rem inter vos haberi posset, sublata credatur occasio. Huius autem transactionis, vtriusque vestrum assensu & voluntate celebratæ, talem fuisse tenorem, præsentibus innotescat & futuris; forum, quod esse solebat, apud Vergen & Pons, ad Teloneum, de cætero iam ibidem non erit, neque moneta; in eius autem rei recompensationem, Consanguineus noster HEINRICVS Dux Ecclesiæ Frisingensi contradidit tertiam partem totius vtilitatis, quæ peruenire poterit, de Teloneo fori sui apud München, siue in tributo salis, siue aliarum rerum magnarum vel minutarum, seu venientium, seu inde redeuntium; Telonearium verò, aut suum habebit vterque vestrum pro beneplacito suo, aut si hoc visum fuerit, ambo vnum, qui teneatur vtrique vestrum ad respondendum, de moneta simile erit, tertiam quidem partem eius pensionis Episcopus accipiat, duæ in vsus Ducis concedant. Hoc autem fideliter ex parte Ducis laudatum est, vt sine dolo & malo ingenio singula hæc Ecclesiæ Frisingensi in perpetuum absque contradictione persoluentur; moneta tamen ad arbitrium Ducis locari debebit: Denique monetam Frisingensem ad voluntatem suam locabit Episcopus, tertiam tantùm suæ redditionis partem Dux habebit nomine feudi, concessurus, sicut & modò concessit, cuilibet. Hoc ipsum siue multum siue parum ad petitionem Episcopi: Statuimus ergo, & præsentis instrumenti paginæ roboramus, vt huius conuentionis hinc inde pari conuentia factæ ratum & inconuulsum, omni tempore maneat firmamentum, & vterque vestrum, quod accipit, teneat & quietè possideat, vestris vestrorumque Successorum vsibus iugiter profuturum.

PORRO ne huius facti memoria futuris, quibusque temporibus obliteretur, scripto Notarij ac Sigilli nostri impressione muniri, manuque propria, vt infrà apparet, corroboramus; Testes quoque, qui aderant, subternotari fecimus, quorum nomina hæc sunt; Arnoldus, Maguntinensis Archiepiscopus, Fridericus, Coloniensis Archiepiscopus, Gebhardus, VVirtzbergēsis Episcopus, Hermannus, VVarden Episcopus, Conradus, Augustensis Episcopus, Eberhardus, Babenbergensis Episcopus, Fridericus, Dux Sueuorum, Hermannus, Marchio Veronensis, Tidericus, Marchio de Lusitz, & frater eius Heinricus. Signum dn̄i Friderici, Romani Imperatoris inuictissimi. Ego Reinaldus Cancellarius, Vicedomini Moguntineñ. Archiepiscopi, &c. & Archicancellarij recognoui.

DATVM Augustæ 18. Calend. Iulij, Anno Dominicæ incarnationis Millesimo, centesimo, quinquagesimo octauo, Indictione sexta, regnante Friderico Romanorum Imperatore Augusto, Anno Regni eius septimo, Imperij verò tertio, &c.

C. IN NOMINE sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, FRIDERICVS, Dei gratia, Romanorum Imperator, & semper Augustus; Quæ imperiali statuuntur auctoritate, literis com-

ris competit annotari; Ne vel transcursu temporum antiquitate in obliuionem deueniant, vel prauorum hominum, fraudulentis machinationibus, indignam sui mutationem incurrant. Nouerint igitur vniuersi tam præsentis, quàm post futuræ ætatis fideles imperij, qualiter dilectus noster Adilbertus, Frisingen. Episcopus, ad Maiestatis nostræ præsentiam accedens, humiliter nobis cõquerendo significauit; Quòd Nobilis vir, Heinricus de Brunsvvick, quõdam Dux Bauariæ & Saxoniæ, forum in Vergen cum ponte, quod Ecclesia sua à longè retractis temporibus quietè possederat, destruxerit, & illud in villã München violenter transtulerit. Cuius siquidem rei veritas, & si nostræ constaret Serenitati; ipse tamen eam septem legitimis testibus, in nostra comprobauit audientia; sunt autem hi, Conradus, Saltzburgeñ. Archiepiscopus, Chuno, Ratisponensis Episcopus, Berchtoldus, Marchio Istriæ, Gebehardus, Comes de Sultzpach, Otto, Palatinus Maior, & frater eius Otto Minor, Fridericus Burggrauius. Consequenter igitur super eadem causa à Principibus Curiæ nostræ, requisita sententia, iudicatum est; Quòd præfati Heinrici factum temerarium in irritum ducere imperialis deberet auctoritas. Quocirca secũdùm iuris tenorem, translationem prædicti fori in vacuum reuocantes, ipsum forum cum ponte memorato fideli nostro Episcopo Frisingeñ. suisque Successoribus restituimus, & præsentis scripti priuilegio eis & suæ Ecclesiæ in perpetuum confirmamus. Item ad instantem prætaxati venerabilis Episcopi postulationem ex indulgentia Imperialis Clementię permisimus, & beneuolo approbamus assensu, vt prędia quæcunq; sumptibus suis ipse conquisiuit, pro libitu suo Ecclesiis, vel aliis religiosis locis, seu ad Altaria quælibet possit contradere, et de eorundem prædiorum redditibus pro suo arbitrio ordinare. Et vt hæc nostra constitutio in omne æuum rata permaneat, & inconuulsa præsentem paginam in memoriam facti cõscribi fecimus, & Maiestatis nostræ Bulla communiri: Testes huius rei prædictus Conradus Archiepiscopus, Chuno, Ratisponẽsis Episcopus, Berchtoldus Marchio Ystrię, Otto Palatinus Maior, Otto Palatinus Minor, Gebhardus, Comes de Sultzbach, Fridericus Burggrauius. Item alij testes, qui eidem negotio intererant, Diethpoldus, Patauiensis Episcopus, Heinricus, Curiensis Electus, Gaffiodonius, Mantuensis Episcopus, Gottfridus Cancellarius, Ruodolphus Notarius, Romanus Præpositus Halucrstatensis, Heinricus Burggrauius, Siboto Comes de Nuivvenberg, Heinricus de Altendorff, Degenhart de Halenstain, Chunrad, Burggrauius dę Nürenberg, Fridericus de Druchendingen, & frater eius Albertus, Amelbrecht de Lochhusen, Heinricus Marschalck de Pappenhaim, Burckhardus Camerarius, Atzo Camerarius, Regilo Camerarius, Rudolphus de VValdecke, Heinricus Fœlix puer, Adilolt de Dornbach, Englvvan de Achdorff, & frater eius Heinricus, Ruodolphus de Ried, Hartuicus Marscalcus, Berchtoldus de Reichershausen, Sibot de Holtzhausen, VVolpherus de Holtzhausen.

Ego Gotfridus Imperialis Aulę Cancellarius, Vicedomini Cristiani Maguntinę Sedis Archiepiscopi, Germaniæ Archicancellarij, recognoui, &c.

Signvm Domini Friderici, Romanorum Imperatoris inuictissimi, &c. Acta sunt hæc Anno ab incarnatione Domini M. C. Lxxx. Indictione XIII. regnante Friderico, Romanorum Imperatore gloriosissimo, Anno Regni eius XXIX. Imperij verò XXVI. Datum Ratisponæ in solemni Curia 3. Idus Iulij, fœliciter. Amen.

RATISPONENSES EPISCOPI.

RATISBONA ciuitas est Imperialis & libera, ad Danubium, in dextra illius ripa posita, eo in loco, vbi fluuius iste duos Nariscorum, magnæ Germaniæ populorum nauigabiles amnes, Nabum & Regenum, in se recipit. Huius vrbis incunabula iam inde ab Augusti Octauij Cæsaris temporibus, ante natum CHRISTVM Saluatorem nostrum, cœperunt: quod testatur prima illa vrbis appellatio, ita vt inter antiquissimas Germaniæ ciuitates meritò possit poni; quæ nimirum à Claudio Tyberio Nerone, posteà Cæsare, Octauij priuigno condita, in honorem Patris adoptiui Augusti, Augusta Tyberij initio sit nominata; Quo tempore & aliæ ciuitates in plerisque orbis partibus Augustarum appellationem sortitæ sunt.

ETENIM solenne tunc erat Regibus amicis, & Pop. Roman. sociis, vt singuli in suo quique Regno, quemadmodum Suetonius scribit, Cæsareas & Augustas vrbes, in honorem Augusti viuentis, extruerent. Et nunc omissis Cęsareis, quæ ad præsens institutum parum facere videntur, Augustarum exempla libet ponere. In Syria Herodes Magnus Samariam à fundamentis excitaram, in honorem Augusti, Sebasten, id est, Augustam nominauit. De Augusta Treuirorum & Augusta Rauricorum nihil dicam. De Druso Nerone, Augusti filio adoptiuo, scribit Florus, cùm is Galliam & Rhetiam sortitus, in Germaniam duxisset, & validissimas gentes vel subegisset, vel maximorum fluminum, Rheni & Danubij, seclusisset obiectu, quòd in tutelam Prouinciæ præsidia disposuerit vbique, adeò vt per Mosam flumen, per Albim, Visurgim, per Rheni ripam plura quàm quinquaginta Castella erexerit: In quibus & Magūtiacum in Gallia, & in Rhetia Augustam, quę priùs Vindelica dicebatur, ex nomine Patris Augusti vocatam, cum instauràsse, scribit Otto, Frisingensis Episcopus, libro historię suę tertio.

CAETERVM Druso in Germania extincto, frater illius Claudius Tyberius Nero ipsi in Imperio successit; qui cùm triennio continuo Germaniam totam armis perlustràsset, gentesque nominibus penè incognitas deuicisset, adeò vt 40. millia Germanorum in Galliam traducta, ad Rheni ripam sedibus assignatis collocaret, Marobodum Marcomannorum Regem oppugnaturus (vt P. Velleius Paterculus, qui sub illo Magister Equitum in Germania militauit, libro secundo, Rom. histor. scriptum reliquit) Hyberna ad Danubium, vt illinc commodè in Boiohæmum Marobodi Regiam transiret, præparauit. Cùm autem illic stationes crebras Germanis Danubium transituris opponeret, oppidum ibi conditum in Patris honorem, Augustam Tyberij cognominàsse creditur. Quæ ciuitas, cùm paulò pòst à multis Germaniæ populis frequentaretur, Ratisbonæ nomen accepit, siue Ratisponti, quòd ratibus, quibus homines vehebātur, magna illic statio erat (vt Radeuicus Frusinensis Canonicus, lib. 2. scripsit) & ratibus flumina veluti pontibus iungerentur. Hoc nomen Latinum, cùm Germani deinceps vrbe sub Theodone primo potirentur, abolitum est, & Teutonicè Reginoburgum, id est, Regenspurg appellata vrbs est, quod nomē adhuc hodie in vsu est. Theodo enim primus Augustæ Tyberij nomen mutauit, & Reginoburgum à nomine Reginopirgę, vxoris suæ, vt quidā existimant, appellauit. Alioqui Ratisbonę & Reginoburgij nomenclatura haud obscurè indicat, oppidū illud olim alio, quàm nunc est sita, loco fuisse positum, & ob crebras oppugnationes & expugnationes, nomen vrbi, vt cunq; situ fortè mutato, remāsisse. Multas enim hæc vrbs crebrò mutationes sustinuit, dum post fugatos

Roma-

Romanos, Boiorum quondam Regum, deinde Norici Ducatus, & totius Boiariæ Metropolis, autore Radeuico, fuerit; nunc autē Romano Imperatori pareat. Plura in hanc rem dici possent, sed cùm res ciuitatis huius describere nobis non sumpserimus, satis sit hîc indicâsse originem huius vrbis, quæ celebris adeò fuerit semper, vt Boiariâ ad Christi fidem conuersâ, ipsa sit Episcopatu decorata, cui qui Antistites præfuerint, & ordine sibi successerint, iam videbimus.

DE PRIMO RATISPONENSI EPISCOPO PAVLINO.

RATISPONA serò ad fidem Christi conuersa est; Primus ex aduenis eò venisse scribitur, PAVLINVS quidam Episcopus: Quid verò illic egerit, quot annis præfuerit, quem Successorem reliquerit, nihil extat. Quidam huius rei fidem faciunt ex historia sancti Seuerini, quæ Ratisponæ inuenitur. Cùm verò Seuerini multi, multi itidem Paulini fuerint, nihil discernunt, & rem per se alioqui incertam etiam nominibus confundunt. Ad hæc etiam in temporum & annorum supputatione non conueniunt; Ita vt vix credi possit, Episcopum tam maturè Ratisponam venisse. Nam aliqui scribunt, Paulinum hunc Ratisponæ præfuisse, sub Simplicio vel Sulpitio Pont. Max. circiter Annum Domini 470. Aliqui verò scribunt id factum esse, imperante Zenone, Anno 484. quando iam Clodoueus, id est, Ludouicus primus Francorum Rex regnabat: Quo tempore sanctus Seuerinus, Rauennaris Episcopus, ob turbatas res Italicas, in Norico ripensi morabatur, vbique semina Apostolicæ doctrinæ spargens, vbi in oppido Pannoniæ Astanis, arce Comogenis, & ciuitate Flauianis, atque aliis aliquot locis sui memoriam æditis miraculis posteritati reliquit. Qui etiā Odoacro & Pheleto, Rugis Regibus, spiritu Prophetico euentura prædixit. Magister Conradus de Monte puellarum, Canonicus Ratisponensis, ad confirmandam Ecclesiæ Ratisponensis vetustatem scripsisse dicitur, quòd Paulinus à sancto Seuerino, Episcopo Rauennate, qui bellico tumultu in Norico ripensi flagrante, Monasticam vitam agebat, præmonitus primus Ratisponensis Ecclesiæ Præsul sit effectus per Gelasium, Pontificem Maximum, sub Zenone Imperatore, Anno 484. Hæc sunt ex vita sancti Seuerini Abbatis, quam descripsit Paschasius Diaconus, ad petitionem Eugippi discipuli, Coætanei sancti Seuerini. 1.

SANCTVS LVPVS, quidam Romanus, Anno 489. sub Theodone primo, Bauariæ Duce, venit Ratisponam, ibique propter veræ fidei annuntiationem & confessionem Martyrio coronatus est, Boiis antiquas suas superstitiones mordicus retinentibus. Huius rei testimonium est, quod in Catalogo Pataniensium Episcoporū legitur: Tempore Zenonis Imperatoris, Archiepiscopus Patauiæ Theodorus, & Ratisponensis Lupus, natione Romanus, ab infidelibus Bauaris cæsi sunt, sub Theodone primo, Duce Bauarorum. Legitur & alibi, Lupum sub Theodone primo fuisse, sed id sub Anastasio Imperatore, Anno 508. qui fuit imperij Anastasij 17. scribit Auent. lib. 3. Annal. fol. 255. cum sequenti; vbi dicit: Lupus, tùm vrbis Ratisponen. Sum. Pontifex, quo tempore Theodo illā expugnauit, perieritne, an aufugerit, incertum est, vt sit Synchronus Boëtio Consuli. Hic Lupus fuit Episcopus etiam Sclauorum, & Carentanorum Presbyter, vt testantur ipsorum Annales. 2.

RATHARIVS, Magister ille Conradus Puellarum, qui sub Vrbano quinto, & Gregorio decimo, circiter Annum Domini 1373. primus Episcopos Ratisponenses congessit, sed minùs digessit, ait Ratharium ex aduenis Episcopis Ratisponensi Sedi præfuisse, Anno 704. (alij 706.) temporibus Ioannis VI. Pontificis Maximi, sed vt alij volunt, Constantini & Tiberij Imperatoris tertij; vbi rursum 3.

 sibi

sibi parum constant, ita vt contraria videatur alienæ Bibliothecæ fides, nempe Patauinæ scribentis, in hunc modum: Anno Domini 540. Patauiæ Archiepiscopus GEBHARDVS, Ratisbonæ verò RATHARIVS. Idem Ioannes Auentinus folio 266. libro 3. Annalium: nisi quòd annorum numerum omittit, & id tempore sancti RVDPERTI accidisse scribit. Aliud de hoc Episcopo non extat, nisi quod liber de translatione & miraculis sancti Emmerani narrat, Hugobertum, Ducem Bauariæ, sub Ratharío Episcopo quodam aduentitio possessiones quasdam curtis Pirchinvvanch Ecclesiæ sancti Emmerani tradidisse. Hinc coniectura est, quòd circiter triginta annos sibi præfuerit.

4. SANCTVS RVDPERTVS, Illustri Francorum Regum familia natus, Ratisbonam & totam Bauariam, baptizato Theodone tertio, Bauarorum Duce, ad fidem Christi conuertit; vnde Apostoli Bauariæ nomen meruit, primus Salisburgensis Episcopus, de quo ibi fusiùs. Quòd autem quidam eum inter Ratisbonen. Episcopos quarto loco ponunt, hoc apud alios Autores non reperio; tùm id qnoque constat, quòd Garibaldus primus fuerit legitimus Episcopus, ante quem erant tantùm aduentitij, &c. vt infrà dicetur.

5. SEMMERANVS Aquitanus, circiter Annum 642. Pictonum erat Episcopus. Hic audiens Auares populos inferioris Pannoniæ Christianismo nondum satis imbutos, Episcopatu suo repudiato, ad illos profectus est. In itinere à Theodone, Thessalonis filio, Bauarorum Duce, benignè acceptus est Ratisbonæ, rogatusque etiam, vt quod nuper sanctus Rudpertus in ea vrbe plantâsset, ne exaresceret, ipse salutari aqua & cœlestis doctrinæ riuis rigare vellet. Exoratus ergò Ratisbonæ, & per totam Bauariam mysteria Christi triennio prædicauit, ac deinde rationem veluti rerum gestarum redditurus, Romam iter arripuit, sed in itinere comprehensus interficitur hac occasione. Theodoni Principi filia erat, nomine Vta, quam Sigibotho quidam Decurio Equestris compresserat, vtero itaque intumescente, proditur flagitium. Vta huius rei culpam in D. Emmeranum absentem confert. Landobertus frater puellæ, dedecus hoc vlturus, Pontificem apud Helfendorf pagum inter Oenum & Isaram amnes consequitur, eundemque supra scalas duriter colligatum membratim dissecari iussit, seminecemque relinquit. Innocentia Pontificis statim miraculo patefit. Artus dissecti & disiecti à populis vndique coëuntibus ad Isaram deuehuntur, (quinque millia passuum infra Monachium extat ædicula, hnius rei monumentum) ibi nauiculæ impositi in Danubium, inde Danubio aduerso 50. millia passuum Reginoburgium deferuntur. Obuiam certatim effunduntur, Dux Theodo, Proceres, Ciues, Sacerdotes & Prophani corpus excipiunt, & in Templo D. Georgij extra mœnia condunt Anno 652. Princeps, vt insontis Pontificis cædes aliquo piaculo lueretur, ędem perquàm amplam ædificat, Diui Benedicti cæremoniis & Monachis dicatam, filiam Vtam in Italiam relegat, filium Landobertum profugum facit. Epitaphium eius hanc habet inscriptionem:

Vt latius in eius Vita scribitur.

EMMERANVS, Pictauiensis Episcopus, prædicando DEI verbum, venit in Bauariam, & ibidem in Helffendorf passus est, Anno 652. & hic tumulatus est: Ita habet vulgata legenda. Sed Ioannes Auentinus libro 3. Annalium, folio 281. ponit sanctum Haymeranum, Pictauia Noricorum vrbe, cuius D. Hieronymus meminit, oriundum, quæ Colonia olim Romanorum insignis, tùm municipium Boiariæ nunc in villas abierit, Pitten nominata, ac in Austria in confinibus Vngariæ sita, quæ olim celebres Comites habuit de Pitten, Scharding, & Lambach, de quibus in libro meo stemmatum Bauariæ latiùs.

SANCTVS ERHARDVS, hic aliquoties Ratisbonensium Episcopus nominatur, cùm tamen sedem Episcopalem nunquam ascenderit, sed peregrinationis occasione Ratisbonam venerit hoc modo. Fuit iste Erhardus natione Scotus, Ardakadensis Episcopus, qui cum fratribus suis, Hyldolpho & Alberto, aliisq; multis, relicto Episcopatu, peregrinari voluit, veniensq; Romam, cùm ab Adriano vel Leone 3. (nam vterq; nominatur à scriptoribus) Pontifice Max. fratres ipsius in Vrbem Treuerim prædicandi gratia mitterentur, comitem sese illis addidit: Hyldolpho autem, qui & Archiepiscopus Treuirensis fuit, fatis concedente, Erhardus, vbi sese in illius locum sufficiendum videret, qui iam antea propter Christum omnes suas possessiones reliquerat, Ratisbonam confugit Anno 742. & apud Ordinis S. Augustini religiosarum fœminarum Cellulam hospitio exceptus est; ibiq; post cæcos illuminatos, paralyticos sanatos, atq; alia diuinæ virtutis opera ædita, in Domino obdormiuit, sub Pipino Caroli Magni Patre. At Ioannes Auentinus diligens antiquitatis perscrutator, de S. Emmerani Monasterio, primo apud Regihoburgium literarum bonarum domicilio, sic scribit: Ibi, inquit, tùm literis instituti sunt, D. Arionardus, id est, Erhardus & D. Hyldolphus, frater eius, genere Norici; ille Reginoburgensis, hic Treuirensis Archimystes posteà fuit. Annales Archiepiscoporum Treuirensium, à fratre Petro Kratepolio Minorita nuper editi, Auentini sententiam probant, ambos scilicet ex præclara Boiorum familia ortos, &c. Alij non Noricos, sed ex Ibernia Scotos fuisse asserunt. Plura qui velit, legat ipsorum vitas. At superior numerus Anni 742. non quadrat cum Adriano 1. qui Anno Domini 771. neq; cum Leone 3. qui Anno 795. Ecclesiæ Rom. Præfecti sunt. Propter antiquitatem temporum ac scriptorum penuriam, illorumq; discordantiam vix aliquid certi tradi potest. 6.

ALBERTVS, Anglicus natione, Cassilensis Archiepiscopus, cum collega suo S. Erhardo, sumptis secum vndeuiginti fratribus, relictis post se omnibus, Romam iuit. Inde, cùm S. Erhardus in Germaniam pergeret, S. Albertus cum septem Sociis in terram sanctam ad sepulchrum Domini peregrinatus est; vbi etiam vnum è Sociis suis Gillipatricum amisit: Regressus verò cùm Salisburgum venisset, alium è suis comitibus Ioannem rebus humanis excedentem sepeliuit: Hinc cùm Ratisbonam appulisset, ad S. Erhardum visitandum, eumq; iam mortuum inuenisset, Deum precatus est, vt Socius S. Erhardi etiam post mortẽ esse mereretur. Itaq; paulò pòst mortuus inuẽtus, sepulchro D. Erhardi coniunctus est: Inde patet, qua occasione Ratisbonam peruenerit. 7.

VELIPHOLAEGVS ponitur in Annalibus Auentini, libro tertio folio 276. quem in sua translatione vocat VVolflaicum, nempe S. Emmerani fidelem Cooperarium, cui etiam sanctus Vir suam innocentiam post mortem reuelandam concredidit, & quem tanquam successorem suum reliquit, vt legitur in vita S. Emmerani scripta, per quendam Cyrinum, in qua VVolfletus vocatur, ab Auentino in Velipholægum detortus, sicut idem autor in nomenclatura Annalibus suis præfixa scribit. Surius in 5. Tomo de vitis Sanctorum, in intitulatione vitæ S. Haimerani ponit Cyrinum equè Episcopum Ratisbonen. fuisse: quod alibi non legi. 8.

VHICTERBVS ponitur ab eodem Auentino Ratisbonensis Episcopus, lib. 3. fol. 281. & fol. 283. quis tamen ille fuerit non constat. Auent. ibi refert verba cuiusdam libelli ab ipso Vlcterbo Episcopo Anno 754. scripti, & apud S. Haymeranũ seruati, &c. & qui huic à Diuo Bonifacio ac Vtilone, Boiorum Duce, suffectus sit Geoualda, huic Garibaldus, vt sequitur. 9.

10. SANCTVS VVYNIFRIDVS, à Gregorio 2. Pontifice Maximo Legatus & Reformator in Germaniam missus, Anno 719. ob fœlicem verbi Dei successum in Hassia, Thuringia, Frisia, Ab eodem Pontifice Maximo, Anno 723. in Episcopum consecratus est, & Bonifacius nominatus. In Germaniam itaque reuersus, Boiariorum visitauit terras sub Hugoberto Bauarorum Duce Euangelium Christi vbique magno studio annuncians, Erenuolfium quendam Schismaticum per Canonicas sanctiones condemnatum excommunicauit, & populum ab eius Sectæ Idolatria, ad ouile Christi perduxit. Paulò pòst à Gregorio 3. creatus est Archiepisopus Moguntinus. Ab Vtilone autem, Hugoberti filio, inuitatus, iterum in Bauariam venit Anno 727. ibi Ecclesias reformauit, fideiq; Sacramenta instituit, & seductores populi eiecit; quorum aliqui gradum Episcopalem falsò sibi arrogabant, aliqui officio Sacerdotali non legitimè fungebantur. Vnde Vir iste sanctus, totius penè Bauariæ Ecclesias, Parochias & Episcopatus, in istam formam distribuit, prout hodie adhuc durat: Nempe tres Viros, literarum scientia & morum sanctitate insignes, Episcopos Boiis declarat, Ioannem Salisburgi, Ariobertum fratrem Diui Corbiniani Fruxini, Geoualdam seu Garibaldum Reginoburgen. Pôtificem designat, Victerbo senio tùm confecto socium asciscit. Viuilus antea à Rom. Pont. consecratus fuerat, Pataniamq; Laureaco exciso transferat. Auent. lib. 3. fol. 291. Atq; hæc sunt, quæ de primis illis Episcopis aduentitiis, qui sine Cathedra & ordinaria successione præfuerunt, dici possunt.

DE PRIMIS EPISCOPIS RATISPONENSIB. QVI CATHEDRAM ET SVCCESSIONEM ORDINARIAM INCHOARVNT.

1. SANCTVS GARIBALDVS, aliàs Gaubaldus, prim⁹ in hac serie Ratisponẽ. Episcopus, à S. Bonifacio Arciepiscopo Mogũtino, iussu Gregorij 3. cõstitutus, Anno 740. vel 739. secundùm alios, habuit Sedẽ Episcopalẽ, Ecclesiã S. Emerani, sicut pleriq; Episcopat⁹ primò in Monasteriis ceperũt. Dedit illi hanc Ecclesiã S. Emerani Bonifacius cõsensu Ducis Boiariæ Vtilonis, quæ sola tunc Ecclesia potuit Episcopũ alere; propter cõcursum enim populorum ad S. Emeranum nonnihil ditata erat. Sed & Hugobertus, Vtilonis Pater, Templo beatorum, Georgij & Emerani, tradiderat certas quasdã possessiones, sub Rathario Pontifice aduentitio, in fratrum Monachorum sustentationem, inter quas in literis antiquis, curtim, Pirchinvvang vulgò dicta, cõnumerantur; è quibus quidam putant S. Emerani Monasterium pleno iure ad Episcopalem sedem Ratisponensem aliquando pertinuisse. Cęterum Garibaldus iste communiter Gaubaldus & Gębaldus & Gaiabaldus nuncupatur: In Salisburgensium autem Episcoporum Catalogo manifestè Gariobaldus legitur. Auentinus quoq; Garioualdum nominat, quod nomen Boiaribus Ducibus multis commune fuit. Iste sanctus Vir fuit vigilans sui gregis Pastor, qui creditum sibi Ouile magna solicitudine & fouit & auxit, & Consilio sui Cleri corpus S. Emmerani in monumento laminis aureis & argenteis, margaritis & lapidibus pretiosis ornato, populo spectandum præbuit. Præfuit annis 13. sed secundùm Chronica S. Haymerani 22. Obiit Anno 752. sepelitur in Ecclesia S. Emmerani.

2. SYMPERTVS, aliàs Synobertus, S Garibaldi successor, eligitur Anno 752. sub Constantino 5. Copronymo Imperatore. Interfuit Synodo Dingelfingij habitæ, Anno secundùm aliquos 775. Auentinus fol. 302. Iste ex Ecclesia S. Emmerani, quæ tunc paucorum Monachorum erat contubernium, Monasterium amplum fecit Anno 783. idq; iussu & permissu nonnullis etiam ad hæc sumptibus Caroli Magni, postquàm

postquàm is, eiecto Tassilone Duce, aliquoties sibi rebelli, Boiariam in suam potestatem redegerat. Fuit hic Sympertus homo pacificus, & qui Tassilonem Carolo Magno aliquoties reconciliauerat. Per hunc etiam Sympertum, Carolus Magnus constitutiones, quas Aquisgrani Conuentu habito decreuerat, in Boiariam misit. Præfuit annis 32. secundùm Chronica S. Haymerani 24. Sepultus est in Ecclesia S. Emmerani, à se constructa. Durauit eius structura vsque ad Fridericum primum (quoniam Anno 1166. igne consumpta legitur sub Adalberto Abbate) satis magnifica, ad quam plurimum contulit Pipinus, Caroli Magni Pater.

CONSTANTINVS quidam post Sympertum Ecclesiæ Ratisponensi præfuisse legitur, qui tamen in Catalogo Reginoburgensium Episcoporum non ponitur, fortasse ob breuitatem regiminis, quòd tantum vnius anni fuisse scribunt, vt inter Sympertum & Adaluuinum velut inter Rex fuisse videatur, in electione parum concordi. Sepultus est apud S. Emmeranum, vbi etiam nihil de eo, &c.

ADALVVINVS, Episcopus & Abbas, Præfectus est Cathedræ Episcopali, Anno 790. sub Hyrena cum filio Constantino 6. regnante. Iste Adalvvinus, cùm 3.
decennium præfuisset, à Regibus Francis, qui Boiariam occupârant, persuasus, Monasterio Cathedrali cessit, sede Episcopali in ciuitatem translata, in Ecclesiam S. Stephani prothomartyris. Quæ autem causa fuerit, cur Adalvvinus Ecclesiam recens & opibus & exstructionibus auctam reliquerit, facilè indicari non potest. Certè Ludouicus primus, Caroli Magni filius, siue sua sponte, siue à Monachis subornatus, petiit à Patre, vt hoc Monasterium sibi vendicaret; Pater ipsius petitionis morem gerens, à summo Pontifice exemptionem impetrauit. Cuius rei autor in Catalogo horum Episcoporum duas Epistolas adfert; alteram summi Pontificis Leonis tertij, alteram Caroli Magni Imperatoris, quarum tenor sequitur, sub finem horum Episcoporum signis A & B. Sed vtut sit, siue hæc, siue alia causa fuerit huius discessionis, tamen firma & rata habita non est, cùm non fuerit voluntaria, sed potiùs Caroli iubentis autoritate coacta. Vnde cùm Adalvvinus annis post sedis translationem sedecim Episcopatum gessisset, moriens non in sua Cathedrali, sed in S. Emmerani Ecclesia cum suis Antecessoribus sepeliri voluit, postquàm annos 26. præsedisset vtrobique. Sub hoc Adalvvino Concilium fuit Ratisponæ Anno 792. quod Carolus (qui per totam æstatem Ratisponæ commoratus est, ob bellum cum Hunnis gerendum) conuocari curauit, in quo Feliciana hæresis damnata est, in quo Concilio & de translatione Sedis Episcopalis actum videtur, & res tantisper protracta, dum deinceps per Leonem Hadriani successorem confirmaretur. Alteri quoque Concilio interfuit hic Adalvvinus habito Salisburgi, iussu Caroli Magni, circa Annum 806. vel sequente, vbi de soluendis decimis ac diuidendis Ecclesiarum prouentibus tractatum & decisum.

BATHVRICVS Adalbino successit Anno 814. Carolo Magno iam rebus humanis paulò antè exempto; at secundùm Auent. fol. 379. Anno 816. Iste 4.
Adalvvini factum reuocauit, & Ecclesiam S. Emmerani rursum poposcit, & in ditionem suam redegit. Qua de re Richobaldus Abbas eius Monasterij ad Ludouicum primum, Caroli filium, profectus, impetrauit confirmationem immunitatis Monasterio à Parente datę, Eugenio Papa subscribente, cui legationi tam anxiè immoratus est, vt etiā in illa moreretur. Extat huius confirmationis exemplū sub finē, istorū Episcoporum signo C. His tamen nō obstantibus, Eugenio mox defuncto, Bathuricus Episcopus, quòd se inscio & minimè cōsentiente gestū erat, ratū habere noluit, & Eccle-

& Ecclesiam S. Emmerani sibi subiecit, eiusq; bona pro arbitrio administrauit, confirmãte hoc Ludouico, Rege Boiariorum, Ludouici Imperatoris Augusti filio: dedit enim Bathutico Episcopo, tunc temporis Præsuli & Rectori Monasterij S. Haimerani, summo suo Capellano, Sandoluceshusin & Guntereshusen, atq; Mandachechingen cum mancipiis; à quo rursum accepit quasdam res Monasterij, quæ sunt in pago Housе, in villa nuncupata Solzimos, quicquid ibi habere videbatur, id est, Ecclesiam cum vniuersis domibus, ædificiis, mancipiis, terris, Syluis, &c. Extat diploma apud S. Haimeranum, cuius Datum Anno Christo propitio 2. Regni Ludouici, gloriosissimi Regis in Orientali Francia, Ind. 7. Actum Regancspurch. Extat quoq; Ratisponæ aliud diploma, quod sub finem quære litera D.

Tantum verò abest, vt Bathuricho proprietatẽ Monasterij S. Emmerani, secundùm exemptionem Patris Ludouici Augusti, filius Ludouicus Rex ademerit, vt etiã plurima illi addiderit. Siquidẽ idẽ ipse Ludouicus Rex Boiorum, Anno sequenti, Ecclesiæ S. Emerani tradidit, & priuilegiis cõfirmauit, res proprietatis suę in Vngaria, & nẽpe locum, vbi antiquitùs fuit castrũ Harlungenburg, sitũ in Harlungenfeldt, cum reliquis adiacentiis in circuitu; quarũ possessionum termini sunt ab eo loco, vbi Erlfa in Danubium influit, sursum per fluminis ipsius ripam, vsq; ad locum, qui dicitur Ertgasteg, & ab eodem flumine in Orientali parte, vsq; in medium montem, qui apud VVinados (hoc est Sclauos) Colomezze vocatur, vbi in duabus arboribus euidentia signa monstrantur; Et ab eodem loco in parte Aquilonis, vsque in Danubiũ, & ad meridiem & occidentem, per verticem montis, sicut euidentia arborum signa demonstrant, vsque ad supradictum locum Ertgostegi: Has namq; res cum Sclauis ibidem commorantibus, cum domibus, ædificiis, terris, cultis & incultis, pratis, Syluis, aquis, & quæcunque inter prædictos limites continentur, tota & integra Ecclesiæ nominatæ in perpetuum donauit. Iuxta diploma ibi, cuius Datum 2. Non. Octobris, Anno 19. Imperij Domini Hludouici Serenissi. Aug. & Anno 7. Regni nostri Ind. 11. actũ Reginespurch ciuitate, in nomine Domini nostri feliciter Amen. His omnib. adiecit medietatem vnius vici, qui vocatur Tullin, cum omnib. appendicibus ad ipsum vicum pertinentibus; ea lege, vt mensæ Monachorum deseruirent, & nullius conditionis persona spiritualis vel secularis easdem possessiones in beneficium dare vel accipere debeat, vt in vetusto & manuscripto Ratisponensium Episcoporum Catalogo scribitur. His & aliis quàmplurimis beneficiis affecit Ludouicus Rex Boiorum Baturichum Episcopum. Vnde, cùm ipsius Cõiunx Hemma, Regina Caroli 3. cognomento Crassi mater, Monasterium superius beatæ Virginis Ratisponæ ab eodem Episcopo peteret, illud accepit; dato in permutationem Monasterio suo Mansеensi Anno 831. moxq; Regina impetratum Monasterium magnificẽtius ædificatum multis donationibus auxit, ibiq; sepeliri voluit. Quæ omnia Carolus crassus, Hemmæ Reginæ filius, diplomate confirmauit, de quo latiùs, sub illo Monasterio. Præfuit iste Barhuricus annis circiter 30. aut 28. Sepultus est in Templo S Emmerani. Boiohemi sub Ludouico Boiorum Rege S. Christianam religionem susceperunt, quatuordecim gentis Dynastæ cum popularibus suis baptizati sunt, iussusq; est Bathuricus illos in pietate Christiana erudire. Nam Bohemia, quæ ab occidente & meridie Boios respicit, in rebus diuinis paruit Episcopis Ratisponensibus vsq; ad D. VVolfgangum, cuius consensu deinde proprios habuerunt Episcopos, Anno de quo infra, &c.

5. ERCHANFRIDVS Bathurico successit, Anno 842. Et hic Episcopus non obstante Ludouici Imperatoris exemptione Monasterium S. Emmerani cõstanter obtinuit, adeò vt postha omnes eius successores, vsq; ad S. VVolfgangum illud ipsum Monastetium possederint, per annos plus quinquaginta supra centum, consentien-

sentientibus ad hoc Regibus, vt essent simul & Abbates & Episcopi; nec enim Abbatem vllum ferè ab hoc tempore, vsque ad B. Ramuoldum, quem S. VVolfgangus instituit, Monasterium Emmeranicum habuit. Iste Erchanfridus VVilhelmo, Comiti Austriæ, persuasit, vt S. Emmerano omnem suam proprietatem, quam habuit infra duo flumina, Agastam & Nardinam, à locis videlicet, vbi in Danubium influunt, vsque ad ea loca, vbi de venis in amnes deriuantur, & ita vsque in Nordvvald, in hanc partem Syluæ, sine termini conclusione, cum domibus, ædificiis, villis, & reliquis ad hæc pertinentibus & ibidem sitis; & insuper quicquid ad Rosdorf possederat, in mobilibus siue immobilibus, donaret. Hæc omnia ad integrum S. Emmerano Comes VVilhelmus legauit. Obiit Erchanfridus Anno suæ ordinationis 10. sepultus est apud S. Emmeranum, annos plusquam nonaginta natus. Huic Erchanfrido, possessori Manasterij Manseensis, contentio fuit cum Leupramo Archiepiscopo Salisburgensi, de piscatione & venatione ad Manniscum compromisso facto in quendam Heripaldum, qui respondit, quomodo ab antiquis temporibus tàm piscando quàm venando obseruatum sit, in præsentia plurimorum Testium. Actum in Mannisco, Anno 849. Indict. 12. de quo latiùs in libro traditionum ibi.

6. EMBRICHVS, qui dicitur & Embricho & Ambricho, suscepit Episcopatum Anno 852. Ludouico Rege, filio Ludouici Pij apud Boios adhuc regnante, sub Ludouico 2. Lotharij filio Imperatore. Sub id tempus contigit, secundùm Sigebertum Chemlacen. Chronographum sub Anno 875. manes Ludouici Imperatoris errare; Vnde Ludouico Regi Boiorum parens, olim Ludouicus Augustus in somnis apparens, eum obtestatus est, vt se per nomen S. Trinitatis eriperet è tormentis, quibus detineretur. Ludouicus igitur in parentem pius, ad diuersa Monasteria datis Eleemosinis Patri fideliter succurrebat, in his & Monasterio S. Emmerani plurima addidisse credibile est, qua occasione Monachi ab illo confirmationem exemptionis, Monasterio à Parente olim factæ impetrârunt, confirmato censu, septem aureorum Nicolao Pontifici maximo persoluendo singulis annis. Sed ista confirmatio Ludonico è medio sublato in nihilum recidit, cùm illius filius, Carolus cognomento Crassus, Episcopo Embrichoni continuò Monasterium restitueret. Fuit adiutor Ludouico in bello contra Suatebogum nepotem Radiszolai, Morauum & venedos, Embricus cum parte copiarum iuxta Danubium ad tutandas naues relictus, cùm incautiùs excubarent ab hoste clam oppressus, vix fuga elapsus est, cæsis sex milibus Boiorum, Auentinus libro quarto folio 437. Scribitur fuisse Vir patiens, humilis & sobrius, & Arnulfo Cæsari fidus, ac obiisse Anno 891. Quo Anno ipsa ciuitas Ratisbonensis subito incendio conflagrauit, cum omnibus ædificiis & Ecclesiis, exceptis Tēplo S. Emmerani, & Ecclesia S. Cassiani, in media Vrbe constituta, quæ diuinitus seruata sunt. Commutatio inter hunc Ambrichonem & Otkarium, Episcopum Aichsteten. Tradidit hic cum Aduocato suo VVinepoto talem proprietatem, quam à Rege consecutus est, ad Zullingen & ad Mammingen & ad Vsterlingen cum mancipiis 20. Ecōtrà Ambricho Episcopus dedit eum Aduocato suo Ratholdo, talem hæreditatem, quam quidam Nobilis ad S. Petrum pro remedio animæ suæ tradiderat ad Perga & Ogivvila & 20. mancipia. Actum in Regina ciuitate, Anno Domini 863.

7. ASPERTVS, qui & Isbertus dicitur, è Monacho S. Emmerani Episcopus factus est, Anno 886. Carolo Crasso adhuc imperante, sedit in Episcopatu annis 4. Sepultus est in Monasterio S. Emmerani. Hic numerus non conuenit cum morte Embrici: Chronica S. Haimerani hunc Anspertum quoq; ponit in numero 7. Episcopum sedisse annos 4. Præfectum sedi, regnante Arnolpho Imp. & Stephano

Papa

Papa, qui fuit huius nominis 5 vterq; Anno Domini 887. Alter ad Pontificatum, alter ad Regnum vocatus; prædicta autem Chronica Annum Domini non habet, & Iohan. Auent. lib. 4. Annalium fol. 466. ita ponit: Ambricus Vrbis, scilicet Ratisbonensis Episcopus tùm defungitur. Tuto in Album Pontificum Reginoburgen. ab Arnulpho asscribitur, Anno salutis 891. nulla Ansperti facta mentione.

8. TVTO, Vir sanctus, Monachus Emmeranus, Anno 891. fit Episcopus. Hic Arnulpho Regi Boiariæ fuit à Secretis: Quem cùm in Galliam secutus esset, Dionysium illum Gallorum tutelarem cœlitem furtò surreptum, & Euangeliorum Codicem auratum ac gemmatum, iussu Caroli Calui Francorum occidentalium Regis, aureis literis scriptum, ab eodem Arnulfo acceptum, Ratisbonam in Monasterium S. Emmerani intulit. Quem Codicem cùm Imperator Conradus 1. auferri iterũ iussisset, & Tuto, qui adhuc in Cathedra sedebat, seruo illuc misso, omnes diras propterea imprecat' fuisset, seruus illicò correptus dysenteria, relicto Codice, animam efflauit.

Anno 920. cùm Henricus primus Imperator. vnà cum Arnulpho Boiorum Duce, Bohemiam cum exercitu penetrâsset, & Spitignensem Ducem ad obsequium & fidem Christi coegisset, Tuto Episcopus Pragæ, secundùm Auent. fol. 486. Templum D. Vito dicauit, rogante D. VVenceslao, Spitignei filio.

Hic Tuto quasdam possessiones in Austria ad flumen Erlafa acquisiuit à VVichindo Episcopo Patauiensi, pro quibus illi dedit Monasterium Mansee, temporibus vitæ suæ vtendum, consentiente Rege Arnulpho, vt est in libro traditionum folio 88.

Litigavit cum Richario Abbate Metaniense super Parochia Laichling. Actũ in Straubinga, curte Regia, Añ o Domini 902. Regni verò pueri Ludouici secundo; Tutonis autem Episcopi 8. qui numerus cum superiori 891. non concordat.

Sub hoc Episcopo Monachi S. Emmerani, ab Imperatore Arnulpho rursum exemptionem Monasterij impetrauerunt, confirmante idipsum Formoso Pont. Max. Extat diploma in fine litera E.

Imperator præterea Pomeria Ratisbonensis Vrbis dilatauit, & Monasterium S. Emmerani, intra muros Vrbis inclusum multis donariis exornauit, iuxta Otthonem Frisingensem. Cæterùm hæc confirmatio iterum fuit irrita, quia sine consensũ Tutonis Episcopi facta erat, Tutone nihilominus Monasterium asseruante, qui post annos 36. suæ ordinationis vita functus, illic quoque sepultus est. Extat hodiè ipsius sepulchrum in Templi angulo, post tumulum D. VVolfgangi, sed & acta Formosi per Successores eius rescissa sunt. Hic Tuto interfuit Concilio Triburiensi, & cum aliis subscripsit. Sub hoc Episcopo fundatum dicitur Monasterium inferiùs Ratisbonę, ad promotionem Iuthę, auię S. Henrici; donatum posteà ab Otho ne secundo, ad preces Adelhaidis matris suæ: Quam rem deinde diplomate confirmauit Henricus sanctus &c. de quo sub illo Monasterio.

9. ISINGRINVS Tutoni successit Anno 926. Henrico primo imperante. Qui auxilio Ducis Arnoldi ad Episcopatum euectus videtur. Arnoldus enim Boiariæ Rex, cùm Henrico aucupi Imperium affectans rebellaret, & Henricus illum Ratisbonæ obsedisset; Arnoldus hac conditione Regi tandem subscripsit, ac Regium nomen abdicauit, si sibi hoc, quod Antecessores sui non habuerunt, concederetur, vt totius Boiariæ Pontifices suæ potestati subiacerent, vnoq; defuncto sibi liceret alterum substituere, qua concessione illum & successores eius honorauit. Hic fuit iste Arnoldus, quem significauit gladius sine capulo D. Hulderico ostensus; dum enim legitimè inrrare in Regnum non potuit, illud per vim occupare voluit, atq; ita redditus Ecclesiarum suis militibus (Teste Vespergen. Abbate) beneficij loco concessit.

cessit. Præfuit Isingrinus annis vndecim, sepultus est in Templo. S. Emmerani. Sub hoc Isingrinio Arnulphus Boiariæ Dux in Dingelfing (est oppidum inferioris Boiariæ in ripa Isaræ situm) Conuentum Boiorum conuocat, interfuêre quinq; Boiariæ Episcopi, Hildebertus Iuuauensis, Isinogrinius Reginoburgensis, Gerardus Patauiensis, VVolframus Frisingen. Nithardus Sabonensis & Sarcholochus & Godbertus, Sacerdotes, Nuncij Vdalfridi Aichstadiensis tum ægroti. In hoc Concilio Arnulphus prædiorum Ecclesiasticorum, quæ Vgri depopulati fuerant, vsumfructum Sacerdotibus & Monachis restituit, Templa & sacras ædes refici curauit, Episcopos, Sacerdotes, Monachos arctioris disciplinæ iugo constrinxit.

CONRADVS, qui dicitur Isengrino successisse, & tantùm sex Mēsibus præfuisse, post obitum apud S. Emmeranum conditus est, & ob breuitatem temporis, quo præsedit, à quibusdam in numerum Episcoporum non relatus. 10.

GVNTHARIVS, Monachus S. Emmerani, fit Episcopus, Anno 938. idque per Otthonem, eius nominis primum Imperatorem. Etenim cùm Imperator Ottho fortè Ratisbonæ ageret, & sedes Episcopalis vacaret; Imperator autem per somnium moneretur, vt illum Episcopum crearet (nam Arnolphus iam obierat, & eius filij ob rebellionem Ducatu iam exciderant) qui postero die in Monasterio sibi occurreret primus, Imperator prima luce cum paucorū comitatu ad Monasterium S. Emmerani, Monachis eius rei ignaris accessit; ibi cùm pulsanti venerabilis frater Guntharius aperuisset ostium, Imperator eum intuens ac interrogans, quid ille pro Episcopatu adipiscendo dare vellet, frater subridens, calceos inquit meos, &c. Tunc Imper. patefacto reliquis fratribus oraculo, Consilio cleri & populi eum Episcopum elegit. Præfuit tantùm triginta hebdomadibus, sepultus apud S. Emmeranum. Hæc ex historia Francorum refert Leopoldus Bebenburgius de Zelo Principum, cap. 14. 11.

MICHAEL, in Guntharij locum electus est, Anno 938. Otthone magno imperante. Hic multis casibus aduersis vexatus est. Nam sub illo Ratisbona fuit obsessa, & post longam famem ab Henrico capta & proxima nocte penè totacombusta 18. Calend. Augusti, Anno 954. Exemptionis item molestia vexatus fuit, Otthone primo Augusto non solùm sibi Monasterium vendicante, sed censum quotannis Romam mittendum imponente; extat diploma sub finem litera F. Ex prædictis igitur constat, Ecclesiam S. Emmerani à quinque Romanis Pontificibus, Leone, Nicolao, Eugenio, Formoso & Ioanne 12. & à totidem Christianissimis Imperatoribus, Carolo, eius filio Ludouico, Ludouico pio Rege, Arnulpho & Otthone magno, præsentibus 117. Episcopis exemptam & perpetuo iure S. Petri seruitio mancipatam esse. Ex tot Episcopis duntaxat Adalvvinus & Michael, in exemptionem consenserunt, quanquam non satis constet, an id vltrò fecerint an verò coacti. Quàm chara Michaeli Episcopo ista Ecclesia fuerit, vel illud argumento est, quod ad defendendas res S. Emmerani cum Berchtoldo Marchione Voburgensi conflixerit, vbi post mutuam concertationem in id conuentum est, vt Berchtoldus Comes duodecim Virorum Nobilium iuramento probaret, se iustè de rebus S. Emmerani exigere, quod petebat. Cùm verò illi super Altare S. Emmerani perperam iurâssent, tragicis calamitatibus omnes paulò pòst sunt obruti; & ipse Comes Berchtoldus terrificis comminationibus pauefactus, B. Emmerano prædium suburbanum Isininga nomine donauit, vt hoc tradit Arnulphus Vohburgen. Comes, Monachus, ac Prior S. Haimerani, in libro de Ecclesiasticis scriptoribus, sub Heinrico quarto ædito, cuius Auentinus in præludiis 12.

libri 5. Annalium meminit. Idem Ottho Magnus Imperator ad Ecclesiam S. Haymerani quædam prædia dedit, iuxta diploma, sub finem litera G. Præfuit annis 30. Sepultus apud S. Emmeranum. Interfuit pugnæ contra Vngaros, S. Vlrico Duce, vbi vulnus in manu accepit, & ægrè euasit, ope D. Emmerani, vt aiunt, Auent. lib. 5. fol. 499.

13. SANCTVS VVOLFGANGVS, natione Sueuus, nobili stemmate clarus, Patre Comite ex Pfullingen, de Achalm Arce, apud Reutlingen oppidum sita, oriundus, matre Gerthruda, Comitissa de Veringen, quæ sepulta est in Sultzpach, vbi domicilium habuit, vt in Monasterio Adelbachensi scriptum reperitur, vbi traditur VVolfgangus filius fuisse Comitum Veringensium: Natus autem scribitur VVolfgangus in VVellenburgo Rhetiorum. Hic ab Otthone primo ad preces Pilegrini Patauiensis Episcopi (cui in conuertendis ad fidem Christianam Vngaris fidelis cooperator fuit, ita vt eodem tempore quinque millia Vngarorum baptizarent) in Episcopatum Ratisbonensem constitutus est, Anno 968. Anno deinde 972. consecratus à Friderico primo, Archiepiscopo Salisburgensi, Treueris. Cùm verò vbique labare religionem videret, ei restituendæ singularem curam adhibuit, &, quoniam omnia munera solus obire non posset, Patruelem suum Ramuoldum, Præpositum S. Emmerani, mox Abbatem fecit. Fuerat enim tunc consuetudo in Ratisbonensi Ecclesia, vt Antistes Ratisbonensis simul etiam Abbas esset, quorum nomina tenebant solùm, officia non item. Quia eo tempore, quo primùm à B. Bonifacio, autoritate Apostolica, iuxta decreta Canonum, Sedes Episcopalis instituta est, per vices & alternis sibi succedebant iam Monachi, iam Canonici: Episcopalis autem Sedes erat apud S. Emmeranum vsque ad Caroli Magni tempora, qui eam in ciuitatem transtulit. Cùm verò ista S. VVolfgango displicuissent, Monasterio rursum suos permisit Abbates: Ramuoldus tamen Cœnobium Ratisbonense, vt etiam suum Treuirense deserere coactus est, propter bellum ciuile, quod erat inter Henricum Bauariæ Ducem & suos complices, ac inter Otthonem secundum Imp. Quo bello sedato, venerabilis senex iterum Ratisbonam reuersus est, vt in eius vita scribitur. De filia Otthonis 2. Iuta, tradita Monialibus Ratisbonensibus, & sub hoc Episcopo rapta per filium Vdalrici Ducis Bohemiæ, vide Cranzium in Vandalia libro secundo cap. 35. & Æneam Syluium de Regibus Bohemiæ, & Historiam Bohemiæ Iohan. Episcopi Olmucen. libro 7. Duo Monasteria sanctarum Virginum, superius & inferius nuncupata, cùm à regulari vita multum decessissent, nec reformari vellent; ipse tertium extruxit, Anno 994. sub regula & professione S. Benedicti, cui Brigitham, S. Henrici Imperatoris Sororem à se baptizatam, Abbatissam præfecit; cuius obseruantia, reliqua Virginum Collegia ad seruandam regularem vitam vltrò prouocata sunt. Scribitur etiam expeditioni Otthonis secundi Imperatoris, contra Lotharium, D. VVolfgangus interfuisse, primusque cæteris hæsitantibus fluminis Axonæ vadum reperisse, & suis animum addidisse. In doctrinam & vitam Pragensium Sacerdotum diligenter inquirens, cùm videret ipsos peculiari Episcopo opus habere; permissu Cæsaris Otthonis secundi, Episcopatum illic proprium constituit, Priuilegio ad id suis ipsius manibus scripto, S. Adalbertum, qui postea à Prussis Martyrio coronatus est, primum Antistitem fecit, Auentinus libro quinto, folio 504. Teodomarum vocat Saxonem genere, qui primus Antistes Pragen. fuit, & sic S. Adalbertus 2. fuit, vt habet etiam Historia Bohemorum Iohan. Episcopi Olmucen. libro 6. in principio. S. VVolfgangus dedicauit etiam Altare S. Ioannis Baptistæ in Malhartsdorf, quod

deinceps

deinceps Monasterium Henricus & Ernestus, Comites à Kirchberg, Germani fratres, sub primo Abbate Burchardo instituerât. Idem S. VVolfgangus ex monte prope VVeltenburg Castellum fecit, & Ecclesiam S. Mariæ ibidem dedicauit. His atque aliis sanctè & laudabiliter peractis, pertæsus armorum ciuilium Otthonis secundi Imperatoris, & Henrici Ducis Boiariæ, ad Alpium Noricarum deserta secessit, cùm præfuisset annis 26. & vitam eum morte commutauit, sepultus in Ecclesia S. Emmerani, multis claruit miraculis, & propterea inter Diuos relatus. Obiit autem Anno Domini 994. Ab Hartuico Archiepiscopo Salisburgensi, & eius Suffraganeis tumulatus est apud S. Emmeranum.

GEBHARDVS, Comes ab Hohenvvart, S. VVolfgangi successor, Episcopus factus est Anno 994. sub Otthone eius nominis tertio. Hic Gebhardus multum negotij facessit Ramuoldo Abbati S. Emmerani, propter eius Monasterij bona. Idē cum fratre Rapatone, fundo, qui dicitur Pruel, à Monasterio S. Emmerani, per legitimam permutationem recepto, Monasterium Ordinis S. Benedicti illic ædificatum, Anno 997. instituit, quod Anno 1484. Carthusiensibus est traditum ab Alberto Boiorū Duce. Obiit Gebhardus vt Hermannus contractus & Vrspergen. Abbas annotârunt, Anno 1023. cùm præfuisset annis 29. Dedicauit vnà cum fratre Rapatone Monasterium apud Lycatios Thyrhaupten. 14.

GEBHARDVS secundus, Canonicus Augustensis, successit Gebhardo primo Anno 1023. Henrico sancto imperante, qui Henricus sub hoc Gebhardo Ecclesiam B. Virginis, ad veterem Capellam in Collegio Canonicorum ampliatam extruxit; Altare priscum, olim à S. Ruperto dicatum, mansit immobile, quod adhuc hodie monstratur sub gradibus. Fuit hic Gebhardus cultus vestium curiosus secundùm Auent. fol. 513. Præfuit annis 13. Obiit Anno 1036. sepultus, apud S. Emmeranum. 15.

GEBHARDVS tertius, Anno 1036. à fratre suo Conrado Salico. Imp. Episcopus factus est. Iste Gebhardus donatus ab Heinrico tertio Imper. Abbatia Campidonen. interfuit expeditioni contra Vngaros, sub Henrico tertio Imperatore: Qua de re Auentinus libro quinto, fol. 535. Sub eodem Leo 9. Pontifex Maximus ab Andrea Rege Vngariæ pro pace, cum Imperatore Henrico tertio constituenda accitus, Ratisbonam venit, & sanctum VVolfgangum in numerum Diuorum retulit, similiter & sanctum Erhardum, nec non ossa B. Dionysij, de quibus diu dubitatum fuit, num haberentur in æde S. Emmerani vidit, attrectauit, & Apostolico diplomate, quod illic seruatur, præsente Imperatore Henrico, Gebhardo Episcopo Ratisbonensi, aliisque multis Episcopis & Cardinalibus, quin etiam Parisiorum Legatis præsentibus, comprobauit & confirmauit; Ecclesiam item S. Emmerani nuper incendio vastatam, cum Crypta occidentali consecrauit; Tabularū in eiusdem Ecclesię summitate, suis sumptibus fieri iussit: sed & Sacellum Simonis & Iudę Taddei, supra fornicem Capitolio contiguum, in eadem Vrbe consecrauit. Cùm verò Leo Pontifex Ratisbona Noribergam proficisceretur, Comites de Schvvartzburg illi obuiantes rogant, vt Sacellum quoddam in honorem S. Crucis, quod hodie Prugdorffium appellatur, dedicet. S. Pater Sacellum à longè visum consecrat: Cùm autem morosi interpellatores hac longinqua consecratione sibi illudi existimarent, &, vt præsens Sacellum consecraret, flagitarent: Ite, inquit Beatissimus Pater, &, nisi omnia consecratæ Ecclesiæ inditia inueneritis, veniam, & præsens vestram ædiculam consecrabo. Sed, cùm illi omnia integra comperissent, laudantes Deū acquieuerunt; extant eius euentus monumenta adhuc hodierno die. Sequenti Anno discordârunt inter se, Gebhardus Ratisbonensis Pontifex & Cunradus Boiariæ Dux, propter Vrbem Parckstein (vicus ad huc hodie & arx Nariscorum est) 16.

quæ ad Episcopum pertinebat, & à Cunrado per dolum capta & incensa erat. Ambo igitur Mersburgum ad Concilium vocati sunt ab Imperatore, in quo Cunradus propter facinora quædam Ducatu exutus est. Hanc contumeliam vt vlcisceretur, se cum Vngaris contra Imperatorem coniunxit, & Carentaniæ fines inuasit; Gebhardo autem Episcopo mediante Vngari percusso fœdere Imperatori reconciliati sunt, Anno 1056.

GEBHARDVS Episcopus, quòd Templum diui Haymerani in libertatem ac exemptionem vindicatum, sibique præreptum esset, propter conspirationem factam, cum aliis Boiariæ Ducibus & Episcopis, contra Heinricum tertium, tùm in Italia degentem, parricidij & lesę Maiestatis reus conuincitur, & in vincula ab Imperatore conijcitur in Arce VVilfilingina, prope Danubium; sed tandem ab exilio reuocatus, pristinæ sedi restituitur. Vnde cùm Imperator apud Potfelden in Saxonia diem obiisset, Gebhardus Patruus eius, cum victore Romano Pontifice Aquilegiensi Patriarcha, aliisq; innumeris vtriusq; ordinis viris, officiosè funus Spiram vsq; prosecuti sunt. Præfuit Eberhardus annis 24. Obiit Anno 1060. sepultus in Orangavv Monasterio, quod ipse fundauit cum Matre sua, de quo apud Cuspinianum in vita Conradi Imperatoris.

17. OTTO, Babenbergensis Canonicus, ab Imperatore Henrico quarto Episcopus Ratisbonensis constitutus, Anno 1060. Iste Ottho cum aliis multis Archiepiscopis & Episcopis, orandi ac deuotionis causa, in terram sanctam profectus, varias calamitates à paganis perpessus est; ita vt de septem millibus vix duo millia redierint, inter quos & hic Ottho Episcopus, Anno 1064. Auentinus libro quinto folio 553. In schismate, Henrico Imperatori contra Gregorium 7. Pont. Max. adhæsit, & propterea cum aliis Episcopis complicibus excommunicatus est. Sub hoc Otthone Episcopo, Scoti venerunt Ratisbonam, de quo vide Monasterium S. Petri consecrati.

18 GEBHARDVS quartus de Gotzeshaim, frater Gotfridi de Gotzeshaim, vt ex libro tradit. apparet, adhuc adolescens, in locum Otthonis defuncti substituitur, Anno 1089. Henrico quarto imperante. Præfuit annis 7. apud Pechlaren occisus est: Quæ verò causa ipsius cædis fuerit, ignoratur; verisimile tamen videtur id accidisse, ob magnum schisma, quod tùm inter Romanum Pontificem & Henricum seniorem, & inter Henricos duos, Patrem & filium Rom. Imp. fuit.

19. VLRICVS Ratisbonensis Episcopus factus est ab Henrico Seniore, post Gebhardum miserè interemptum, Anno 1105. non diu videtur præfuisse. Nam, cùm Henricus Iunior post deditam Nürnbergam Ratisbonam profectus esset, Pater illum subitò insecutus, auxilio Ratisbonensium Vrbe fugauit, & tunc Præsulem Vrbi imposuit Vlricum istum, adolescentem adhuc, Otthone Frisingen. & Abbate Vrspergen. testibus. Cùm verò paulò pòst Henricus iunior, recuperatis viribus, Ratisbonam repetens, in deditionem acciperet, abdicato Vlrico, alium designauit Episcopum; nimirum Hartuicum. In ista rerum turba, Vlricus maturè quidem designatus, sed tardè admissus & illicò repulsus est. Hoc tempore pax inter Imperium & Ecclesiam facta, Imperator Henricus 5. inuestituram Episcoporum Legato Sedis Apostolicæ resignauit; eo pacto, vt electi tam Cisalpini quàm transalpini non prius ordinentur Episcopi, quàm regalia de manu Imperatoris per Sceptrum recipiant, &c. Quod quidem pro bono pacis soli Heinrico Imp. & nō successoribus eius datum dicunt Romani. Ex hinc Ecclesiæ libertate ad plenum restituta, pax ad integrum reformata est. Hæc hisce verbis Ottho Frisingen. lib. 7. cap. 16. hine

hinc credibile est ob istam dissensionem, Gebhardum & Vlricum consecrationem adipisci non potuisse.

HARTVVICVS, eius nominis primus, Vlr Catholicus & nobilis, Episcopus factus est ab Rege Henrico Iuniore, inq; locum abdicati Vlrici, quem Pater Henricus Senior instituerat, suffectus Anno 1105. fuit. Hic filius Engelberti, Ducis Carinthiorum, fratres habuit, Vlricum Carinthiorum Ducem, Engelbertum Marchionem Crayburgensem, & Rapotum Comitem Artenburgensem. Iste Hartvvicus, anno sui Episcopatus primo, Monasterium Pruelense, ab Gebhardo primo ceptum, sed incuria Prelatorum iam ruinosum, instaurauit, & sub Abbate eius loci septimo Ruothardo dedicauit. Eadem tempestate Henricus & filius eius Ernestus, Comites à Kirchperg, Arcem suam Mallerstorf, prope Lauarum amnem sitam, in Templum commutârunt, quod Hartvvicus Episcopus Ratisbonensis dedicauit & Benedictinis fratribus, sub Burckardo Abbate tradidit. Dedicauit idem Hartvvicus Episcopus Prieuningense ac S. Iacobi Scotorum Monasteria. Idem etiam Hartvvicus, pulsis Monachis in VVeltenburg tradidit Augustalib⁹ flaminibus, hoc est, Canonicis Regularibus S. Augustini. Conradus Successor Hartvvici quinque post annos restituit Monachos, Auentinus libro sexto folio 614. De quo sub illis Monasteriis latiùs, quæ hîc non repetenda puto. Præfuit Hartvvicus annis 20. Obiit 5. Non. Martij, Anno 1126. sepultus est apud S. Emmeranum. Fuit contentio inter Otthonem Bambergensem & Hartvvicum istum Ratisbonensem, Episcopos, propter decimationes noualium in Schampach: Ea verò lis inter ipsos Ratisbonæ sopita est, vt habent literæ transactionis, quarum Datum Ratisbonæ, Anno 1014. 20.

CHVNO, huius nominis primus, factus est Episcopus Ratisbonensis, Anno 1126. adhuc imperante Iuniore Henrico quinto. Hic Chuno fuerat Abbas Sigebergensis, ad quem Rupertus Abbas Tuiciensis libros de victoria verbi Dei scripsit. Huius Chunonis temporibus, Diopoldus Vohburgen. Diopoldi Chamoborum Marchionis & Luitgardæ filius cum Vxore Adelhait, instinctu nobilis ac strenui Viri Geruici &c. amplissimum illud Monasterium VValdsachsen fundauit apud Nariscos, quod Chuno Episcopus consecrauit. Chuno postquàm annis quatuor Episcopatum tenuisset, & Ecclesiam Collegiatam S. Ioannis Ratisbonæ fundâsset, obiit Anno 1130. sepelitur apud S. Emmeranum. 21.

HENRICVS, huius nominis primus, Comes à VVolfrahtshausen, filius Otthonis I. Co. mortuo Chunone à ciuibus & Sacerdotibus Ratisbonensibus, autore Friderico, Comite à Pogen, Aduocato Ecclesię Reginoburgensis, Episcopus eligitur citra consensum Henrici superbi Ducis Boiorum, Anno 1130. sub Innocentio secundo P. M. & Lothario secundo Imperatore. Fuit sub hoc Episcopo tota Boiaria turbulentissima. Nàm propter Consanguineos suos in bello grauissimo etiam Episcopatum inuoluit, & in Heinrici superbi Boiorum Ducis odium incurrit. Qua de re pleniùs scribit Cuspinianus in vita Lotharij. Angilofridum Antistitem D. Emmerani abdicat, Monachos deuouet, hisque à capite ieiunij vsque ad Calendas Augusti, autoritate Apostolica sacris interdicit, quòd censum à Pascale impositum reddere detrectabant, iussu Innocentij secundi P. M. Templum S. Emmerani occupat, calicem 500. marcarum comminuit, bullas, diplomata, priuilegia comburit, plumbea monumenta reperta in sepulchro Berchtoldi Præsulis liquefacit, sacrum compilat, proceres Boiorum, per intercessionem Otthonis Palatini Com. de VVitelspach, in gratiam cum Duce Heinrico redeunt: Episcopus quoque Ratisbonensis Hohoburgio Præfectura prope Oenum pacem à 22.

Duce mereatur, concedens eam duci in feudum. Heinricus hic interfuit expeditioni, quam Cunradus tertius Imperator in terram sanctam instituit, vbi infecto negocio exercitus ferè totus, exceptis Principibus, periit, Auentinus folio 631. Sub hoc Episcopo lapideus pons Danubio impositus est ab Henrico & ciuibus Ratisbonensibus, qui inter mirabilia Germaniæ opera numeratur. Triennio pòst agricultura illa Ripensis, intra Danubij & Regeni confluentiam, ædificiis sterni cœpit, & Monasterium S. Magni, quondam ad ripas dictum, fuit extructum per venerabilem D. Gebhardum, Ratisbonensis Ecclesiæ Presbyterum, Canonicum; ad cuius petitionem Rex Conradus Ierosolyma reuersus, cùm Ratisbonæ de obsidendo oppido Kelhaim Comitia ageret, suburbium Ratisbonense Monasterio S. Magni largitus est. Henricus Episcopus, iam senex pertæsus bellorum, & erratorum iuuenilium pœnitudine ductus, sumpta cucullâ, Monachus factus est apud S. Emmeranum, cui Monasterio suum Abbatem denuò permisit. Cùm iam Fridericus Aenobarbus imperaret, apud quem non segniter idem Henricus, cum Abbate S. Emmerani Adalberto, ius Ecclesiæ Episcopalis Ratisbonensis atque Monasterij, quæ eodem iure in hoc vtuntur, tutatus est, vt scilicet fœminæ in feudis non succederent, de quo latiùs sub illo Monasterio. Sub hoc Episcopo Heinrico, Ernestus Comes de Hochenburch & frater eius Fridericus, cùm neque Vxores, neq; liberos haberent, tradiderunt castrum suum, quod dicitur Hochenburch, apud Nariscos & omnes Ministeriales suos, super Altare beati Petri, omni iure proprietatis, quod in eis habebant, in manus Episcopi Heinrici & Comitis Friderici de Pogen, Aduocati sui, si contingeret, eos sine hærede decedere. Testes sunt Ottho Landtgrauius, Ottho Palatinus, Vdalricus Vicedominus, Sighardus de Eberspeunt, Nezo de Raitenpuech, & frater eius Conradus, Hartfolck in der Hayde, Ortlieb Chazpitz de VVolfering, VVirnt, & duo filij sui Conrat & VVirnt de Schmidegadene, Herman de Ratendorf, &c. & plures alij, tam de nobilioribus quàm de Ministerialibus, &c. Extat monumentum ibi, vt puto, in libro traditionum, sed sine Dato: Puto autem Ernestum Comitem reliquisse liberos, vt ex sequentibus apparebit. Heinricus hic mortuus est Anno 1155. cùm præfuisset annis 25. sepultus apud S. Emmeranum cum suis Prædecessoribus, qui omnes ferè ibidem sepulti sunt, excepto Gebhardo tertio, qui in Oringavv, & Gebhardo quarto, qui apud Pechlaren sepultus, vbi & interemptus est. Quòd verò non omnium monumenta extent hodie, causa est, quòd Ecclesia eadem iugibus incendiis obnoxia multorum sepulchra ruinis subruit. Sub hoc Episcopo Ratisbona iterum incendio deuastata est, & 6. Ecclesiæ conflagrârunt, S. Petri Cathedralis, S. Ioannis, inferioris Monasterij, veteris Capellæ, S. Pauli & superioris Monasterij, & quicquid his erat contiguum, Anno 1152. 15. Calend. Martij.

23. HARTVVICVS, secundus de familia Com. Ortenburgen. secundùm Auentini vulgarem Chronicam impressam, libro sexto. Sed fuit ille Hartuuicus primus de quo suprà: Huius autem secundi Hartvvici, familia ignoratur, Ecclesiæ Salisburgensis Canonicus, fit Ecclesiæ Ratisbonensis Episcopus, Anno 1155. Friderico primo Aenobarbo iam imperante. Iste Hartvvicus coram Imperatore Friderico iam nominato Ratisbonæ accusatus est, quòd nuper, per electionem Cleri, populiq; & Metrapolitani sui consecrationem, Pontificatum eiusdem ciuitatis acceperat; Regalia siquidem, quæ iuxta rationes curiæ nulli Episcoporum, antequam de manu Principis suscipiantur, licet militi tradere, ipse huius rei nescius impremeditatè, commorante adhuc in Italia Principe Friderico, tradiderat. Hoc

cùm

vũm inficias ire non posset, neque factum ipsum excusare valeret, compositionis noxam incurrit: Cæteri quoque, qui ab ipso susceperant, iuxta suam conditionem & sortem, consimili pœna damnati sunt. Est enim lex curiæ, quòd si quis de ordine Principum sui Principis iram incurrens, compositionem persoluere cogatur, centum librarum debitor existat. Cæteri inferioris conditionis & ordinis viri, siue ingenui, siue liberi, siue serui decem: Compositione ergo facta, ab Imperatore in gratiam receptus est, secundùm Ottonem Frisingensem, lib. 2. de gestis Friderici, cap. 28. Hic Hartvvicus interfuit cum pluribus aliis Imperij Principibus in curia, per Fridricum Imperatorem Ratisbonæ habita: Compositioni factæ inter Heinricum Austriæ Marchionem, ac Heinricum Leonem, filium Heinrici superbi Ducis Bauariæ, per Conradum Imperatorem depositi, super Ducatu Bauariæ, per quam Bauariæ Ducatus Heinrico Leoni cessit, Austria Ducatus factus à Bauaria separatus, cum accessione Prouinciæ Superanassianæ, de qua re idem Otto Frisingensis, prædicto loco, capit. vltimo, Auentinus lib. 6. fol. 633. Copiam diplomatis Friderici primi Imperatoris, quære sub Ottone primo, Episcopo Frisingensi. Idem Hartvvicus incidit in iram Heinrici Leonis, Ducis Bauariæ & Saxoniæ, propter dissolutam ipsius vitam ac prodigalitatem: Inde Stauff castrum & vicum Episcopi Heinricus occupat; Eberhardus, Archiepiscopus Salisburgensis, ope Friderici Palatini de VVitelspach, & Conradi, Comitis de Raning, Ducem, Episcopum, & ciuitatem Ratisbonensem in gratiam redigit, Auentinus lib. 6. fol. 639. Idem Hartvvicus S. Magni Monasterium, ordinis Canonicorum Regularium sancti Augustini, in pede pontis Ratisbonen. à Gebhardo, Comite de Raning, Ecclesiæ eiusdem Canonico, nuper ædificatum & fundatum, dedicauit, & priuilegiis ornauit, Anno 1155. de quo latiùs sub illo Monasterio. Præfuit annis 9. Obiit Anno 1164. 11. Calendis Septembris, cùm præcedenti anno Monasterium sancti Emmerani igne fœdatum fuisset: sepultus est in Sacello omnium Sanctorum, in ambitu, non longè à Sacello Protomartyris Stephani, quod primò fuit Ecclesia Cathedralis. Habet hic Episcopus lapidem quidem sepulchro impositum, qui locum sepulturæ indicat, sed absque inscriptione, quæ tunc temporis nondum fuit vsitata. Testantur autem eius sepulturam libri Chori Ratisbonensis, & Calendarium illud, in quo Episcoporum aliorumque dies anniuersarij obitus sunt annotati: Eius anniuersarius annotatus est die 3. Martij, in die S. Chunegundis, &c.

EBERHARDVS, cognomento Sueuus, Augustensis Canonicus, Hartvvico 24. successit, Anno 1165. Friderico primo Ænobarbo adhuc imperante. Præfuit 2. annis. Obiit Anno 1167. Sub hoc Monasterium sancti Emmerani totum conflagrauit, adeò vt etiam muri illi à Simperto, Episcopo Ratisbonensi, olim positi collaberentur. Mortuus est autem non domi, sed in Italia belligerans, sub Friderico Imperatore, qui eodem anno Romam obsedit, & Italiam magno exercitu depopulauit. Correptus peste, cum aliis Episcopis & Principibus Romæ obiit, quorum omnium ferè ossa carnibus, per excoctionem consumptis, ad sedes proprias reducta sunt: Eius anniuersarius dies peragitur 2. Decembris.

CHVNO secundus, Ratisbonensis Ecclesiæ Canonicus, fit eiusdem Episcopus 25. 6. Idus Octobris, Anno 1167. Fuit hic Chuno generosi Comitis de Falckenstain Sigboti filius, Mater ipsius fuit Luitgarda, fratres habuit Sigbotū, qui cum vxore sua Hyldegarda familiā propagauit, & Rupertum, Abbatem in Tegernsee, Sororemq; vnā habuit, Fridrunam nomine. Cæterùm in schismate illo Sacerdotij & Imperij diuturno, Chuno, Episcopus cum Pontifice Max. sensit, quod illi satis periculosum fuit, qua de re vide Auentin. lib. 6. fol. 645. Hic Chuno interfuit Comitiis Ratisbonē. in quibus Fridericus primus Heinricum Leonem, Ducem Bauariæ & Saxoniæ,

vtroq; Ducatu priuauit, ac Ottoni VVitelspachio Bauariam contulit; ita à VVelphis ad Palatinos VVitelspacen. antiquos & veros hæredes post 231. Annos, quasi postliminio rediit. Reginoburgen. vrbs ea tempestate potentissima, hactenus domicilium Regum atq; Ducum Bauariæ, occasione arrepta, ob toties mutatos Principes, excusso iugo Principum Bauariæ, consensu Friderici I. Imperatoris, sacro Rom. Imperio, sicuti & reliquæ Imperiales ciuitates, sese immediatè subiicit; exceptis tamen vectigalibus, portoriis ac quibusdam aliis iuribus, Ducibus Bauariæ, ac Episcopis ibi reseruatis, quæ partim adhuc hodie obtinent, partim ciuitati ex pacto cessêre, Auent. lib. 6. fol. 648. & lib. 7. fol. 654. 730. de quo sub Dauide 53. Episcopo plura. Ita quoque cæteri Limitanei Præfecti Bauariæ Regum ac Ducum, quos Margrafios vocabant, quiq; in beneficium à Ducibus eas ditiones tenebant, illis seruiebant, vt Marchiones Styriæ, Carinthiæ, Hystriç, Tyrolis, Vohburgi ac Chamaborum, paulatim excusso iugo Ducum Boiariæ exempti Duces creati, ac Rom. Imperio immediatè subiecti sunt. Notat Auent. lib. 6. fol. 633. 648. Inuenio hunc Cunradum, seu Chunonem, qui ad idem est, Episcopum Ratisbonen. in diplomate Friderici I. quod is dedit Adalberto Frisingen. Episcopo super foro & ponte in Veringen, Anno 1180. vide apud illum Episcopum. Præfuit annis 22. Obiit Anno 1185. 1. Idus Iunij: Eius anniuersarius celebratur 9. Iunij.

26. GOTFRIDVS, Regis Cunradi tertij Capellanus & Notarius, & Friderici Imperatoris primi, & Heinrici filij eius Cancellarius, fit Episcopus Ratisbonensis Anno 1185. 14. Calend. Iulij, qui statim sequenti anno, electionem Ratisbonensibus resignauit, 11. Calend. Martij, cùm non integrum annum præfuisset. Extat huius Episcopi Chronicon, ligata solutaque oratione satis emendatè scriptum, Impressum Basileæ, Anno 1559. Fuit hic Gotfridus etiam Præpositus Goslariæ, in numero vigesimus. Huius Gotfridi Auent. in Annalibus non meminit, ac non parum dubito de hoc, quoniam Gotfridus histori cus Viterbien. cognominatus est, &c.

27. CVNRADVS secundus de Laichling, Vicedominus cognominatus, Ecclesiæ Ratisbonensis Canonicus, in locum Gotfridi renunciantis mox eligitur 5. Nonarum Martij, Anno 1186. Friderico Ænobarbo adhuc imperante, & sequenti anno Comitia Ratisbonæ celebrante. Cunradus iste electus est à Reuerẽdissimo Archiepiscopo Salisburgensi, Adalberto, & in Ecclesia S. Petri Episcopali Infula decoratus 8. Calend. Martij, præsentibus 14. Episcopis. Hic Cunradus Basilicam ad S. Emmeranum ab Peringero Abbate constructam consecrauit, sicut hoc indicat eiusdem Basilicæ inscriptio in occidentali pariete, his verbis; Anno ab incarnatione Domini 1189. Indictione 12. regnante Friderico, primo Imperatore, obtento Peringeri Abbatis dedicata est hæc Basilica à venerabilis huius sedis Episcopo Cunrado, 5. Calend. Nouembris, in honorem sanctę Trinitatis, sancti Michaëlis Archangeli & omnium Sanctorum. Fuit etiam Cunradus iste cum aliis multis in expeditione in Syriam, ad defendendam terram sanctam, contra Saracenos, sed frustra, Anno 1197. Abbas Vrspergen. & Auent. fol. 658. Præfuit annis 18. Obiit Anno 1204. 8. Calend. Maij. Sub finem ipsius vitæ discordia orta est inter ipsum & Ludouicum, Boiariæ Ducem, ob id quòd reuersus ex Asia, Curatores laicos Ecclesiasticorum bonorum, quos aliàs Aduocatos vocant, à curatione vi amouere nitebatur: cõfœderatum & adiutorem habuit, dominum Eberhardum à Trũchsen, Archiepiscopum Salisburgensem, eique contra Ludouicum suppetias tulit: post multas vtrinque acceptas clades sedata res, & pax facta est. Anniuersarius huius Cunradi celebratur in Vigilia sancti Georgij.

28. CVNRADVS tertius, Comes de Frontenhausen, Præpositus Frisingensis, Ecclesiæ Ratisbonensis Canonicus, eligitur Episcopus, Anno 1204. 5. Idus Maij, impe-

imperante Philippo Rege, Henrici VI. fratre, cuius Philippi statua parua visitur etiā hodie supra portam turris mediæ pontis Ratisbonensis, cum hac inscriptione, Philippus Rex Romanorum. Fuit hic Cūradus vir iustus, & apud omnes gratiosus, adeò vt etiam Cancellarius Imperij fieret. Cunrado enim Herbipolēsi Episcopo, nefariè intetempto, in officio successit Hartuicus Episcopus Aichsteteñ. frater Comitum de Hirschperg & Dollenstain, quo paulò pòst ab officio depulso, Cunrado Ratisbonensi Episcopo collatū est; præsertim quòd esset ex Nobili & peruetusta familia, nempe Comitis Conradi (ita Auent. fol. 659. sed secundùm alios Heinrici) de Frontenhausen & Teyspach vnicus filius. Iste Ludouico Boiorum Duci vēdidit partem hæreditatis suæ, in Frontenhausen, septem millibus librarū Ratisbonensium, & Xenodochium pauperum cis pōtem Danubij, in suburbano Ludouici Ducis oppido, olim ripario dicto, extruxit, & certis possessionibus & eleemosinis ditauit. Extat diploma in fine litera H. Deinde idem Episcopus reliqua sua castra, Teyspach, VVerde, Königsvvartum & altera Peüern, Episcopatui Ratisbonēsi adiecit, Ecclesiamq; tam suam quàm S. Emmerani strenuè defendit, altera Beurn, vt habet Chronicon S. Magni, puto esse alten Beürn, viriosè scriptum, siue altera, id est, nouum Beürn, quod pertinuit aliquando ad Ecclesiam Ratisbonensem.

IOANNES, Episcopus Ratisboneñ. cum Capitulo suo vēdidit Ducibus Bauariæ, Stephano, Friderico & Ioanni, fratribus, castrum Teyspach, vnà cum vicis Frontenhausen & Pilsting, Anno 1386. Idem quoq; biennio pòst vendidit castrum ac vicum Neüen Beürn Hartptechto Harskirchet, Anno 1388. de quo infrà sub illo Epō, &c. Hic Cōradus Epūs duos Conuētus, nempe S. Iacobi, & superioris Monasterij de electione prioris S. Petri discordātes, decisione satis beneuola cōciliauit. Fridericus II. Imperator pmutauerat ambo Monasteria inferius & superius Ratisbonę cum hoc Conrado Episcopo, pro aliis quibusdam prædiis & possessionibus; verùm reclamātibus atq; conquerentibus ambabus Abbatissis, in curia seu Comitiis Principū Herbipoli habitis, quòd non liceret Imperatori aliquem ex statibus Imperij alienare omnium consensū, ac sententia rescissa est illa permutatio per Fridericum II. Anno 1216. de quo extat diploma ipsius, cuius copiam inuenies sub Monasterio inferiore.

FACTAE sunt quoq; inter hunc Conradum Episcopum, & Ludouicum Ducem Bauariæ aliquæ compositiones, super communi pace Prouinciæ, super quibusdam castris ac feudis: Item super Ministerialiū, si contrahant, liberis diuidendis, super cōmunibus iuribus in vrbe Ratisboneñ. scilicet collectarū, Teloneorū, monetæ, salui conductus ac aliis, vnà cum confirmatione Philippi Rom. Regis, de Anno 1205. quæ Ratisbonæ extant: earum copiam post finem horum Epōrum inuenies litera M. N. Dedit etiā iste Conradus Franciscanis Ecclesiam S. Saluatoris inhabitandam, iuxta tenorem literarum, quarum datum Anno 1226. quo etiam defunctus est, iuxta quā Ecclesiā posteà, Alberto Comite de Pogen, & Ottone, Comite Palatino Rheni, & Bauariæ Duce, suas areas donantibus Monasterium Franciscanorū erectū est. Præfuit Conradus annis duobus & viginti laudatissimè, ex Apulia reuersus, obiit Anno 1226. 7. Idus Aprilis. sepultus est in D. Catharinæ Sacello summi Templi: Eius tumulus duobus lapidibus est contectus, quorū neuter vllam habet inscriptionem.

SIFRIDVS. Conrado fatis concedente, interregnum fuit annuum, Ministerialibus & Choro dissentiētibus; minor namq; pars Chori non expectato Imperatore, vel Duce Gottfridum Pręposituū elegit, cui Ministeriales laici subscribebant, afferentes Episcopi electionē in suo potiùs arbitrio, non in Chori facultate sitā esse. Hic Gottfridus regalia à puero Henrico, Friderici Regis filio accipiens, non bene sese gessit, obligans plurima & inutiliter elargiens: ob hanc causam maior Chori pars, cum Abbate S. Emmerani, Bercthtoldo Romam profecto, à Gregorio nono Seifridum, Ecclesiæ Ratisbonensis Canonicum, ab ipsis Episcopum electū impetrauit, 29.

Anno

Anno 1227. Friderico secundo imperante, cui hic Seifridus, Imperialis Aulę Cancellarius, admodum familiaris fuit. Vt autem laici ab simili dissensione in electione sibi in posterum cauerent, omnis contraria chori pars Ecclesiastico beneficio & consortio Chori, sub poena excommunicationis, priuati Romamque adire coacti sunt, & vix tertio anno sub poena grauissima restituti. Ea verò, quæ Gotfridus abalienârat, reuocata sunt per Fridricum secundum. Huius Sifridi consilio, Imperator Fridericus Austriæ Ducatum regio honore conatus est augere, vbi Sifridus, Ratisbonensis Episcopus, primus nominatur in eo diplomate. Cùm verò eo tempore ordines Dominicanorum & Frãciscanorum cœpissent, ipse Sifridus Dominicanis fratribus, cum consensu Cunradi Decani, & totius Capituli Ratisbonensis, Ecclesiam S. Blasij, in ea vrbe, quæ ad Episcopum & Canonicos pleno iure spectabat, contulit Anno 1229. Cæterùm iste Sifridus voluit etiam Monasteria sanctarum Virginum reformare, sed illa, inuocato Metrapolitano Salisburgensi Eberhardo, & Philippo Episcopo Ferrariensi, Apostolico Legato, & Innocentio Pontifice Max. ab his potiùs, si opus esset, volentes reformari, reformationem eius detrectauerũt. Hic etiam Episcopus, consilio Canonicorum & fratrum mendicantium, ordinauit statuta Sacerdotibus & laicis, fratribus & sororibus, pauperibus, in Xenodochio nuper instituto famulãtibus: Cùm autem esset curiæ Imperialis Cancellarius, atq; partium Friderici Imperatoris, contra Gregorium IX. huius iussu & suorum mandatariorum in Germania excommunicatus est, Auent lib. 7. fol. 674. 676. Aliquot priuilegia suæ Ecclesiæ non inutilia à Friderico secundo impetrauit, deditque Capitulo Ratisbonensi Parochiam Saler, pro anniuersario suo, vt extant literæ: Cumq; annis 20. præfuisset, 14. Calend. Aprilis vitam cum morte commutauit, sepultus in Choro sancti Petri, post altare Maximum, in cuius marmore hæc extant verba exsculpta, sed satis detrita:

Regalibus hic Cathedratum Sifridum strauit
mors, & cinis incineravit, Anno Domini M. CC.

Cæteri numeri legi non possunt.

ANNO 1237. sub hoc Episcopo, Heinricus Comes de Ortenburg, cùm esset in castro Murach, dedit sororibus S. Benedicti ad S. Sixtum, in suburbio Ratisbonẽsi, Ecclesiam in Schvvartzhouen; ea conditione, vt locus ille, in quo adhuc monstratur Sacellum S. Sixti, de fructibus & redditibus dictæ Ecclesiæ deberet cõstrui. Hic est locus ille, in quo nunc est Monasterium S. Crucis religiosarum Virginum S. Dominici, sed Sacellum S. Sixti in infirmatorium communicatum est.

30. ADALBERTVS Pitogeius, eius nominis primus, Comes ex Pittingevv, Canonicus Halberstadiensis, per Legatum Apostolicum Ecclesiæ Ratisbonensis constituitur Episcopus, Anno 1247. habuit fratrem Berchtoldum, Episcopum Patauiæ. Iste Adalbertus, in magno illo schismate inter Sum. Pontifices, & Fridericum secundum, partium Pontificiarum, per ciues Ratisbonẽ. qui Friderico adhęrebant, ciuitate aliquot annis exclusus, in arce sua Tunastauff habitauit; hinc occasione data, Patricios aliquot Consulares Ratisbonenses cepit, & in prædictam arcem Tunastauff, aliàs Thumstauff, abduxit. Quæ res magnas turbas dedit, & odium ciuium in Clerum ægrè tandem sedatum concitauit: Hinc etiam conspiratio in necem Conradi Roman. Regis filij, Friderici secundi, cùm Ratisbonæ in Monasterio S. Haymerani hospitio excepti, subsecuta: Cuius Autores & conscij, hic Albertus Episcopus, Vlricus Abbas S. Haymerani, & Conradus de Hohenfels, Ministerialis Ratisbonẽ. Ecclesiæ dicebantur; singulari autem Dei gratia Regis persona à cæde saluata, occisis aliquot ex suis cubiculariis ac ministris, Vlricus, Abbas depositus, reliqui

reliqui Monachi non sine graui damno ac mulcta reconciliati sunt, Anno 1251. extat huius rei diploma Conradi Regis, in fine horum Episcoporum litera I. de quo Auent. lib. 7. fol. 689. Chronica Ratisbonensia habent hunc Albertum præfuisse adhuc aliquot annis, dedicâsse Templum Cathedralis Ecclesiæ prophanatum, Item Templum Augustinianorum vsq; ad Annum 1260. hoc anno de quibusdam criminibus apud Sedē Rom. accusatū, cùm defendere sese non posset, depositū, &, sumpta cucula, factū esse Monachum in Sittenbergo, Auent. quoq; meminit, fol. 700.

SVPRADICTO modo, Monachis S. Haymerani cum Rege reconciliatis, cœperunt Clerus quoq; cum ciuibus inire concordiam &, datis acceptisq; vtrinq; compositionis literis, redire in gratiam, quæ adhuc Ratisbonæ extant, eiusdem (mutatis mutandis) quasi tenoris ac substantiæ, quibus iniuriæ ac damna Clero facta remissa, pax & immunitas Ecclesiastica confirmata, protectio à ciuibus promissa est de dato, Anno 1151.

ALBERTVS secundus, cognomento Magnus, non corporis quidem proceritate, sed literarum scientia, Sueuus natione in agro Laugingensi, clarissimis crepūdiis ex regulis Bolostateū. ortus, Alberto primo deposito, suffectus est per Legatum Apostolicū, Anno 1260. sub Alexandro quarto, Romano Pontifice. Parisiis, testimonio Palmeri doctissimi tùm temporis viri, insignis habitus est; vbi & Aquinatis illius Thomæ præceptor fuit, & posteà Coloniensis Cœnobij apud Dominicanos lector. Hic factus Episcopus, dedit Capitulo Ecclesiam Cham, atq; studium suum consuetū non intermisit. Nam in castro suo Stauff dicitur, ingēs illud volumē in Lucam Euangelistam scripsisse, quod penes se adhuc habent prædicatores Ratisbonenses. Intereà tamen rem familiarē non deseruit, sed ei summa cura præfuit; ita vt vix credibile sit, aliquam rationem posse iniri, intra vnius anni spaciū Episcopatum in tanta paupertate acceptū, ita augendi, prout ille auxit. Scribitur enim, quòd nec guttam vini, aut granum frumenti inuenerit eo tempore, quo Episcopatū adeptus est, & tamen intra duos annos magno ære alieno Ecclesiam suam liberauit. Sed vulgus, quod potiùs prodigos Nobiles & illiteratos, quàm eruditos & doctos, p loco & tēpore liberales, mauult, hinc arrepta occasione, cùm eum calceo ligato progredientem conspicatū esset, in risum cōuersum dixit, quòd per omnatus more Dominicastrorum obambularet. Bonus verò iste vir, non longè pòst ad maiorē vitæ ac studiorū quietem, pro ratione decurrentis & languescētis ætatis, anhelans Episcopatu se abdicauit, rursusq; istiusmodi cauillis minimè deterritus, ad suos Dñicanos Colonienses concessit, vbi & mortuus est, annum vnū, & menses aliquot in Episcopatu tantùm peragēs. De Magica, quòd quidam scribunt, fabulosum existimo: Nec enim credibile est, virum tam bonum malis artibus studuisse. Scribit VVimpfelingius de eo, quòd Argentinam venerit, & in æde S. Petri iunioris, aram quandam in honorem S. Columbæ Virginis & Martyris suis manibus consecrauerit, Anno 1268. Obiit anno vitæ 80. Anno Christi 1280. de quo latiùs Auent. lib. 7. fol. 700. & Paulus Iouius in Elogiis doctorum virorum, qui annum vnum eius ætati addit. 31

LEO, ciuis cuiusdam Ratisbonensis filius, Ecclesiæ eiusdem ciuitatis Decanus, vir magnæ literaturæ & prudentiæ, interregni Romani tempore Alberto substituitur Episcopus, Anno 1262. Sub hoc Leone Anno 1263. aliqui 1272. Ecclesia Cathedralis S. Petri Ratisbonæ igne cœlesti penitus conflagrauit 12. Calend. Aprilis, ita vt etiam campanæ & tintinabula liquescerent. Leo itaq; Episcopus materia Templi iterum construendi comparata, Anno 1275. in S. Georgij Vigilia iacto fundamēto primum lapidem consecrauit, & Patronum mutauit. Fuerat enim hæc olim Ecclesia consecrata in honorem beati Remigij, Episcopi & Confessoris; vnde Canonici dictæ Ratisbonensis Ecclesiæ confraternitatem habebant cum Canonicis 32

Ecclesiæ

Ecclesiæ Remigiensis, aliàs Remensis, vbi S. Remigius præfuit; Sed posteà tot incendiis deuastata cum nouo ædificio, & nouum etiam Patronum acquisiuit: Dedicata est enim in honorem S. Trinitatis, & B. Mariæ Virginis, & B. Petri, Principis Apostolorum, Anno 1276. quæ dedicatio Ecclesiæ huius adhuc hodie celebratur. Dedit Canonicis suis decimas maiores Parochialis Ecclesiæ S. Vdalrici pro anniuersario suo, extat diploma. Baptizauit iste Leo Catharinam, Heinrici Ducis Boiariæ, ex Elisabetha coniuge filiam, 5. Idibus Iunij.

Anno 1268. Viennæ Austriæ, quo tempore Guido Cardinalis, Legatus Apostolicus, ibidem Synodum celebrauit, interfuit, Auent. fol. 705. Præfuit annis 15. Hic etiam Episcopus Monasterio S. Emmerani suum ius conseruaturus, mortuo Vlrico Abbate VVolfgăgum illis quẽdam dedit Abbatem, quem cùm Monachi electo Haimone rĕpudiarent, omnes vnà cum Haimone excõmunicauit. Itaq; Haimonem ad resignandam Abbatiam coegit, & VVolfgangum instituit. Interfuit hic Leo Episcopus obsidioni Viennensi, qua Rudolpho Rom. Regi Vienna dedita est, Anno 1276. Obiit Anno 1277. Auent. fol. 711. & 713. sepultus est in summo Templo ante altare S. Andreæ, cum hoc Epitaphio:

Hic iacet in tumba Præsul Leo, mente columba,
Nomine re q; Leo, sit datus ipse Deo.
Anno Domini M. CC. LXXVII. obiit in die Margarethæ.

33. HENRICVS secundus, Comes de Roteneck, Comitis Rheinhardi de Roteneck filius, Archidiaconus & Canonicus Ratisbonensis, eiusdem Ecclesiæ factus est Episcopus, Anno 1277. Rudolpho Romanorum Rege imperante. Hic, vendito suo patrimonio & Castro Roteneck, Ludouico Duci Boiariæ, Ecclesiæ Ratisbonensi, vsuris & debitis oneratæ succurrit, redditus Episcopales & Canonicorum præbendas copiosè auxit; & inprimis Templum à Leone, Antecessore suo, ceptum, sumptuoso opere exædificare perrexit, illudque Anno 1280. absoluit; duas magnas campanas fieri curauit; Vnam, quæ hodie dicitur campana omnium Apostolorum, alteram quæ nomẽ habet S. Petri. Hic etiam cantum Choralem rectum in eandem Ecclesiam introduxit, cùm antea tantùm vsu & nulla arte constaret, atque hanc in rem duos Monachos de Hailsprun accersitos, alios Musicam regularem docere iussit, librosque secundùm vsum chori ordinauit. Ad hæc magna pecunia à Ducibus Boiariæ emptam aduocatiam & iudicium in Velden Eberspeunt, Teyspach, Frontenhausen, Ergoltspach, Essenpach, Pilsting & Auting, redemit, & ferè omnia castra Ecclesiæ Ratisbonensis, muris & turribus firmiùs, quàm antea fuerant, exaltauit. Primus item vinum Italicum Canonicis certis temporibus præberi iussit: eiusmodi Congiariis distribuendis etiam aliquot Sanctorum ferias in Choro Ratisbonensi celebrandas impetrauit; Obtinuit etiam priuilegium ab Alberto Austrio, pòst Rom. Rege, vt ipsi ac Capitulo suo liceat duas naues oneratas vino suo prediali vel empto, & centum Modios bladi, & specialiter pro ipsius Episcopi vsu decẽ Esoces hoc est Husones tàm in terris quàm in aquis per dominiũ Austriacum singulis annis sursum deducere, absque omni Teloneo siue Muta, pariter quoque victualia, & quæcunque necessaria domus suæ infra Pechlariam & Viennam, &c. Datum huius diplomatis Augustæ 3. Calend. Febr. Anno Domini 1286. Itẽ aliud obtinuit priuilegium à Ducibus Boiariæ, de non occupandis bonis defunctorum Clericorum; extat diploma sub finem horum Episcoporum, sub litera K. Item aliud corundẽ Ducum litera L. Sed Spalt abalienauit, & cum Raimbothone Episcopo Aichstadieñ. permutauit, deditque primo anno sui regiminis Ecclesiam in Dietfurt Capitulo suo. Hic Henricus anniuersarium obitus sui diem, quatuordecim

decim annis antequam moreretur,instituit,& eiusdem celebritati, cum candelarum accensione & campanarum pulsu, quotannis factæ præsens interfuit, & induuias sepulchrales,in memoriam mortis præparatas,semper ad lectisternij sui latus ad manum habuit. Valde commendatur hic Episcopus, vt verus animarum Pastor, nulli Sacerdotum Dei pietate & sapientia secundus, qui cum Ludouico Duce Bauariæ,tanquàm duo arbitri, Principes Bauariæ, Austriæ, Regem Bohemiæ, Archiepiscopum Salisburgensem, & Menardum Coriciæ Comitem, Linztij concordârunt, Anno 1290. Auent. lib. 7. fol. 722. cum sequenti

Svb hoc quoque Episcopo Henrico, cùm inter ipsum & ciues Ratisbonenses lis orta esset, super expensis in exterioribus mœnibus vrbis ac propugnaculis faciendis,quas propter communem patriam tuendam communes esse debere putabant ciues; Clerus autem per legem Friderici secundi insertam vsibus feudorum, inter constitutiones Friderici, &c. se ab huiusmodi oneribus ac seruitutibus immunem esse diceret; Adolphus Rex secundùm prædictam legem pro Clero iudicauit, in Conuentu ibidem habito, Anno 1294. Auentinus fol. 727. Cumque rexisset quàm optimè vndeuiginti annis, tandem 7. Calend. Augusti, Anno 1296. placidè in Domino obiit, postridie S. Apostoli Iacobi, quo festo Missam veteri more celebrauerat magna deuotione, iuxta altare D. Virginis. Sepultus est in Choro Ecclesiæ Ratisbonensis post altare hoc disticho condecoratus:

Hanc Cathedram rexit Henricus, quem petra texit,
De Rotenegk ortus, cœli pateat sibi portus.
Anno Domini M. CC. XCVI.

Svb hoc Henrico Virgines religiosæ S. Mariæ Magdalenæ ordinē suum B. Mariæ Magdalenæ, qui erat pœnitentium, & ideò dicebantur die Büsserin, commutârunt assumpta regula S. Claræ, persuadentibus eas Franciscanis, Anno 1286, Dominica Inuocauit. Auentin. fol. 725.

CONRADVS, eius nominis quartus, de Lupputck, Præpositus Ecclesiæ Ratisbonensis, fit Episcopus Anno 1296. in die S. Petri ad vincula, imperāte Adolpho, Romanorum Rege. Sub hoc Anno 1297. cùm ciuitas Ratisbonensis per Ottonem & Stephanum, fratres, Duces inferioris Bauariæ, oppugnaretur, & prohiberetur commeatus in eam vehi, eius rei indignitate perciti, oppidum Abbach exusserunt: Sed tandem per hunc Episcopum Conradum in gratiam Principum restituti sunt, secūdùm Auentinum lib. 7. fol. 730. Habuit hic Conradus Episcopus Patruum, eiusdem nominis Conradum de Luppurg, cuius vxor Hailvvig, filia Friderici Landgrauij dicti de Leüchtenberg. Sepulti ambo Ratisbonæ, in Ecclesia Cathedrali, ante altare S. Andreæ Apostoli, quod ipse propter frequentiorem Missarum celebrationem, ac animarum suarū salute dotauit, cum curia in Reinhartstorff cum pertinentiis, consensu ac sub sigillo Reuerendi patris, domini & Germani sui charissimi, dñi Conradi, Episcopi Ratisbonen. ac suo quoque sigillo, Datum & actum Ratisbonę, Anno 1299. & extat ibi diploma. Germanus aliàs frater est, sed Auent. lib. 7. fol. 736. Patruum Episcopi vocat, quod ex nomine verisimilius est. Auentinus in sua translatione hos Comites vocat, quod in diplomatibus nō reperio. Defuncto autem sine liberis prædicto Conrado, Episcopus confiscauit castrum ac dominium Luppurg supra Ratisbonam, ad Laber amnem Noricum situm, ac Ecclesiæ suæ dono dedit; & cùm præfuisset annis septemdecim, obiit 7. Calendas Ianuarij, sepultus in Ecclesia Cathedrali, iuxta aram beatæ Mariæ Virginis, cum hoc disticho: 34.

Hæc seruat fossa Conradi Præsulis ossa
De Luppurck natus, sit tibi Christe datus.
Anno Domini M. CCC. XIII.

DEDIT Capitulo Ecclesiam in Schneiding, pro anniuersario suo instituendo. Sub hoc Episcopo, nempe Anno 1304. Danubius Ratisbonæ supra pontem, versùs Aquilonem, excurrere volens aggere ingẽtis molis, ex lapidum tignorumq; cumulis congesto, ad pristinum alueum reductus est, Auent. fol. 738.

35. NICOLAVS, Bohemiæ Regis Cancellarius, Ratisbonensis Ecclesiæ fit Episcopus, Anno 1313. Henrico septimo imperante. Habuit statim rebellem Conuentum S. Emmerani: In causa fuit, vt ex circumstantiis apparet, quòd eodem anno Monachi, mortuo Abbate, Hentico VVinzero, Balduinum non consulto, aut fortasse etiam nolente Episcopo, elegerunt. Quod Episcopus ægrè ferens, electionem hanc confirmare noluit: Vnde aliqui fratres, relicto Monasterio, partim in Abach, partim in Abensperch, ad Bernhardũ & Henricum, Regulos Aduocatos suos, sese receperunt, tantisper dum re per arbitros composita reuocarentur. Cæterùm gliscente simultate de libertate & exemptione, Balduinus Abbas ad Summum Pontificem prouocauit, quem Anno 1319. Auinione commorantem adiit, actionemque quinquennalem intentando moritur, Anno 1324. Ioannes Papa postulatione fratrum S. Emmerani & consensu Balduini, Sacellanum, quem secum adduxerat Balduinus, Albertum de Schmũdmülen surrogauit, qui cõfirmatus, causam illam contra Episcopũm prosecutus est, sententiamq; pro se latam accepit, Anno 1326. Monasterium sancti Emmerani liberum esse debere & exemptum; ita tamen vt Episcopo Ratisbonensi quotannis decem libras Turonensium paruorum, quos hodie in decem libras denariorum Ratisbonensium commutant, exolueret; Fuitque Nicolaus Episcopus damnatus in expensis, quæ æstimatę sunt ad 5000. aureorum, sed nihil soluit.

PORRO iste Nicolaus multùm vtilis fuit Ecclesiæ Ratisbonensi. Eam enim grandi ęre alieno liberauit, multaque Castra, à suis Antecessoribus oppignorata, redemit. Curauit fieri ingentem campanam, in honorem B. Dei genitricis Mariæ consecratam, hoc Monosticho inscriptam: Sanctos laudo, tonitrua fugo, funera claudo.

HIC EPISCOPVS, tempore dissensionis inter Imperatorem & Pontificem, sic sibi & Episcopatui prouidit, vt, excommunicante Summo Pontifice, Ludouicum Bauariæ Ducem, eundemq; Romanorum Regem; ipse tamen in iram & offensionẽ Principis non incurreret. Quin & Clerum suum eidem Principi sic insinuauit, vt Clero, per totam Bauariam constituto, idem Princeps omnium rerum immunitates per literas patentes concederet.

HIC IDEM duobus Eremitis, Gotfrido & Alberto, ob humilem ipsorum deuotionem & intercessionem Raimari cuiusdam de Prenbergk, sibi dilecti & fidelis, potestatem fecit, vt in nemore quodam, apud castrum Prenberg, sibi cellas & oratorium construerent: In isto loco hodie est Abbatia S. Bernhardi, quæ cella Mariæ cognominatur.

CVM Ecclesia Ratisbonensis non modicum defectum cultus diuini pateretur, propter Canonicorum absentiam; quorum aliqui peregrè literis operam dabant, quidam alibi, vt vocant, residebant, alij Episcopo seruiebant; Capitulum tres assumpsit Vicarios cum consensu Nicolai, sui Episcopi, illisque de prouentibus vnius præbendę prouidit; ita vt Sacerdos receptus mediam partem omnium prouẽtuum vnius præbendæ perciperet: Diaconus verò & Subdiaconus alteram dimidiam partem, Anno 1323. Dominica Reminiscere.

Svb hoc Episcopo, Anno 1315. magna fuit fames ob frugum penuriam; Ita vt vna scapha siliginis quinque libris ac 60. denariis Ratisbonen. monetæ fuerit licitata.

Svb hoc item Episcopo, Anno 1324. die S. Panthaleonis, in porta S. Emmerani depositum est tectum de turri paruula Parochiali, & illic specula constructa, in qua Ludouicus, eius nominis quartus, Rom. Imperator ipse residens per Capellanos suos, sancta insignia Imperij ostendit populo.

Nicolavs iste, cùm propter homicidam quendam ex curia Pontificali per ciues vi abreptum ac securi percussum, Ecclesiasticam immunitatem violatam dicẽs, hinc vrbe excederet, postquàm 27. annis vtiliter præfuisset, in Monasterio superiori Altach, exul obiit Anno 1340. ibidem sepultus in Choro sub hoc Epitaphio: Ille dñs Nicolaus, Episcopus Ratisbonensis, obiit Anno 1340. 6. Idus Octobris.

FRIDERICVS primus. Nicolao peregrè defuncto, Canonici Ratisbonenses in electione discordârunt. Nam eodem anno Idibus Nouembris, in die S. Brictij, electi sunt per Capitulum 3. Episcopi simul; nempe dominus Fridericus, dñs Henricus de Lapide, Decanus Aichstetẽsis, & Hiltpoldus de Hohenberg, aliâs Haimberg, Canonicus Ratisbonensis; sed duobus exclusis, Ludouicus Dux Bauariæ, idéq; Imperator Rom. Fridericum in gratiã parentis benè de se meriti, inuitis aliis, in sedem Ratisbonensem constituit, Anno Domini 1341. Vnde paulò pòst Henricus de Lapide ex angore mẽtis, vt putatur, diem obiit. Fuit autem hic Fridericus Ecclesię Ratisponensis Præpositus, filius Fridrici Burggrauij Noribergensis secundi, qui Ludouico in graui schismate fortiter adhæserat. Auus ipsius fuit Fridricus, Comes de Zollern, primus Burggrauius Noribergen. cuius posteri deinceps Marchionatum Brandeburgeñ. adepti, Electores imperij facti sunt. Habuit iste Fridericus fratrem Berchtoldum, Episcopum Aichstetensem. 36.

Aventinvs libro 7. fol. 783. scribit, quòd in locum Nicolai Episcopi, Clemens VI. Reginoburgensibus præfecerit Fridericum, Aichstetẽsibus Berchtoldum, fratres Germanos: Verùm à Capitulis vtrosq; repulsos, & eorũ loco electos Ratisbonæ, Heinricum de Stain, Aichstadij, Albertum de Hohenfels, hos prædia, vrbes, arces & agros possedisse, & Augusto in clienrelam se dicâsse.

Idem quoque Auentin. in Epitome ponit Heinricum, Vlrici de Lapide filium, Episcopum Ratisbonensem, Anno 1330. Sed Annus est 1340. & veritas, quòd Fridericus Episcopatum obtinuit. Nam ab hoc Friderico Episcopo, Anno 1355. Carolus quartus Româ reuersus, cupiens fines Bohemiæ vsque ad Danubium extendere, ac sub specie pacis Ratisbonam occupare, emit castrum Stauff Danubianũ, inuito ac inscio Capitulo, pollicitus aliud castrum in Bohemia Episcopo dare, verùm plebeiorum motu Ratisbona cessit, ac Stauff arcem nõ diu tenuit: Nam post mortem Caroli, Theodoricus Episcopus, Stauff, Sultzpach in Norico, Eglofhaim, castella, rursum occupauit, de quo Auent. lib. 7. fol. 792. 794. 800.

Hic Fridericus pessimè præfuit, nec nisi maledictis post se relictis sui memoriã posteritati commendauit, adeoq; totum Episcopatum dissipauit & exinaniuit, vt etiam Capitulum ipsum imminutum supra modũ attenuauerit, annis 24. quibus sedem Ratisbonensem tanquam inutile pondus pressit.

Anno 1349. cùm in toto mundo pestis grassaretur, & flagellatorum secta in Germania oriretur, Fridericus iste à Clemente VI. Romano Pontifice iussus, processum contra eos matura deliberatione, adhibitis in consilium viris literatis, instituit & executus est; Ita vt tandem Secta illa intra triennium cessaret.

Amotvs est tandem ab administratione Episcopatus, quæ Berchtoldo fratri suo, Episcopo Aichstetensi, concessa est, vt extant literæ.

37. CONRADVS, huius nominis quintus, post longam contentionem, cùm Sedes Episcopalis triennio vacâsset, ac per Rabanum, Episcopum Aichstetensem, tanquàm prouisorem gubernata esset, eligitur ex Præposito Episcopus Ratisbonensis, Anno 1368. Hic Conradus dictus est de Haimberg, confirmatus ab Vrbano quinto Pontifice Romano, Carolo quarto imperante. Fuit homo magnæ humilitatis & amans Cleri, Episcopatum tamen ita dissipatum instaurare non potuit; Festum S. Barbaræ Virginis, Anno 1377. in Synodo Ratisbonę celebrata instituit in Ecclesia Cathedrali, ad cuius altare etiam sepultus est.

HIC CONRADVS Episcopus, vnà cum Capitulo oppignorauerunt Marchioni Ottoni, Stephano, Friderico & Ioanni, Ducibus Bauariæ, Præfecturam & castrum in Teyspach, cum omnibus pertinentibus, Anno 1377. quod posteà Successor ipsius Ioannes Episcopus absolutè vendidit Stephano, Friderico & Ioanni, Ducibus Bauariæ, Anno 1386.

SVB EODEM Conrado, Carolus quartus Imperator ab Vrbano quinto precibus impetrauit, vt Episcopatus, Bambergensis, Ratisbonensis & Misnensis, Ioanni Archiepiscopo Pragensi deinceps subessent, tanquàm Apostolicæ sedis Legato, quod ius legationis in Diœcesim Ratisbonensem Archiepiscopus Salisburgensis sibi vendicabat. Literæ Vrbani Pontificis datæ sunt 5. Calendas Iunij, Pontificatus sui anno tertio.

ANNO 1380. Ecclesia S. Ioannis ab Episcopis Ratisbonensibus fundata, ad ampliandam Ecclesiam Cathedralem est destructa, & alio loco, vbi tunc erat taberna, quæ dicebatur auff den Brettern/venustè ędificata. Fuerat enim primo loco Templum S. Ioannis fundatum, in area Cathedralis Ecclesiæ, in eo loco, qui hodie ostēditur medius inter duas aras deinceps extructas; vna est S. Flotini, quam fundauit Albertus Stauffer, antequàm fieret Episcopus, altera verò è regione S. Thomæ, quam fundauit Bartholomæus Rabitzer, Canonicus Ratisbonensis, sub Episcopo Alberto Stauffer.

CARMELITAE etiam ex æde D. Osualdi, quòd eundem Conradum ad viua Dei templa construenda in concionibus liberè adhortarentur, pulsi Straubingam migrârunt, ibique Templum condiderunt, vbi adhuc hodie habitant. Præfuit annis 13. Obiit Anno 1381. Epitaphium eius est: Anno 1381. obiit Conradus de Haimberg, Episcopus Ecclesiæ Ratisbonensis, in Vigilia Petri Apostoli ad vincula, cuius anima requiescat in pace.

38. THEODORICVS, Baro ab Abensperg, Vlrici senioris, & Elisabethę de Gundelfinga, fundatorum Xenodochij in Essing filius, Bambergensis Ecclesiæ Prępositus, Ratisboneñ. Canonicus, vnanimi omnium cōsensu eligitur Episcopus, Anno 1381. Venceslao Romanis imperante. Hic Theodoricus fuit homo magnificus, habuit copiosam aulam, sine detrimento tamen Ecclesiæ, cui magno emolumētō fuisset, nisi fatis præreptus diem immaturè obiisset. Præfuit enim tantùm biennio. Primo anno suæ gubernationis, petiit à suis subditis & Clero subsidium, vt vocant charitatiuum, qua pecunia arcem Thunaustauff, annis duobus & quadraginta abalienatam, à Ducibus Boiariæ redemit, similiter & castrum in Auting, & villam in Sulrzpach, ac castrum in Eglofshaim. Cùm autem vsque in tertium annum præfuisset, & sub Calendis Nouembris ægrotare inciperet, sumpto venerabili Sacramento Eucharistiæ, potiores è Canonicis ad sese accersiri iussit: Qui cùm non venirent, Nonis Nouembris ipse obiit: & sic, Canonicis omnibus absentibus, Episcopatus bona per alios direpta & abalienata sunt. Consanguinei enim ipsius omnia vasa argentea & aurea vtensilia sustulerant, & castrum Stauff per eosdem Consanguineos ab Episcopatu fuit abalienatum, & ciuibus Ratisboneñ. oppignoratū. Sepultus est post altare Chori Ratisboneñ. sub hoc Epitaphio: Anno Dñi 1383. obiit venera-

venerabilis dñs Theodoricus, Episcopus Ecclesiæ Ratisbonen̄. in Vigilia Leonhardi, de Abensperg natus, sit tibi Christe datus, &c.

IOANNES, huius nominis primus, Præpositus Frisingen̄. post obitum Theodorici, cùm Canonici electionem negligerent, eosq; mutuum odium retardaret, sumpta occasione, hanc simultatem ad Romanum Pontificem detulit, & vt sibi Episcopatum concederet, obnixè rogauit, quem & impetrauit: Interim Canonici Ratisbonẽses quendam Magistrum Paulum, Decretorum Doctorem, Canonicum Patauien̄. & Ratisbon. elegerũt, qui, cùm confirmationẽ peteret, nimis serò venit repulsamq; passus Patauiam concessit, & præ mœrore animi ibidẽ moritur. Prædictus igitur Ioannes ab Vrbano VI. Pontifice Romano Ecclesiæ Ratisbonensi, cõtra voluntatẽ Canonicorum, preficitur Ep̄us. Fuit iste Ioannes damnosus Episcopatui, numerosam aulã habuit, & splendidè vixit; interim res Ecclesiæ negligẽs. Sunt, qui asserant, eũ fuisse Stephani iunioris, Ducis Boiariç Ingolstadij commorantis filium illegitimè natum, & Consanguineorum potentia fretum occupâsse Episcopatum, Anno 1384. 39.

LVDOVICO, cognomẽto Barbato, Stephani Ducis Boiariæ filio, fratri suo castrũ Hohenburck in Norico; similiter etiã, cùm sumptus aulicę prodigalitatis deficerẽt, castrum Heusseck, & oppidum Pechlaren Reinperto de VValsee oppignorauit.

CASTRVM Vtter seu Biter, reluctantibus Canonicis, pro 8000 florenis vẽdidit, vt testantur literæ Capituli de Anno 1385.

IDEM Ioannes vnà cum Capitulo suo vendidit Ducibus Bauariæ, Stephano, Friderico & Ioanni, fratribus, castrum Teyspach, vnà cum vicis Frontenhausen & Pylsting, Anno 1386.

BIENNIO posteà vendidit castrum ac vicum Neüenpeürn iuxta Oenum Hartprechto de Harskirchen, &c. Quod etiam suprà in Conrado tertio annotatum est. Cumq; etiam redditus illos ad mẽsam Episcopalem pertinẽtes oppignorâsset, neç iam haberet ampliùs, quod cõsumeret, cõsilio Vicarij sui Petri de Rymago, Canonici S. Ioannis, viri docti, vafrique, exactionem Clericorum excogitauit, qua ingentem vim pecuniæ corrasit; posteà ab Abbate S. Emmerani, Vlrico, propter exemptionem redemptam 852. florenos extorsit, adeoque se præbuit Abbati illi difficilem, vt eũ cogeret è Turonis petere monetam, in Bulla exemptionis contentam.

HAS pecunias cùm etiam consumpsisset, causam quæsiuit, cõtra Petrum suum Vicarium hominem prædiuitẽ, cumq; captiuatum ab officio Vicariatus deposuit, omnibusq; bonis & possessionibus spoliauit.

CAETERVM, cùm dilatanda foret Ecclesia Cathedralis, vt suprà dictum est, ipse iaciundo fundamento primum lapidem posuit, in fundamento Turris veteris; in quo latere ipsius insignia trium Rosarum hodie etiam cernuntur, in turricula S. Ioannis versus septentrionem, &, quia Mospurger dictus est, insignibus illorum quondam Comitum & illius vrbis Mospurgensis vsus est.

DEINDE, Anno 1404. Synodum ordinariam celebrauit, in qua festum S. Elisabethæ viduæ celebrandum decreuit.

ISTVM Ioannem Ecclesia Ratisbonensis annis viginti sex tolerare coacta est.

DEDIT hic Episcopus Capitulo, ad augendos eorum redditus, duas Parochiales Ecclesias, seu illarũ collationes; nempe in Mallerstorf & in Leubolfing: vicissim Canonici gratitudinis ergò, anniuersarium illius, & festum S. Elisabethæ ex eius institutione quotannis celebrant, & hinc abusus perniciosus incorporationum, pensionum & absentiarum, vt vocant, cùm Ecclesiæ curatæ nõ per suos veros Pastores, sed per Vicarios ac mercenarios malè regũtur: Interim lana & lac ouiũ ab aliis malè consumuntur. Hic Episcopus obiit Anno 1409. sepultus in Ecclesia Cathedrali, ante S. Andreæ Apostoli altare, sub hoc Epitaphio: Anno Domini 1409. Reuerendus

dus in Christo pater & dominus, dominus Ioannes, Episcopus Ratisboneñ. obiit in die S. Marci Euangelistæ, cuius anima requiescat in pace.

40. ALBERTVS, tertius huius nominis, à Stauff, vocatus à Stauffenberg (alterius familiæ quàm illi de Erenfels, quod & differentia insignium probat) Canonicus & Scholasticus Ratisbonensis, eligitur omnium & singulorum vnanimibus suffragiis in Episcopum, Anno 1409. Ruperto Bauaro imperante; quæ electio ab Alexandro V. in Concilio Pisano ritè confirmata. Fuit hic Albertus primis suæ gubernationis annis multis molestiis exagitatus, cùm propter diuturnũ schisma Romanæ Ecclesiæ, inter eius Pōtifices, nam ipse partiũ Alexandri erat, Auent. lib. 7. fol. 808. tùm propter inobedientiam Cleri suæ Diœcesis, qui ad hæresin Hussiticam paulatim declinabat. Cùm verò rebus cōpositis pacem adeptus esset, Ecclesiæ Ratisponensi vtiliter præfuit, alienataq; bona eidem diligenter & sedulò recuperauit. Castrum enim Heusseck, ab Antecessore suo oppignoratũ, & oppidum Pechlaren multis annis integrè redemit, & Episcopatui adiecit. Castrum item Hohenburg, ab eodem præcessore suo Ludouico Bauariæ Duci oppignoratũ octo mil libus aureorum, cum maxima difficultate Ecclesię restituit. Deinde 4. libras denariorum annui census, ad mēsam Episcopalē pertinentes, à Marquardo Stör redemit. Insuper multa alia debita, ab Ioanne Antecessore cōtracta, dissoluit. Sepulchretum item Canonicorum in ambitu primus obduxit testudineo opere, id quod eius insignia in fornice primo collocata testantur. Moribus fuit compositis, non austerus, sed grauis, omnibus transeuntibus & ei caput aperientibus, capitis inclinatione respondit.

ANNO decimo suæ sessionis, cùm à Constantiensi Concilio rediret, Synodum ordinariam celebrauit pro reformatione Cleri & religiosorum. In hac Synodo publicatis statutis prouincialibus Eberhardi Archiepiscopi Salisburgensis decretũ est, vt per Episcopum Ratisbonensem deinceps singulis feriis sextis, ob memoriam passionis Christi, hora nona pulsaretur campana, qua audita Clerici perorarent Psalmum, Deus meus, Deus meus respice in me; Laici orationē Dominicam quinquies, & salutationem Angelicam itidem quinquies recitarent.

ANNO sequenti, Conradum quendam de Hildeshaim, Presbyterum, Decretorũ Licentiatum, Sacellanum S. Georgij secus pontem lapideum, cōduxit vt ius Canonicũ publicè in sua aula auditoribus profiteretur. Præfuit annis 12. Obiit Anno 1421. 6. Idus Iulij, sepultus ante Sacellum S. Floriani, quod ante Episcopatum ipse ditauerat, sub hoc Epitaphio: Postquàm annos duodecim bene præfuisset, Anno Domini 1421. 6. Idus Iulij obiit dominus Albertus de Stauffe, Episcopus Ratisbonensis, cuius anima in pace requiescat sempiterna Amen.

41. IOANNES, huius nominis secundus, de Streitpergk, vir per omnia reuerendus, Canonicus, Custos, Iudexq; Consistorij Ecclesiæ Ratisboneñ. eligitur in Epũm Ratisbonensem, Anno 1421. Sigismundo imperante, vir benignus, comis & amabilis, coniunxit se reliquis Ducibus, contra Ducem Ludouicum Ingolstadiensem, qui eundem Ducem vehemēter impugnabant, vsurpando sibi illius bona, donec Anno 1422. per Sigismũdum Regem, & Brandam, Legatum Apostolicum, hæc rixa Ratisbonæ per inducias sedaretur. Hic Episcopus Sacerdotem quendam de Dräsen, pertinaciter defendentem nouem Articulos VVicleffi hæretici, omni Sacerdotali dignitate exuit. Anno 1423. dominus Henricus Ratgebo de Gotha, Sacerdos Mogũtinensis Diœcesis, propter hæresin Hussitarum, quam defenderat, degradatur per Ioannem Episcopum, & ab eodem Magistratui sæculari traditus comburitur.

ISTE Ioannes in magnum malũ incidit, propter castrum Stauff, quod iure quidē proprietatis ad Episcopatum pertinebat, nihilominus tamen Ratisbonenses ciues illud oppignoratum obtinebant: Vnde, cùm Ioannes Episcopus illud redimere non

posset,

posset, Duci Henrico de Landtshuet redemptionem permisit; sed persuasus à ciuibus, consiliū retractauit; vnde illum Dux, propter expensas, quas fecisset, repetēdas bello impetere statuit: Sed Ioannes datis Henrico tribus millibus aureorū, ei est recōciliatus, ita vt Dux in posterū omni iuri redemptionis renunciaret. Ioannes lethaliter decumbens, hoc ius redemptionis literis & instrumentis propter Successores suos corroborauit, atque ita rebus bene atq; laudabiliter gestis, mundo huic valedixit, Calend. Aprilis Anno 1428. cùm præfuisset 7. annis, mensibus 7. & diebus 24. sepultus est in medio Templi Cathedralis, sub tali Epitaphio: Mille quadringenis viginti octo quoque annis, dum tenet verbigena, est hic sepultus Ioannes Streitperger dictus, Præsul huius loci, qui gaudia tenet Cœli. Hic bene rexit & omnibus affabilis fuit.

Iste Ioannes incorporauit Præpositurae Ratisbonensi, propter tenues redditus, Parochiam Engelbrechtsmunster prope Geysenfeldt, Anno 1426. Anno vltimo huius Episcopi D. Georgius de Fraunberg in Hag fundauit Monasterium Ramsau, apud Hohenburg cis Oenum, ordinis S. Augustini Heremitarum, idq; cum consensu huius Episcopi, ad quem locus ille pertinebat.

Sub hoc Episcopo Anno 1422. Castrum Sarching à ciue Ratisbonense Durrenstetter constructum est, quo defuncto deuēnit ad ciues Ratisbonen. à quibus deinde per quendam contractum commendatori S. Ægidij Ratisbonæ ordinis Teutonicorum est addictum.

ERHARDVS. Post obitum Ioannis, Domini Capitulares, finitis feriis Paschalibus, electionem noui Episcopi instituerunt, habitaque deliberatione, inuicem conuenerunt, vt si forsan accideret inter eligendum disparitas votorum, & per hanc designarentur plures Episcopi, tùm se concorditer consensuros in eum, quem numerosior & sanior pars designâsset, atque ita concordibus suffragiis electus est, Erhardus Satlpoger, Presbyter, Canonicus Ratisbonensis; electione completa & Clero cum Laicis foris expectantibus noui Episcopi publicationem, Dominus Erhardus declaratus est Pontifex Ratisbonensis, atque ante Altare maximum productus cum canticoillo solenni: Te Deum laudamus, &c. publicè inauguratus est. Incommodè aberant tùm Romæ Præpositus & Decanus in suis vtpote causis: facta autem hac solenni inauguratione Episcopi vnus è Canonicis electoribus è Choro statim discedens Romam proficiscitur. Quod videns alius Presbyter è familia Domini Decani, & ipse idē iter ingreditur, rumorem spargens, Dominum Decanum esse electum per potiora vota. Quod cùm Decanus in itinere domum versùs comperisset, Romam reuertitur, sed obstante sibi Præposito Episcopatum non est adeptus. Electus verò Episcopus nuncium quendam Canonicum misit Romam ad Præpositum, vt suam causam ageret & confirmationem impetraret; sed nuncius fuit repudiatus, aliis duobus de Episcopatu contendentibus, qui Dominum Erhardum apud summum Pontificem detulerant, propter habitum corporis, vt ipsi iactitabant, viciosum, cùm tamen esset Vir, & forma & dignitate commendabilis. Martinus quintus Pontifex Romanus, his frustra altercantibus, Cunradum quendam de Susato Theologię Doctorem elegit, qui Domino Erhardo persuasit, vt sibi certis conditionibus cederet, qui & ipse posteà Romam profectus, post festum venit. 42.

CVNRADVS sextus de Susato vulgariter Soest in VVestphalia, sacrę Theologiæ Magister, qui crucem Martino 5. Romanorum Pontifici præferebat, ab eodē Pontifice, vt gratificaretur Bauarię Ducibus, Episcopus, Ratisbonē. factus est, Sigismūdo imperātē. Iste Cunradus, Añō 1428. feria quarta, sub festū S. Emerani, Ratisbonā venit, habens in comitatu suo Ioannē Palatinū co. Ducē Bauariæ vnà cū filio 43.

Christophoro, qui posteà factus est Rex Daciæ, & alios plurimos nobiles Clericos & seculares, ab omnibus & ciuibus & Canonicis Ratisbonensibus perquàm honorificè exceptus est.

Iste Anno 1435. celebrauit Synodum pro reformatione Cleri.

Castrum VVerde multis annis abalienatum ad Episcopatum reduxit. Fuerat enim id Ducibus Bauariæ inferioris, 35. aureorum millibus oppignoratum: In diuisione autem Bauariæ, quæ facta est Anno 1429. Straubingæ, cùm hoc Castrum in manus Ducis VVilhelmi deuenisset, & Henricus Nothafft, quondam Vicedominus Straubingen. illud teneret, VVilhelmus Dux ab eodē Nothafft redemit, & Episcopatui Ratisbonensi liberè restituit, dimissis capitalis summæ decem millibus florenorum, ob Dei opt. Max. honorem. Cunradus igitur Episcopus, vir prudens & non ingratus ob rei memoriam perpetuam Duci VVilhelmo, diem obitus anniuersarium singulis annis in Ecclesia Cathedrali à Canonicis peragendum instituit, sub Calend. Maij. Præfuit annis 9. Obiit in Vigilia Pentecostes, sepultus in Cathedrali Ecclesia extra Chorum, ad latus Septentrionale, inter aras S. Trinitatis & S. Sebastiani. Eius marmor habet hanc inscriptionem: Anno Domini 1437. Calend. Maij. obiit Reuerendus in Christo Pater & Dominus, Dominus Conradus, Episcopus Ratisbonensis, cuius anima requiescat in pace. Hic Conradus legitur fuisse vnus ex illis deputatis fidei iudicibus, in Concilio Basiliensi, vt indicat sessio 5.

Sub hoc Conrado Anno 1430. 7. die Februarij ciues Ratisbonenses, ob metum Hussitarum, pontem lapideum, qui Boiariam Bohemiæ conterminam iungit, fossa, muris, propugnaculo, turribus, diruta ædicula S. Catharinæ & Sacello, vnà cum ædificiis Xenodochij, communiunt, Vrbem de integro firmant, fossam purgant; mœnibus vtrinque substruunt, muros & turres reficiunt, atque ita Hussitæ bellico apparatu maximo instructi, vniuersis amissis in grauem damnum inciderunt, &c.

44. FRIDERICVS secundus de Parsperg, Præpositus Ratisbonensis, decretorum Licentiatus, defuncto Conrado, eligitur Episcopus, feria sexta Pentecostes, & in die commemorationis Pauli, quæ tunc erat in die Dominico, à Ioanne Archiepiscopo Salisburgen. consecratur, autoritate Concilij Basiliensis Anno 1437. Sigismundo adhuc imperante. Ante huius Episcopi electionem Canonici inter se constituerunt articulos quosdam, tam ab Episcopo futuro, quàm à Capitulo perpetuò seruandos. Cùm verò illi articuli iurati mox per Fridericum de Parsperg rescinderētur, Capitulum cum ipso, super hac re atq; aliis quibusdam grauaminibus, in magnam contentionem venit, cuius determinatio Archiepiscopo Salisburgensi à summo Pontifice Nicolao 5. commissa est Anno 1440. Vnde posteà prædictorum articulorum à prædicto Pontifice Anno 1448. confirmationem impetrauit, &c.

Hic Fridericus fontem vtilem & necessarium immensæ altitudinis in Castro VVerd fodi iussit.

Fuit Vir animosus, ita vt etiam Imperatori Friderico 3. aliisq; Principibus Ecclesiam suam vexantibus sese opponere non trepidaret: Canonicos etiam suos, celebrata Synodo feria quarta, post festū Ioannis Baptistæ, reformare voluit, sed multiplicatis contentionibus & rixis nihil actum est.

Sacerdotem quendam in alium Presbyterum atrox homicidium perpetrantem, post ademptam dignitatem Sacerdotalem rotæ supplicio puniendum curauit, Anno 1443.

Praefuit annis 13. Obiit Anno 1450. sepultus in meditullio Cathedralis Ecclesię, iuxta statuam S. petri, sub hoc Epitaphio: Anno Domini Millesimo quadringentesimo quinquagesimo, vltima Calend. Martij obiit Reuerendus in Christo Pater & Dominus, Dominus Fridericus de Parsperg, Episcopus Ratisbonensis.

Cum

Cum ille morbo diuturno conflictatus, & quasi ratione destitutus, Thesaurum, clenodia, priuilegia & res Ecclesiasticas personis extraneis tradidisset, coacti sunt Capitulares Canonici, ante electionem futuram, articulos illos supradictos inter Episcopum & Capitulum constitutos augere, vt in bulla quadam extat.

FRIDERICUS tertius de Plankenfels, Decretorum Doctor, Custos Ecclesiæ Ratisbonensis, Bambergensis, Frisingensis & Ratisbonensis Canonicus, vir mansuetissimus, facie pulchra, Heroica & procera statura, constituitur Episcopus Anno 1450. Friderico 3. Romanorum Rege imperante; confirmatus est à Nicolao 5. Romano Pontifice. Hic fuit Romæ cum Friderico Imperatore in coronatione & benedictione Papali Anno 1452. Dominica lætare. Præfuit 7. annis. Obiit 24. Maij, Anno 1457. sepultus in meditullio Ecclesiæ Cathedralis, sub hoc Epitaphio in lapidem exciso: Anno Domini 1457. die 24. mensis Maij, Reuerendus in Christo Pater & Dominus, Dominus Fridericus de Planckenfels, Decretorum Doctor, obiit Saltzburgæ, hic sepultus, cuius anima requiescat in pace. 45.

In defuncti locum fuit electus per Capitulum Ratisbonensis Ecclesiæ, non tamen ab omnibus, Henricus de Absperg, Canonicus Ratisbonensis & Pataviensis; sed in cõfirmatione petenda repulsam tulit, apud Calixtum 3. Romanum Pontificem, qui Ducem Rupertum confirmatum administratorem Ecclesiæ Ratisbonensis cõstituit: de qua re Æneas Syluius in libello intitulato Germania cap. 17, cum seq. qui non est in opere magno suorũ librorum, sed separatim impressus Argentorati, Añ 1515. in 4. De hoc Episcopo vide Auent. lib. 7. fol. 833. cum sequenti.

RVPERTVS denouo foto, filius Otthonis Mospachij Palatini Co. ex Ioanna, Sorore Ludouici Ducis Landtshutensis, &c. genitus, Otthonis cœlibis fratrer, nepos Ruperti Romanorum Regis, Dux Bauariæ & Comes Palatinus Rheni, instituitur in Episcopatum Ratisbonensem à Calixto 3. summo Pontifice, Friderico 3. imperante. Subitanea correptus infirmitate, consecrationem propter ætatem nondum adeptus in oppido Austriæ, Yps nominato, moritur. Anno 1465. postquàm Cathedram administrationis nomine annis occupâsset 8. Eius exanimatum corpus aduerso Danubio naui impositum, Ratisbonam est deuectum, & in Choro secus sacrarium honorificè tumulatum, sub hoc Epitaphio: Anno Domini 1465. Calendas Nouembris, obiit Reuerendus in Christo Pater, Illustris Princeps & Dominus, Dominus Rupertus, Comes Palatinus Rheni, Dux Bauariæ, ac Administrator Ecclesiæ Ratisbonensis, hic sepultus. 46.

Hic Rupertus Castrũ Perbing redemptum Episcopatui Ratisbonensi addidit.

HENRICVS tertius de Absperg, iterum à Capitulo electus est, post defunctum Rupertum, fuit vir pius, prouidus, benignus, Cleri sedulus amator, Præpositus & Canonicus Ratisbonensis, & Decanus Pataviensis, per Paulum secundum Pontificem confirmatus, accepit gubernationem Episcopatus Anno 1465. Friderico 3. imperante, consecratus est in Episcopum ipso die S. Catharinæ, per Episcopum Frisingensem. 47.

Hic Anno 1466. quendam Leuinum VVirspergensem in Ecclesia Cathedrali, se præsente, Suffraganeoq; suo, & Doctoribus & Licentiatis, populiq; multitudine magna, hæresim abiurantem ad perpetuos carceres damnauit in Hohenburg Castro Norico.

Anno 1475. circa festum Michaëlis, Romam profectus est, & expeditis iis, quę pro sui Episcopatus vtilitate, aliisq; Boiariæ Principibus, maximè Ludouici gesserat, incolumis domum rediit.

Anno sequenti, 9. Calend. Februarij, missales libros emendatos Typographis excudendos dedit.

Pres-

Presbyterorum item Concubinatum edicto graui, quantum potuit, coercuit. Obiit de omnibus bene meritus, Anno Domini 1492. sepultus extra Chorum in latere sinistro, prope Aram S. Stephani prothomartyris, vbi duos lapides suæ memoriæ positos habet sub hac inscriptione: Anno Domini 1492. 7. Calend. Augusti Obiit Reuerendus in Christo Pater & Dominus, Dominus Henricus de Absperg, Episcopus Ecclesiæ Ratisbonensis, eius anima requiescat in pace, sedit in Episcopatu annis 26. Menses 8. dies 7. Vixit annos 82. Menses 4. dies 7.

Hoc Episcopo hortante, susceptum est à Choro Ratisbonensi festum præsentationis Mariæ virginis cum sua historia perpetuis temporibus celebrandum.

Anno 1483. circa festum S. Laurentij, seditio orta est inter Senatum & plebem Ratisbonensem, in qua Senatores (frustra ipsos Episcopo Henrico cum lacrymis etiam dehortante) cùm rumor esset sparsus, ærarium Vrbis planè exhaustum & patricios valde obæratos esse, à fide Cæsaris & Imperij ad Albertum Ducem Monacensem defecerunt, eiq; Vrbem Ratisbonam resignârunt. Fridericus autem Imperator id indignè ferens, conuocatis in auxilium ciuitatibus Imperialibus, sub festum S. Georgij iussit totam Bauariam igne & ferro populari. Albertus vt imminens periculum à se & suis auerteret, Imperatori Ratisbonam reddidit, postquàm sex annis illam in sua potestate habuisset, quam ipso die Ascensionis Anno 1492. Fridericus Marchio Brandeburgēsis, & Comes de Zorn, nomine Imperatoris, receperunt, à ciuibus iuramentum denuò acceperunt, nouumq; senatum legerunt, exauthoratis veteribus Senatoribus.

Eo autem tempore, quo Dux Albertus Ratisbona potitus esset, Carthusianos in Monasterium Prüel, extra Mœnia Ratisbonensia situm, introduxit, expulsis Benedictinis: Quos Carthusianos Episcopus Henricus, vt iniustè intrusos, confirmare noluit.

48. RVPERTVS secundus, Comes Palatinus Rheni, Dux Bauariæ & VVesterreich, filius Friderici Palatini de Sponheim, post Henricum factus est Episcopus Anno 1492. Friderico tertio adhuc imperante. Fuerat hic coadiutor ab Henrico assumptus, Anno 1487. sollicitatione Georgij & Otthonis, Palatinorum, Ducumq; Boiariæ, Castrumq; VVerd, cum sua familia incoluerat hactenus, donec Henricus Episcopus fatis concederet. Hic Rupertus ex Canonico & Cantore Moguntinense factus est Episcopus, Dominica proxima ante aduentum Domini, quæ fuit dies Catharinæ, per Reuerendum Patrem & Dominum Fridericum, de Zollern Comitem, Episcopum Augustensem est consecratus, in Ecclesia Cathedrali Ratisbonensi, præsente Abbate S. Emmerani Erasmo, cum octo Infulatis Abbatibus aliis, & Suffraganeis, Ratisbonensi & Aichstetensi, confirmatus est ab Innocentio 8. Romano Pontifice. Sub hoc tempore fuit bellum Leoninum, contra Ducem Albertum, quo finito Cleri persecutio incepit. Albertus enim Dux quosdam Parochos vina de Stauff Castro Monachium deuehere coegit, idq; eorum expensis. Parochi igitur Episcopi Ruperti opem implorant, qui cùm hoc prohibuisset, Dux exacerbatus in res Ecclesiasticas & Sacerdotes suos incitauit; Cumque Sacerdotes rebus suis spoliarētur, Episcopus Rupertus publico edicto omnia sacra apud Kelhaim sustulit, donec res per Maximilianum Imperatorem fuit composita: Interim tamen res Sacerdotum sic abalienatæ, ad centum aureorum millia æstimatæ sunt. Hic quoque Episcopus B. Mariæ virginis geminam solennitatem, per totā suam Diœcesim, instituit, visitationis scilicet & cōceptionis: Carthusien. Monachos per Albertum in Monasterium Prüel introductos confirmauit, vnà cum exemptione, saluis iuribus Episcopalibus in exemptos, necnon censu 8. florenorum annuorum, ac Anniuersario in recompensationem. Obiit Anno 1507. in Castro suo VVerd, & à Clero, populoq;

Ratisbonensi in S. Petri Templo Ratisbonæ sepelitur, præsente Duce Ioanne, illius Successore, postquàm annos 15. præfuisset. Eius tumbæ inscriptum est hoc Epitaphium: Anno Domini 1507. 19. Aprilis, obijt Reuerendissimus in Christo Pater, & Illustrissimus Princeps & Dominus, Dominus Rupertus, huius Ratisbonensis Ecclesiæ Episcopus, Comes Palatinus Rheni, Bauariæ Dux & Comes in Sponhaim, hîc sepultus, cuius anima in pace requiescat.

IOANNES, huius nominis tertius, Comes Palatinus Rheni, Bauariæ Dux, Electoris Philippi filius, ex Canonico Patauiensi fit Episcopus Ratisbonensis, Anno 1507. circa festum Luciæ Virginis & Martyris. Fuerat hactenus eum Antecessore suo in Castro VVerd in aduocati & coadiutoris locum acceptatus; post cuius obitum & in Episcopum electus, perpetuus administrator Ecclesiæ Ratisbonensis factus est, laude dignus alioqui Princeps, nisi nimiis ædificiis & structuris Episcopatum attenuâsset. Nam Castrum VVerd magnis sumptibus restaurauit, Turres, propugnacula, ac cellam vinariam amplissimã, durissimo saxo incisam ac fornicatam, fecit; nouæ illius habitationes in hunc vsque diem nondum absolutæ sunt. 49.

HIC, anno primo suæ gubernationis, cõuocauit Clerum per totam suam Dioecesim Ratisbonam, feria sexta ante Reminiscere, vt bono auspicio, quæ ad Clericatum pertinerent, primùm deliberaret.

SED eodem anno Patrem suum, Electorem Heidelbergæ, amisit. Anno deinceps 1512. vsuram omninò prohibuit, ædita super hoc constitutione Synodali, quã paulò pòst à Leone decimo, Pont. Max. cõfirmatam obtinuit, vt tam Clerici quàm Laici à Iudæis & vsurariis tutiores essent.

PORRO, cùm Anno 1414. Senatus Ratisbonen. Clero exactionem quandam vellet imponere, & metuebatur id eos à Maximiliano impetrâsse, Illustrissimus Princeps Ioannes, in propria persona, Maximilianum Regem Romanorum adiit, & conatum ciuium impediuit; &, cùm eodem anno à consulibus Ratisbonensibus D. Ioannes Zenger, Canonicus Ratisbonen. captus & incarceratus esset, Episcopus omnia sacra per totam ciuitatem sustulit, donec prædictus Zenger liberaretur.

SVB hoc Episcopo, Anno 1519. Iudæi, Maximiliano Rege mortuo, Ratisbona pulsi sunt. Hi longissimo tempore &, vt ipsimet aliquando confessi, aliquot annis ante natiuitatem Christi Ratisbonæ fuerant, Principibus Bauariæ præsertim in criminalibus subiecti, quibus protectionis nomine quotannis aliquid pensitabant, vulgò die Juden steur/ vnde Duces Bauariæ Iudæos sibi cameræ suæ seruos vocabant, jhre getrewe Kammerknecht/ post mortem Ludouici Imperatoris in fraterna diuisione obuenerant Ducibus Straubingensibus, his deficientibus, Ludouico Ingolstadiensi, hoc quoque capto, & absque liberis defuncto Heinrico Landtshuetensi Duci, huius nepote Duce Georgio absque filiis mortuo, Maximilianus, Cæsar propter expensas in bello Bauarico factas ratione prætensi interesse, Iudæos in suam tutelam accepit, Anno 1504. Cùm autem ciuibus Ratisbonensibus, multas ob causas, præsertim vsuras, valde onerosi ac intollerabiles essent; Ideoque de eorum eiectione sæpe multumque cogitâssent, oblata hac occasione vacantis per mortem Maximiliani Cæsaris Imperij, vnà omnes expulerunt, in locum Synagogæ destructæ ligneam ædiculam in honorem beatæ Mariæ Virginis speciosam nuncupatam ædificârunt: Paulò pòst, eodem anno ac loco, Templum egregium lapideum, quod nunc Parochiam nouam vocant, auspiciis Ioannis Episcopi ædificare coeperunt, Balthasarem Hüebmair, pacimontanum Theologum, primum ibi Sacellanum instituerunt, qui diffamatus fuit homines fascinâsse, vt longis itineribus quibuscunque negociis occupati ex Vrbibus, villis, ac ipso rure, quasi spiritu aliquo

aliquo rapti veloci cursu Ratisbonam currerent, ac prædictam ligneam ædiculam quasi mentis impotes visitarēt. Defecit prædictus Huebmarus postea ad Anabaptistas, eorum Antesignanus factus, quam ob causam & alia sua malefacta Viennæ tandem meritas pœnas luit.

Fuit item sub hoc Episcopo Clerus à ciuibus Ratisbonensibus maximis oneribus & difficultatibus pressus; durauerunt autem hæc onera, quæ paria Clerus cum ciuibus ferre coactus est, ab Anno 1525. vsq; ad Annum 1528. Quo circa festum Bartholomæi per Ferdinandi Romanorum Regis Commissarios, N. Dominum de Starnberg, Austria cum Baronem & Doctorem Beathum VVidman, factum postea Cancellarium Onipontanum, hoc modo pristinę libertati restitutus & conciliatus est, vt vniuersus Clerus ciuibus Ratisbonen. pro defensione ac subleuatione ciuilium onerum, annuatim 200. aureos solueret vsque ad determinationem Concilij generalis, &c. Hæc pensio postea sub Dauide Episcopo, per aliam transactionem, omnino remissa est, &c. Inter cætera verò grauamina etiam hoc fuit, quòd Anno 1525. 27. Maij; Consules omnium Ecclesiarum & Monasteriorum clenodia perlustrarent, eademq; scripto consignarent: Quod videns Mauritius Fürst, Prior Prædicatorum, eodem Anno octaua Iulij, direpto Thesauro sui Monasterij, sumptaq; in consortem Priorissa in Pettendorf, ad Lutheranos defecit. Hac re moti Consules, quicquid clenodiorum in illo Monasterio superfuerat, 13. die eiusdem mensis ad sese transtulerunt, & ne postea aliquid simile fieret, etiam Franciscanorum & Augustinianorum clenodia in suam custodiam receperunt. Præfuit iste laudabilis Princeps annos 30. Obiit Anno 1538. in die S. Blasij, sepultus est ante sacrarium cum aliis suis Antecessoribus sine Epitaphio.

51. PANGRATIVS, huius nominis primus, post obitum Ioannis Administratoris, cùm Canonici Ratisbonenses viderent, Cathedram à Principibus Palatinis aliquandiu occupatam fuisse; vt illam in libertatem suam vendicarent, vnum è corpore suo elegerunt, Pangratium Sinzenhouer, virum nobilem, Decanum & Custodem Ecclesiæ Ratisbonensis. Huius Episcopi electio publicata est 7. Calend. Maij, Anno 1538. Idem Dominus Pangratius ante confirmationem institutus est in Administrationem rerum Episcopalium, in die S. Petri ad vincula, quòd Romanus Pontifex, Paulus tertius, bellis inter Carolum 5. & Franciscum Gallorum Regem sopiendis occupatus ægrè potuit adiri: Vnde Paulus iste Pontifex confirmationem petitam in sex menses distulit; interim administrationis iurisdictione electo Episcopo data est, confirmatioq; tandem obtenta, Anno 1539. atq; ita electus Episcopus consecratus est Dominica decima tertia, post octauas Pentecostes, quæ fuit Augusti dies vltima, idq; per Reuerendum in Christo Patrem, Dominum Hieronymum, Episcopum Chiemensem, cui assiterunt duo Suffraganei, Frisingensis & Ratisbonēsis, cum multis Abbatibus infulatis, cum multis itē legationibus Principū & Ducum Bauariæ. Fuit hic Pangratius staturæ mediocris, altero pede claudus, sed mente consilioq; promptus: sed incidit postea in insaniam, ex qua liberatus; nunquam tamen sibi rectè constitit, idq; putant factum ex amatorio poculo, ei in iuuentute propinato; aliqui vltionem diuinam fuisse existimauerunt, quòd Episcopatum ambiisse diceretur; alij hoc ex melancholia illi contigisse, quam ex metu electionis suæ, per summum Pontificem cassandæ, quod quibusdam suis accidit Prædecessoribus, conceperat. Vtcunq; sit, habuit sua dilucida interualla, ita vt consecrationem reciperet, aliquotiens in Pontificalibus summa festa celebraret, Synodum pro petendo charitatiuo subsidio conuocaret, consultationibus præsideret: Ad extremum verò ita negligens factus est, vt nec Consiliarios, nec Officiales necessarios haberet, ita obliuiosus, vt, quod mane constituerat, vesperi id sibi displicere diceret,

nec

nec tamen coadiutorem admittere volebat; tandem & linguæ & pedum vsu destitutus, sedebat tacitus, quocunque loco collocabatur; atque ita mortuus est, 9. Calend. Augusti, in vigilia Iacobi Apostoli, anno decimo sui regiminis; sepultus est ad aram S. Andreæ, sub hoc Epitaphio: Anno 1548. 9. Calend. Augusti, obiit Reuerendissimus in Christo Pater & Dominus, Dominus Pangratius à Synzenhouen, Episcopus Ecclesiæ Ratisbonensis, cuius anima in pace requiescat. Sub hoc Episcopo, nempe Anno 1542. Ratisbonenses ciues confessionem Augustanam receperunt, accersito ex Norinberga Lutherano quodam Prædicatore, cui Sacellum S. Mariæ speciosæ pro Teutonica Missa ibi celebranda ac concionibus tradiderunt. Cùm autem illud, ob frequentem populi nouitatis & licentiæ auidi concursum, nimis angustum esset, occupauerunt mendicantium fratrum Monasteria, nimirum D. Francisci & D. Augustini, his fratribus cum sacris ac cæremoniis Catholicis intra Chori septa conclusis, &c. Quapropter Principes Bauariç, VVilhelmus & Ludouicus, omnibus suis subditis ingressum Vrbis penitus prohibuerunt: Quod nō tantùm ciuibus, verùm etiam Clero, propter penuriam victualium atq; præstationem annuorum redditũum perquàm graue fuit; Episcopus ipse in VVerd arcem suam concessit, donec Anno Domini 1546. in Comitiis, per Carolum quintum ibi habitis, Dux VVilhelmus suis subditis rursum liberum permitteret accessum, quo anno bellum illud, quod Smalkaldicum vocant, cœpit, &c.

GEORGIVS primus, Marschalcus à Pappenhaim, Canonicus Ratisbonensis, Decanus Aichstatensis, electus est Episcopus, Anno 1548. octaua die mensis Augusti. Cæterùm, quòd electus Episcopus domum propriam Ratisbonæ non haberet, receptus est in aulam Episcopalem, sine rerum administratione tamen, tantisper, quousq; electionis confirmatio veniret Roma, id quod accidit post menses quinque, sub natalem Domini; in cuius vigilia Domino Georgio, electo Episcopo, tradita est possessio, tam spiritualium quàm temporalium, estq; solenniter consecratus in Epiphania Domini, Anno 1550. à Suffraganeo Hildeshemensi, Balthasaro Fanneman, astantibus item duobus Suffraganeis, Leonhardo Aichstetensi & Ioanne Ratisbonensi, cum sex Abbatibus infulatis. 51.

Hic Episcopus, antequàm confirmaretur, Synodum sub nomine Capituli Ratisbonensis conuocatam, ceu sede vacante celebrari fecit; in qua statuta Synodalia renouata sunt, & reformatio Cleri à statibus Ecclesiasticis nuper Augustæ accepta, publicata, cum aliis, quæ ad mores & sanam doctrinam in Ecclesia conseruandam tùm temporis facere videbantur.

Consecratione autem accepta, Episcopus ad religionem animum adiecit, Lutheranos ac Apostatas Sacerdotes è Ducatu Neuburgensi suæ Diœcesis ad sese vocauit, qui iussu Præfecti Cæsarei, Georgij Zorn de Puelach (nam Cæsar Carolus quintus tunc temporis Neuburgen. Principatum tenebat) ad constitutum diem 14. Ianuarij, venientes Ratisbonam, satis beneuolè auditi sunt & amicè admoniti, vt ad vnitatem Ecclesiæ redirent; inter quos tamen pauci fuerunt sanabiles. Deinde cœtum suorum Abbatum, Prælatorum, Collegiorum & Decanorum ruralium ad 22 Ianuarij rursus euocauit, his de causis: Vt, quādoquidem Synodus Metropolitana Salisburgæ celebranda esset, eligerent, quos secum eò mittere vellent: Deinde petiit subsidium charitatiuum; Tertiò, vt in cōtributionibus Imperij sibi iuxta Augustanæ dietę permissionem subuenirent. Conclusum est ibi, quòd Prælati suis sumptibus Abbatem VVeltenburgensem Fabianum Episcopo adiungerent, quibus suas voces & suffragia cæteri permiserunt: In subsidium charitatiuum persoluendum ab omnibus est consensum: Ad contributionem verò Imperij ab aliquibus tantùm, ac id certis terminis ac dilationibus. Sed Prælati per Boiariam constituti, prolata inhibitione

hibitione à VVilhelmo Duce Boiariæ, se id spondere posse negârunt, nisi Episcopus Ratisbonensis apud Ducem VVilhelmum huius rei licentiam impetraret.

Anno 1549. Senatores Ratisbonenses petierunt à Georgio Episcopo, quoniam Cæsareę Maiestatis ac statuum imperij permissione ac declaratione, quam interim vocant, vti cōstituissent, vt illis permitteret, Sacerdotes non ita pridem ab Episcopo propter religionem & officio ac beneficio suspensos reuocare, ac illorum opera vti: Quod cùm Episcopus negaret, ciues Ratisbonē. nihilo seciùs in die Purificationis Deiparę virginis, Teutonicam Missam & Adiaphorismum receperunt.

Anno 1550. Episcopus Georgius disceptauit cum senatu Ratisbonensi, coram Imperatore Carolo 5. Augustæ Comitia celebrante, propter grauamina & iniurias sibi in rebus, tùm sacris tum prophanis à ciuibus illatas: Quæ lis anno sequenti pro parte discussa est, ita vt in posterum Ratisbonenses ciues abstinerent à Templis Episcopi, nec priuata cœmiteria instituerent, & Monasteria hactenus vsurpata Episcopo redderent; In prophanis verò rebus sententiam Cęsaream deinceps ęxpectarent.

Anno Domini 1552. in eo bello, quod Elector Saxoniæ vnà cum Marchione Brandenburgensi contra Carolum 5. Imperatorem gessêre, Heinricus Princeps de Plavven, nomine Ferdinandi Romanorum Regis, Ratisbonam venit, pręsidio militari muniendam: Cùm autem ciues milites recipere nollent, nisi Episcopus permitteret eos etiam in Clericorum ædes locari, & Augustanam confessionem reducere; Episcopus ne videretur hostibus Vrbem prodere velle, ad vtrumq; connixit. Inducti sunt ergò milites, sub Philippo Comite ab Eberstein, copiarum Duce in Vrbem ac in ędes Clericorum, ab his sub nomine mutui sustentati, à quibus nihilominus grauissima quæq; sunt passi, atq; Lutheranismus ibidem publicè resumptus; Vtrumq; Maio mense factum.

Eodem tempore, propter maiorem Vrbis defensionem, atque ne hostibus vlla relinqueretur oppugnandi occasio, excisa sunt quędam Templa, nempe S. Petri Scororum extra Vrbem, S. Albani & S. Otronis intra, ad portam VVestenbetr-pronnam, &c. & hoc tanta temeritate, vt Episcopus, quamuis amicus Vrbe excedere cogeretur. Sub hoc prætextu optabant quidam etiam suburbium vltra pontem penitus tolli ac dirui, nisi Albertus Dux Bauarię, ad quē pertinebat, hoc seuerè prohibuisset

Anno 1555. Georgius Episcopus, ex commissione Sanctissimi Domini Papæ, electum Salisburgensem Archiepiscopum Michaëlem consecrauit, in die Epiphánię.

Anno 1559. suam Diœcesim, quantulamcunq; adhuc per Boiariam habebat obsequentem, visitari fecit, quòd eam visitationem priori anno Metropolitanus & Patauiensis iam perfecerant: Sed & reformationem Cleri in Comitiis Augustanis eodem anno repetiram publicauit.

Anno 1560. cùm Georgius Episcopus iam senex crassi & obesi corporis domi sese ob imbecillitatem cōtineret, nec in Templum, nec ad publicam mensam prodiret, atq; ita securus res Ecclesiæ segniùs curaret, Abbas S. Iacobi Ecclesiam Scotorum, Parochialem S. Nicolai ciuibus vendidit, quam senatus Ratisbonensis solo æquauit.

Gvardianvs Franciscanus ædificia sui Monasterij plæraq; demolitus est, magnis lapidum plaustris diuenditis. Idem fecit & Prior S. Augustini, qui profugus decimas & vineas à suo Monasterio abalienauit.

Anno 1561. Georgio Episcopo ægrotante, ciues Ratisbonenses quoslibet Lutheranos, tam ex Archiepiscopatu Saltzburgen. quàm Boiaria ac alibi pulsos in suā ciuitatem, tanquam ad commune Asylum confugientes, receperunt: qua de causa ciuitas hæc in structuris ædificiorum ac numero ciuium nō parum cœpit crescere ac locupletari.

Anno

Anno 1562. Episcopus Cleri reformationem tam acriter executus est, vt quasdam personas dignitate ac honore spoliaret, vel etiam Vrbe exigeret.

Anno 1563. in Dominica lætare, cùm ventus validus, tempore prædicationis pomeridianæ, Lutheranorum Templum S. Osualdi disiecisset, eosq; iterum illuc Dominica Quasimodogeniti ad cōcionem concurrentes, saxis delapsis, effugâsset; ipsi die 10. Maij Monasterium S. Blasij Ordinis Prędicatorij occupantes, conclusis intra septa Chori Monachis, ipsam ædem maiorem pro suis concionatoribus vsurpârūt, nolentibus volentibus quibuscunq;.

Movit hic Episcopus Ratisbonensibus ciuibus litem, super reluitione quorundam iurium suæ Ecclesiæ in ea Vrbe, cui cùm se longissimæ ac vltramemorialis præscriptionis prætextu opponerent, Episcopus via iuris ac secundùm decreta Imperij ipsos, coram suo priuilegiato iudice, nempe, senatu Augustensi, ꝓposita actione, conuenit; In qua causa vsq; ad Annum 1571. processum, quo Añō sub Dauide Episcopo transactio facta, de qua infrà latiùs dicetur.

Episcopus ipse cùm diuturno morbo conflictatus esset, tandem decimo die Decemb. defunctus est, sepultusq; in æde Dominica, prope aram S. Andreæ, sub hoc Epitaphio: Reuerendissimus in Christo Ecclesiæ Ratisbonensis Episcopus Georgius, de nobilissima familia Marschalcorum in Pappenheim, obiit Anno 1563. die decima Decembris. Viuat Deo.

VITUS primus à Fraunberg, olim Præpositus Frisingensis & Pataniensis, Canonicus Salisburgensis, Ratisbonensis, & Augustanus, fit Episcopus, Anno 1563. 4. Calend. Ianuarij. Hic, cùm suos oratores Laicos, mense Ianuarij 1564. Anni, Romam cum electionis instrumento misisset, confirmationem ægrè obtinuit; siquidem Tridentinum Concilium nuper noua quædam decreta de electione Episcoporum fecerat: Cùm igitur Romanus Pontifex Pius quartus Salisburgensi Archiepiscopo negotium dedisset, vt nouo examine instituto à Vito electo Episcopo fidei rationem reposceret, electus Ratisbonensis 13. Maij, Salisburgum profectus, ibi tantisper degit, donec, veniente Roma confirmatione, à Ioanne Iacobo, Archiepiscopo Salisburgensi, Episcopus Ratisbonensis cōsecraretur 3. Nonas Nouembris, Anno 1564. aliquot Episcopis prouincialibus tunc præsentibus. 52.

Interfuit Synodo, quam conuocauit idem Metropolitanus Salisburgensis, Anno 1565. mense Ianuario; vnde modum administrandi calicis Laico populo ex permissione summi Pontificis, in cuius arbitrium sacrum Tridentinum Concilium hoc posuerat, secum Ratisbonam attulit, moxque suis conuocatis Parochis, eo modo Sacramentum Eucharistię petentibus dispensandum per suam Diœcesim permisit; nempe, præuia cōfessione, ac sub Missa à Catholico Sacerdote iuxta ritum Rom. Ecclesiæ celebrata, & cum certa fide communionem quoque illam vsitatam sub vnica specie, sanctam esse, & diuino mandato haud repugnantem, &c. Quod in aliquibus locis ita ceptum quidem; posteà autem grauibus de causis rursum per totam Bauariam ordinaria potestate abrogatum, ac vetus Catholicæ Ecclesiæ consuetudo vnius speciei rursum sibi asserta ac confirmata; ita vt, pro conseruanda concordia & vitandis pluribus inconuenientibus, in toto Ducatu Bauariæ, vnus atq; æqualis esset Sacramenti huius sicut & aliorum vsus, &c.

Interfuit idem Comitiis imperialibus Augustæ, Anno 1566. 22. die Martij, ex quibus domum reuersus, æstatem in raro, difficili ac sumptuoso, vtili tamen ac necessario opere, viui scilicet in præaltam, præruptamq; Arcem VVerd deducti fontis cōsumpsit, & dum sub hyemen febri, vt putabatur, paulatim decumberet, Obiit 21. Ianuarij, Anno 1567. sepultus est ad latus Antecessoris sui, Georgij Episcopi.

53. DAVID Köldrer, Decanus, Canonicus & Custos Ecclesiæ Ratisbonensis, eligitur Episcopus, ad 8. Idus Februarij. Hic ad Dominicā Exaudi, quę fuit 11. Maij, Anno 1567. Salisburgum iuit, examen Episcoporum electorum, in Cōcilio Tridentino præscriptum, vnà cum confessione fidei apud Metropolitanum subiturus; ibi consultum videbatur, vt etiam Cæsareæ Maiestatis patrocinium conquireret, eò quòd Pius 5. cunctatior diceretur in electione Pastorum confirmanda. Id quod & factum est, vt electus post biennium 8. Idus Martij confirmaretur, & confirmationis literæ 13. Maij Roma Ratisbonam venirent.

SVPRÀ DICTVM est, hunc Episcopum Dauidem transegisse cum senatu Ratisbonensi super iuribus quibusdam Ecclesiæ suæ, in ea Vrbe, ac lite desuper mota; quod vt clariùs fiat, operæprecium putaui, venerandæ antiquitatis ergò, hoc altius repetere. Habuerant namq; Episcopi ab antiquissimis temporibus iurisdictionem, ac alia quædam iura ibi, quæ ab Imperio in feudum tenebant, nempe das Brobstgericht, aliàs Vogt oder Thümbgericht vocatum, tam in ciuilibus, quàm criminalibus causis. Præpositus siue Iudex, cum suis assessoribus ex ciuibus assumebatur, stipendia à ciuibus mechanicis, iudæis ac aliis habebant, pro tribunali sub Cœlo sedebant, patibulum proprium ac ianuam in ponte lapideo habebant; vnde condemnati in Danubium mergendi mittebantur. Huic autem iudicio non omnes, sed certæ solùm personæ subiectæ erant, scilicet subditi, Ratisbonensis, Salisburgensis, Aichstetensis, Frisingensis, Bambergensis, Ecclesiarum; pariter subditi ac coloni omnium Monasteriorū̃ Ratisbonensium atq; aliorum vicinorum, Ror, Päring S. Magni, Priuaning, Pruel, &c. Item omnes Parochiani S. Haymerani, Item omnes subditi Nobilium, Hofer ac Avver, Item omnes habitantes in superiori ac inferiori VVerd, in Kumpfmül & Prepronn, Item censuales S. Petri Augustæ, auff dem Perlach/ꝛc. cum quibusdam aliis Ratisbonæ contrahentibus, aut delinquentibus.

HABVERVNT etiam Duces Bauariæ ibidem quædam iura ac iurisdictionem. Nam Ratisbona veterum Regum ac Ducum Bauariæ Regia ac Ducalis fuit sedes, quæ propter frequentes mutationes huius Principatus, tandem per Fridericum secundum, ab imperio Ducum exempta ac Romanorum imperio, vt & cæteræ imperiales Vrbes, subdita facta est; reseruatis tamen aliquibus iuribus, iudiciis & superioritatibus, nempe sculteti, pacis, ac cameræ, vnà cum moneta ac teloneo, vulgariter das Schultheiß Ampt/ Friedgericht/ vnd Kamerampt/ die Müntz/ Zoll/ vnnd Meut. Hinc inter Episcopos ac Duces Bauariæ multæ dissensiones tum ortæ, vt testantur diplomata concordiæ, inter Conradum Episcopum & Ludouicum Ducem Bauarię confirmata per Philippum Romanorum Regem, de Anno Domini 1205. & 1213. quorum copia antiquitatis gratia in fine annexa sunt litera L. M. N. vbi sunt ista verba Philippi Regis: Cùm Ratisbonensis Episcopus cum Ducatu Bauariæ ab imperio monetam, telonea, & quædam iudicia habeat communia, super quibus dissensiones & bellorum asperitates frequenter exurgere consueuissent, &c. Posteà Ludouicus, Dux Bauariæ, superioris Ludouici Nepos, Pater Ludouici Imperatoris, Heinrico Episcopo Ratisbonensi prædicta tria officia cum suis pertinentiis pro debito, quo illi propter emptionē Comitatus Roteneck adhuc tenebatur, scilicet 150. libris denariorum Ratisbonensium, cum pacto reluitionis oppignorauit, atque per hoc vnita sunt iudicia illa, Anno 1279. extat copia in fine litera Q. Paucis pòst annis Ioannes Episcopus eadem officia, quæ ipsi à Ducibus Bauariæ oppignorata erant, vnà cum Teloneo minore, ac libra, qua grauiores merces ponderantur, ac omnibus eorundem pertinentiis, Item die Galgenhůb/ in dem Burckfeldt gelegen/ ciuitati Ratisbonensi pro 2300. Vngaricis ac Bohemicis aureis, cum pacto deretrouendendo post 20. annos, distraxit, Anno 1388.

nulla

nulla facta mentione Ducum Bauariæ. Ratisbonenses anteà quoq;, nempe 1374. à Nobilibus Avveris de Prenberg Teloneum maius ac minus in vrbe cum consensu Episcopi emerant, quod Fridericus Episcopus duobus fratribus, Friderico & Iohanni Avveris de Prennberg, ad dies vitæ ipsorum oppignorauerat.

Ita hæc iura Ducum Bauariæ primùm in manus Episcopi; ab illo verò in potestatem Senatus venêre, postremò Albertus Dux Bauariæ Anno 1496. per quandam transactionem, & quòd illi ius suum in Castro ac Dominio Stauff Danubiano, quod pariter ab Episcopo oppignoratum habebant, cederent, sæpedicta officia, merum ac mixtum imperium cum suis pertinentiis ac prouentibus, ciuibus, pro certa pecuniarum summa, liberè tradidit, ac omni iuri suo renunciauit; excepto Banno sanguinis, quem etiam in hodiernum diem quilibet Ratisbonē. scultetus à Ducibus Bauariæ in feudum accipit, sine quo in malefactores pœna capitali animaduertere nō potest: Retinuerunt quoq; Duces Teloneum seu Mutam.

Cvm itaq; Ratisbonenses iudicia sæpedicta tanto tempore tenerent, ac plærasque causas ad suum tribunal pertraherent, multæ ac variæ lites inter Episcopos ac Vrbem exortæ. Hinc factum, vt Episcopi iudicium, de quo suprà, aliquando suspenderetur, præsertim per Albertum Ducem eo tempore, quo Ratisbonam occupauerat, Anno 1495. verùm posteà mandato Cæsareæ Maiestatis, vnà cum vrbe restitutum, vsq; ad Annum 1550. Quo Episcopus Georgius quendam ex ciuibus Iudicem constituit, quē ipsi propterea, quòd ei ante hoc ciuitas interdicta fuerat, recipere recusârunt, hinc iudicium rursum suspensum. Episcopus tam ob hanc causam, quàm etiam propter reluitionem aliorum iudiciorum ac iurium ipsis oppignoratorum, Item propter alia quædam grauamina, Ratisbonenses coram senatu Augustano, illorum priuilegiato iudice iudicialiter conuenit; in qua causa paulatim vsq; ad Annum Domini 1571. processum, ciuibus longissimi temporis perscriptionem, necnon Titulum emptionis Alberti Ducis ac alia prætendentibus, lis valde dubia ac perplexa facta, cùm, quæ cuiusq; officij ac iudicij pertinentia essent, non facilè amplius discerni posset. Constituerunt igitur Augustenses litem hanc inter partes amicabiliter componere, ac die dicta partibus comparentibus Augustæ transactio facta est, Episcopus renunciauit sæpedictis iudiciis ac iuribus; è contra renouata ac confirmata sunt cætera priuilegia ac immunitates veteres tam Ecclesiæ Cathedralis, quàm totius Cleri ibi, remissaq; illa pensio 200. florenorum, quam Clerus ab Anno 1528. per transactionem, vt suprà annotatum est, quotannis ciuibus persoluebat, vnà cum quibusdam aliis Capitulis illius transactionis, qua Episcopus consensu sui Capituli, consilio quoq; Metropolitani ac Alberti Ducis Bauariæ, quorum Legati huic tractatui Augustæ interfuerant, ratam ac gratam habuit. Hoc modo iudicia ac officia illa in Ratisbonenses sunt translata ac inter partes concordia facta.

Episcopvs hic Dauid maximos sumptus fecit in renouanda curia, seu domo Episcopali, in ciuitate Ratisbonensi, ac hoc, vt putatur, præcipuè in gratiam Maximiliani Cæsaris, qui tam in Conuentu electorum Principum, cùm Rudolphum filium suum Anno 1575. Rom. Regem faceret, quàm anno sequenti in Comitiis imperij, cedente Episcopo, ibi diuertit: In eademq; sub finem Comitiorum, eo ipso die ac hora, sub qua, Rudolpho Rom. Rege præsente, coram statibus imperij recessus perlectus est, diem supr. obiit. Sunt non pauci, qui putârunt has tam magnas impensas pro vtilitate Ecclesiæ, in refectionem Castri Hohenburgensis, in Norico præ vetustate penè collapsi, aut structuræ Arcis VVerdensis non planè absolutæ, aut in solutionem debitorum, aut redemptionem oppignoratorum bonorum meliùs potuisse collocari. Obiit autem Dauid Episcopus Ratisbonę, die Augusti, Anno Domini 1579. sepultus ibidem in summo Templo.

Post mortem eius, Canonici dubij quid sub tam graui onere debitorum, tanta

rerum præsertim religionis perturbatione, Cleri ac bonorum Ecclesiæ vicina oppressione facerent, aut quò se verterent; visum est quibusdam, ac potioribus cõsultum, pro religione Catholica conseruanda, ac pro re Episcopatus fore, talem ac de tali familia Pontificem eligere, cuius prudentia ac potentia hisce ac maioribus imminentibus malis obuiari ac mederi posset. Itaq; ex familia Ducum Bauariæ Philippum secundò genitum VVilhelmi, nepotem Alberti Ducis, Catholicorum, prudentissimorum, ac potentissimorum Principum, postulârunt. Quæ postulatio ab Auo ac Patre primùm ægrè suscepta, posteà tum pro vtilitate perueteris desolati Episcopatus, præsertim pro conseruanda ac augenda Catholica religione, pro reformandis Cleri corruptis moribus, ac diluendo graui ære alieno, dum Ecclesia illa aliquot annis, donec postulatus adolesceret, à maioribus impensis vacaret, ac respirare posset, eam pio zelo acceptârunt: quam etiam iisdem de causis Gregorius 13. Summus Pontifex benignè cõfirmauit, destinato administratore ibi Reuerendissimo Domino Fœliciano, Episcopo Scalẽsi, suæ sanctitatis Nuncio, viro docto, pio ac rerum Germanicarum experto, vtputa qui per 20. plus minus annos in Germania Salisburgæ versatus est, adiuncto illi per VVilhelmum Ducem Nobili ac optimo Viro, VVilhelmo Schlüderer, in secularibus negociis & consiliis locum tenente. Omnipotens Deus faciat, vt is effectus sequatur, quem omnes boni, ac pij optãt, ac tam Ratisbonæ quàm Catholicæ Ecclesiæ ac religionis summa necessitas postulare videtur. Amen.

CARO-

CAROLVS, gratia Dei, Rex Francorum & Longobardorum, & Patritius Romanorum. Quidquid ob amorem Dei locis Sanctorum venerabilium, beneuola deliberatione dedimus vel condonamus, hoc nobis ad æternæ remunerationis pręmia capessenda profuturum liquidò credimus. Quoniam hoc procul dubio ad saluatione corporis & animæ nostræ fore creditur, vt hi, qui in laude Dei sunt, sine querela persistant, & exinde sæpius & deuotiùs in nostra maneant memoria. Igitur notum sit omnibus Successoribus nostris, & fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ, præsentibus & futuris, qualiter nos, propter nomē Domini & æternam remunerationem, seu pro oportunitate dilectissimi filij nostri, Ludouici Regis, absq; omnium hominum contradictione cōfirmamus, Ecclesiam Dei liberam esse, & in potestate Imperatorum siue Regum, vsque in æuum permanere, quæ est constructa in honore Domini nostri, Iesu Christi, & Matris eius Mariæ, & Principis Apostolorum Petri, & sancti Georgij Martyris, & pretiosi Dei Martyris Emmerani, atque Pontificis Aquitaniæ, iuxta muros ciuitatis nostræ Regensburgk, vbi venerabile corpus eius, miraculis declarantibus, requiescere comprobatur, & Rectorem eiusdem Cœnobij, eiusque Successores, vnoquoq; anno 7. aureos Romam ad altare sancti Petri persoluere. Proinde nouerit omnium Christi nostrique fidelium vniuersitas, omnia, quę à patre meo, Pipino Rege, & ab Antecessoribus meis, vbicunq; locorum hactenus tradita sunt & collata, per hanc nostram autoritatem perennibus temporibus, ea videlicet ratione confirmamus, vt neque Dux, neq; Episcopus eiusdem loci, aliquam potestatem habeant, prenominata bona pręfatę Ecclesię auferre, vel abalienare: Sed Rector eiusdē loci, suiq; Successores habeant potestatem, quicquid eis placuerit faciendi, ad vtilitatem tantummodò Monachorum, sub sancto ordine consistentium. Et, vt hęc autoritas firmior habeatur, & diuturnis temporibus, Domino auxiliante, meliùs conseruetur, manu propria subterconfirmauimus, & de annulo nostro sigillari iussimus.

NVNC verò & Summi Pontificis, Leonis tertij, concessionem subscribamus:

IN NOMINE Domini nostri, IESV CHRISTI, Leo Papa, agnitū esse volumus cunctis Christianæ Religionis fidelibus, tam præsentibus, quàm & futuris, qualiter Christianissimus Imperator & Augustus, nomine Carolus, Deo aspirāte, Christum, hæreditatis suæ desiderans fieri possessorem, quoddam Monasterium, iuxtà muros Tiburniæ ciuitatis, quę à Tiberio Cęsare Augusto ędificata est, quę modò vulgò appellata est Reginaspurch, quod est constructum in honore sanctę Marię, Matris Domini nostri, IESV CHRISTI, & Principis Apostolorum Petri, & S. Georgij Martyris, vbi pręclarissimus Martyr, & Episcopus Pictauiæ, corpore requiescit Emmeranus, in nostram immunitatem, Successorumq; nostrorum gratia defensionis trāsfudit. Et nos continuò pro Christi amore, gratuita mente, petitioni eius, pie annuentes, decreuimus ita fieri, & iussimus hanc chartam autoritatis nostræ inde conscribi. Et Episcopus eiusdem ciuitatis tertius, nomine Adalvvinus, iuxta Decreta Canonum, & cum nostra autoritate, in præsentia piissimi Imperatoris Caroli, recta ratione, in Synodali Concilio cum iudicio Episcoporum, Clericorum, nec non Nobiliū Laicorum, de eodē loco Cathedram Pontificalē mutauit, & Canonica autoritate, in ciuitatem, in Ecclesiam S. Stephani Prothomartyris statuit, & suæ Successorumq; suorū proprietati ac potestati, deinceps in futurum abalienauit. Econtrà aūt dictus Christianissimus Impator dedit ad illū locū, vbi modò sedes Episcopalis est, à parte meridiana ipsius Monasterij pticos decēpedes XLI. CC. & in alia parte C. in lōgitudine CCVII. Et Ecclesiā S. Petri, & Ecclesiā S. Pauli, iuxta muros prædictę ciuitatis, & VVunnitingen, & Egilolfesheim, & Ecclesiam Nababurck, quę vocatur Bersana, & confirmauit Monasterium pretiosi Dei Martyris Emmerani, in potestate Imperatorum siue Regum, vsq; in æuum permanere. Et ita confirmauit, vt Abbas &

Rector eiusdem Cœnobij, vnoquoq; anno 7. aureos, Romam ad altare sancti Petri persolueret. Hæc mutatio & confirmatio fuit Anno ab incarnatione Dñi DCC. XCVIII. auctoritatis nostræ; ita vt si quis Imperator, aut Rex eandem Ecclesiam tam sanctam alicui præstet, anathema sit. Congregatio autem Monasterij liberam habeat potestatem, & electionem Abbatis, iuxta decretum sancti Benedicti, sine omnium contradictione substituendi, & præfatum Monasterium cum Monachis, & omnibus ibidem in præsens collatis, vel in posterum conferendis, in nostram Successorumq; nostrorum immunitatem recepimus fœliciter. Amen.

C. IN NOMINE Domini nostri, IESV CHRISTI, Dei omnipotentis, Ludouicus, diuina fauente gratia, Rex. Oportet igitur nos, qui diuina sumus gratia quodammodo cæteris mortalibus sublimati, eius in omnibus parere præceptis, cuius clementia existimus Prælati, atque cuius præcellimus munere, loca vtique ipsius sibi dicata ante omnia nostris rebus sublimare, atque dilatare. Quoniam hoc procul dubio ad saluationem corporis & animæ nostræ fore creditur. Idcirco oportet nos ob amorem Domini nostri, IESV CHRISTI, & matris eius Mariæ, inuidiam destruere malignorum spirituum & hominum, quam volumus manere, quę est in Ratisbona ciuitate, inter Ecclesiam sancti Stephani Prothomartyris, vbi modò sedes est Episcopalis, & inter Ecclesiam sancti Emmerani pretiosi Martyris, iuxta muros eiusdem ciuitatis, vbi Cathedra erat Pontificis, vsq; dum pater meus Carolus Magnus, Anno ab incarnatione Domini DCC. XCVIII. cum autoritate Leonis Papæ destruxit, & cum consensu Adaluvini Episcopi eiusdem ciuitatis, in ciuitatem statuit, & confirmauit Ecclesiam pretiosi Martyris Emmerani recta ratione, ad potestatem Imperatorum, siue Regum pertinere, & Rectorem eiusdem Cœnobij, vnoquoq; anno Romam persoluere 7. aureos, ad altare sancti Petri. Quapropter comperiat omnium fidelium nostrorum præsentium, scilicet, & futurorum solertia, quòd nos confirmamus eandem Ecclesiam, cum autoritate Eugenij Papæ, absque omnium hominum contradictione, omni tempore permanere, in regimine Imperatorum siue Regum. Et eundem censum ad Romam dare, ea videlicet ratione confirmamus, vt neq; Dux, neq; Episcopus, vllam potestatem habeant, intus aut foris: Sed totum, quod ad eandem Ecclesiam pertinet, in ius & donationem sancti Emmerani Martyris, prouisorumq; eius, tradimus atque transfundimus Et per hoc nostræ autoritatis præceptum, pleniùs in Dei nomine confirmatum, nullo inquietante, sed Deo auxiliante, ad seruitium sanctæ Mariæ, & sancti Petri, sanctique Emmerani Martyris, Monachorumq; eius, qui ibidem Domino famulantur, omni tempore, absq; vllius contradicentis obstaculo, tradita & confirmata permaneat. Et, vt hæc autoritas confirmationis nostræ firmior habeatur, & per futura tempora melius conseruetur, cùm sigillo Papæ, & de annulo nostro subter iussimus sigillari.

D. IN NOMINE Domini nostri, IESV CHRISTI, Dei omnipotentis, Hludouicus, diuina largiente gratia, Rex Boiariorum. Si petitionibus fidelium nostrorum, quas auribus nostris insinuauerint, libenter annuimus, & eas in Dei nomine ad effectum perducimus, & Regium morem decēter implemus, & illos in nostro seruitio promptiores reddimus: Iccirco comperiat industria atq; vtilitas omnium fidelium nostrorum, præsentium scilicet & futurorum. Quia Etchanfridus, Diaconus & Capellanus noster, necnon & propinquus suus Baturicus, obtulerunt obtutibus nostris quandam chartam præstariam; in qua continebatur, qualiter Baturicus Episcopus præstitisset eis, ad vsum meritum, quasdam res ex ratione Monasterij sui sancti Emmerani, quas olim idem Erchanfridus, ex suo proprio eidem largitatis munere cōtulerat Monasterio, necnon & alias ex ratione eiusdem Monasterij, eis ad vsum meritum

ritum diebus vitę eorum concessisset: Quæ sunt vtreque res in villa, quę dicitur Hroochinga, quę alio nomine Folinchoua vocatur, & in alio loco, quę dicitur Buochusa, cum mancipiis, casis, domibus, ędificiis, terris, pratis, pascuis, syluis, aquis, aquarúmue decursibus, cum omnibus, quę in prædictis locis, tam expredicti Erchanfredi donatione, quomodocunque, & ex ratione eiusdem Monasterij habere videbatur, nec non & in alio loco, qui dicitur Alinchoba, Hobam vnam, & in CailonespachHobam vnam. Et deprecatus est excellentiam nostram, vt super hanc pręstariam, confirmationis nostrę preceptum fieri iuberemus, per quod diebus vitæ eorum firmiùs & quietiùs, absque alicuius contrarietate, ipsas res tenere & possidere valerent. Quorum petitionibus libenter annuimus, & hanc autoritatem confirmationis nostræ eis fieri iussimus, per quam præcipimus & iubemus, vt diebus vitæ eorum ipsas res teneant & possideant; Et nullus quilibet Ecclesiasticæ dignitatis præditus, aut alius quilibet eis, de ipsis rebus, vllam inquietudinem, aut contrarietatem facere præsumat: Sed liceat illis, sicut diximus, diebus vitę eorum vsu fructuario ordine tenere & possidere, & post eorum amborum discessum, cum integritate, in potestatē & dominationē prædicti Monasterij reuertātur. Hæc verò autoritas præceptionis nostræ, vt firmior habeatur, & à fidelibus nostris meliùs conseruetur, annuli nostri impressione subter iussimus assignare.

Adalleodvs Diaconus, ad vicem Gauzbaldi recognoui. Data 15. Calend. Septembris, Anno Christo propitio 18. Imperij Domini Hludouuici, Serenissimi Aug. & Anno 6. Regni nostri, Indictione 9. Actum Reginesburgch, in Palatio nostro, in Dei nomine fœliciter Amen.

In nomine Dei, sanctę & indiuiduæ Trinitatis, Arnolphus, diuina fauente gratia, Imperator Augustus. Si igitur his, qui sub obtentu sacræ religionis iugiter diuinis mancipantur officiis, aures Serenitatis nostræ benigno fauore accommodamus, eorum affectui satisfacientes, liquidò credimus eos promptiores in sustentatione nostri sacri Imperij, & deuotiores in orationis constantiæ statu permanere, pro nobis atque à remuneratore omnium bonorum diuinis nos remunerari præmiis. Quapropter omnium fidelium nostrorum, pręsentium scilicet & futurorum cognoscat industria, qualiter nos, pro absolutione diuinę recordationis Antecessorum nostrorum, Augustissimorum scilicet Imperatorum, & pro remedio animæ nostrę & corporis saluatione, & pro remedio filij nostri Ludouici, atq; interuentu etiam dilectę Coniugis nostrę Vtę, volumus amplificare & augere ciuitatem nostram, quę vocatur Ratisbona, ob amorem scilicet & honorem Patroni nostri, & pretiosi Dei Martyris Emmerani, & eandem ciuitatem totam nouiter factam, cum 40. vineis in monte, qui est in ripa Danubij, iuxta eandem ciuitatem, tradimus nullo contradicente vel inquietante pretioso Martyri Emmerano, & glorioso sancto Martyri, cuius nomen in libro vitę cœlestis asscriptum est. Proinde omnium Successorum nostrorum magnitudo cognoscat. Postquàm Patruus meus, Carolus Imperator, pro petitione heu tam venerabilis Episcopi Embrichonis pręnominatam Ecclesiam pręstauit, nunquàm posteà habuit victoriam, neque corporis & animę sanitatem, vsque ad finem vitę suę. Quapropter omnium sanctę Dei Ecclesię fidelium solertia cognoscat, quòd nos eundem censum, de prędicto Monasterio, quem Carolvs Magnus dedit Leoni Papę, Successoribusque eius, & Abauus meus Evgenio Papę, & Auus pius Ludovicvs Nicolao Papę ad Romam, ad Altare sancti Petri, stabilem sancimus, in pręsentia Domini & venerabilis Papę Formosi, & eandem Ecclesiam confirmamus, in potestate Imperatorvm siue Regvm, sine vllius maleuolentis minutione, vsque in ęuum permanere, & cum eius Benedictione, & Consecratione, & Confirmatione. Ita confir-

confirmamus, vt,si quis Imperator aut Rex eandem Ecclesiam alicui præstet, in maledictione sanctæ Mariæ, sanctique Petri, Successorumq; eius,& omnium Sanctorum persistat, vsquedum ea traditione resipiscat. Et,vt hoc Imperiale autoritatis nostræ præceptum firmius habeatur,& in posterum verius credatur, hanc chartam conscribi iussimus,cum sigillo Papæ,annulique nostri impressione assignatam, manu nostra subtus roborauimus.

F. IN NOMINE sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Otto,diuina fauente clementia,Imperator Augustus. Si fidelium ac seruorum Dei nobis fideliter ac deuotè famulantium petitiones, dum nobis pro suis & nostris vtilitatibus ac necessitatibus innotuerint, ad effectum perducimus,nō solùm Antecessorum nostrorum, Regum atque Imperatorum imitando consuetudinem; verùm etiam ad beatæ & æternæ remunerationis mercedem talia nobis facta profutura liquidò credimus. Quapropter omnium sanctæ Dei Ecclesiæ fidelium nostrorumq; tàm præsentiū, quàm futurorum cognoscat industria. Quando Antecessor noster,Carolus Magnus, pro æternę mercedis augmento,quoddam Monasterium in Ratisbona ciuitate, quod est constructum,in honore sanctę Marię,matris Domini,& Principis Apostolorum Petri,& pretiosi Dei Martyris Emmerani, vbi venerabile corpus eius requiescit humatum,& cum eo corpora,& multæ reliquiæ Sanctorum sunt locatæ, recta ratione,fideliter in suam & Successorum suorum potestatem recepit. Proinde ipse eum autoritate Leonis Papæ,filiusq; eius Ludouicus,cum Eugenio Papa, & Pius Ludouicus Rex,cum Nicolao Papa,& Arnolphus Rex cum Formoso Papa, confirmauerunt,de prædicto Monasterio, vnoquoque anno 7. aureos persolui, ad altare sancti Petri. Idcirco cunctorum S. Dei Ecclesiæ fidelium, præsentis scilicet,atque futuri manifestetur Collegio,quod nos,per interuentum dulcissimi fratris nostri,Henrici Ducis Boiariorum,eundem locum,in Synodali Concilio, ante altare Principis Apostolorum Petri, in præsentia Domini,& venerabilis Papæ Ioannis, & in præsentia Episcoporum C. XVII. confirmamus in potestate Imperatorum, siue Regum,vsque in æuum permanere,propter improbitatem Episcoporum eiusdem ciuitatis. Quia non omnes, sed multi ex eis semper insidiosè contendebant, contra eundem sanctum locum. Propterea volumus ob amorem & honorem sancti Petri,de prædicto Monasterio censum augeri, vt Rectores eiusdem Cœnobij pro defensione & pro libertate eiusdem loci,vnoquoque anno offerant Romæ dimidiam libram coctiauri,ad altare sancti Petri. Et ita confirmamus cum autoritate Papæ & Episcoporum(qui sunt post Italicos & Gallicos) Moguntinus, Magdaburgensis, VVormatiensis, Constantiensis, VVirziburgensis,Rubilocensis, Augustensis, Halberstatensis,Spirensis,Curiensis,Coloniensis, Leodiensis, Traiectensis, Mindensis, Hosenprugkensis, Treuirensis, Metensis, Citiensis, Verdonensis, Tullensis, Iuuauiensis, Batauiensis, Frisingensis, Brixinensis, Bragensis, Ratisbonensis. Vt, si quis Imperator aut Rex eandem Ecclesiam tam sanctam alicui præstet, sit anathema maranatha,id est, perditio in Aduentu Domini,& in ea maledictione persistat,quam sanctus Formosus Papa super eum confirmauit,vsque dum resipiscat. Et præfatum Monasterium cum Monachis,& omnibus ibidem in præsens collatis, vel in posterum conferendis,in immunitatem Papæ,& in nostram recipimus. Et, vt hęc autoritas confirmationis nostræ firmior habeatur,& per futura tempora diligentiùs obseruetur, manu propria nostra eam confirmauimus, annulique nostri impressione muniri præcipientes.

G. IN NOMINE sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Otto, diuina fauente clementia, Rex. Nouerit omnium fidelium nostrorum præsentium,nec & futurorum solertia, quòd nos interuentionibus Henrici nostri dilecti Germani obtemperantes, quasdam

dam res iuris nostri, pro remedio animæ nostræ, ad Ecclesiam beati Petri Principis Apostolorum, sancti quoque Emmerani Martyris Christi, vbi venerabilis Episcopus sanctæ Radasponesis Ecclesiæ, Michaël nomine, præesse dignoscitur, in proprium concessimus, id est, in villa Nuichinga, in pago Hertinga, in Comitatu Eberhardi Comitis curtem regalem, id est, cum omnibus appendiciis & adiacentiis suis, iustè, legitimeque illuc pertinentibus, iure perēni in propriū, curtilibus, mancipiis vtriusque sexus, ædificiis, agris, pratis, pascuis, syluis, aquis, piscationibus, mansionariis, Barscalkis, aureariis, Bruniariis, cidelariis, molendinis, viis & inuiis, exitibus ac redditibus, quæsitis & inquirendis, mobilibus & immobilibus: Insuper etiam dedimus ad suprà dictam Ecclesiam sanctorum Petri Apostoli, Emmeranique Martyris, curtem Regiam, id est, in villa Helffendorff sitam, in Frieromarca, in Comitatu Piligrimi Comitis, & Sigehardi in Sucidesco & Kadalhoi Ysinachgouue, cum omnibus iustè illuc pertinentibus rebus, curtilibus, mancipiis vtriusque sexus, ædificiis, agris, pratis, pascuis, syluis, forestis, forestariisque cum nostro Regio banno, cæterisque omnibus commoditatibus, cidelariis, mansionariis, Barscalkis, molendinis, piscationibus, venationibus, viis & inuiis, exitibus ac redditibus, quæsitis & inquirendis, mobilibus & immobilibus. Iussimus quoque inde hoc præsens præceptum conscribi manu propria firmatum, annulique nostri impressione insignitum.

Signum Domini Ottonis inuictissimi Regis.

Brvn, Cancellarivs ad vicem Herolti Archicapellani recognouit. Data XVII. Calendas Augusti, Anno Domini DCCCC. L. Indictione VII. regnante Serenissimo Rege Ottone, anno XV. Actum Beheim, suburbio Naumburg, in Domino fœliciter. Amen.

In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Amen. Conradus Dei gratia, Ecclesiæ Ratisbonensis Episcopus. Omnibus in perpetuum, vbicunque ab Episcopis ad honorem Dei aliqua ordinantur, ne in obliuionem veniant huiusmodi ordinationes, necessarium est eas scripturæ testimonio confirmari. Nouerint igitur vniuersi præsentem paginam inspecturi, quòd nos hospitale sancti Ioannis nostræ ciuitatis, in pontis pede situm, ordinamus, & esse volumus, semper in potestate Dominorum nostrorum de Choro Canonicorum; Ita tamen quòd principalem in eo semper potestatem habeat quilibet Successor noster Episcopus Ratisbonensis. Statuimus præterea, quòd semper respectus habeatur dispensationum circa idem hospitale ad pauperes, per quatuor Canonicos maioris Ecclesiæ, & totidem Laicos, Canonicos, maiorem Præpositum, maiorem Decanum, Custodem, & maiorem Plebanum, quicunque fuerint pro tempore in eisdem officiis substituti; Laicos verò ad præsens ibi ordinamus Dominum Gozvvinum, iuxta portam, Ainvvicum & Vtonem in foro Burgenses, Havvardum Castener. Et si contingat vnum eorundem decedere, septem residui octauum, de communi consensu sibi eligant adiutorem. H.

Statvimvs etiam, quòd idem hospitale à Dominio Canonicorum maioris Ecclesiæ nunquàm alienetur, sed semper ad eam spectet, & pascantur ibi semper ad minùs centum pauperes, exceptis his, qui officiis præsunt. Si autem contingat locum in diuitiis augmentari, augmentetur & numerus pauperum in eodem loco, iuxta discretionem personarum, ad quas respicit idem locus. Volumus quoque ad abundantem cautelam, vt ipsum hospitale pari modo sit sub Dominio Ratisbonēsium Burigensium, ita vt semper dicatur, hospitale Ratisbonensium ciuium; vt si quisquam illud alienare vellet ab Ecclesia Ratisbonēn. omnes potestatem habeant contradicendi.

Vt avtem hæc constitutio nostra firma esse debeat, nec ab aliquo Successore nostro, aliáue persona possit in irritum reuocari, præsentem paginam nostri appositione sigilli & chori maioris Ecclesiæ, ac ciuium sigillis, testiumq; subscriptione, duximus confirmandam: Testes sunt Gotfridus maior Præpositus, Magister Rubertus, maior Decanus, Vlricus de VVerde, Archidiaconus, Vlricus Vicedominus, Hermannus Scholasticus, Gelphradus Gosvvinus iuxta portam, & VVernto filius suus, Otto de Keuering, Lvvtpoldus Pragare, Gozvvinus bey der Were / Karulus Grans, Karulus Telonarius, Engelbertus Ruffe, Hauuardus Kastnere, Fridericus Cellerarius, Eberhardus de Schonaiche, & alij quàm plures. Acta sunt hæc, Anno ab incarnatione Domini nostri, Iesu Christi, M. CC. XXVI. Indictione XIIII. Ratisbonæ.

I. Conradvs, Diui Augusti Imperatoris, Friderici secundi filius, Dei gratia, Romanorum in Regem electus, semper Augustus, & hæres Regni Hierusalem. Regale fastigium toties læditur, quoties in defectu clementiæ reperitur, & quantò benigniùs compassionibus pietatis immergitur, tantò gloriosiùs exaltatur. Clementer igitur lachrymis & deuotis supplicationibus quorundam Monachorum Monasterij sancti Emmerani in Ratisbona (in cuius more progenitorum nostrorum hospitati hospitio nefandum consilium, & detestabile homicidium personæ nostræ, per Albertum, qui se dicit Ratisbonensem Episcopum, & Chuonradum de Hohenfels furtiuum & nocturnum aggressorem, ad excogitatam necem nostri corporis, extitit procuratum) misericorditer inclinati, misericordiam potiùs, quàm iudicium (de personis & rebus eiusdem Ecclesiæ, pro Dei reuerentia, qui non minùs misericorditer quàm miraculosè in eodem loco tueri voluit, & saluare personam nostram ab insidiis & insultibus eorundem inimicorum nostrorum) sequi volentes, ipsum Monasterium cum personis religiosis, Domino ibidem famulantibus, & omnibus bonis eius, excepto Vlrico Abbate, & illis personis, quæ supplicij & interitus nostri coniurati, participes & conspiratores extiterant, sub nostra & Imperij protectione ac defensione recepimus speciali, statuentes ex tunc, & firmiter inhibentes perpetua inhibitione, quatenus nullus sit, qui propter prædictam noxam, in detrimentum personæ nostræ, commissam, pręfatum Monasterium, cum personis & omnibus bonis suis, stabilibus & mobilibus, sicut prædictum est, offendere aliquatenus, vel molestare præsumat; quòd, qui præsumpserit, indignationem nostram se nouerit incursurum, præter pœnam, quam transgressori eiusdem mandati nostri infligere voluerit excellentia nostra, seu aliquis alius hæredum, & Successorum nostrorum. Ita tamen, quòd Domus illa, in qua ex præfato machinamento proposuerant irreuocabili proposito, pręfati, Albertus dictus Episcopus, Chuonradus de Hohenfels, & Vlricus Abbas eiusdem loci, personam nostram mortis supplicio tradidisse, dirui debeat funditus, ne parietes ipsius domus fœdati & perfusi cruore dormientium, tunc temporis coram nobis pro custodia personæ nostrę, qui pro salutis nostrę defensione sanguinem suum fundentes, mortem spontaneam subierunt, ampliùs in eodem loco valeant reperiri. Tenentur insuper Monachi eiusdem Monasterij, ex pacto firmę promissionis habito coram nobis, præsentibus, Ottone Comite Palatino Rheni, Duce Bauarię, dilecto Principe & Socero nostro, & Ludouico filio suo dilecto, Leuiio nostro, Ottone Marchione de Hohenpurgk, dilecto Consanguineo nostro, Henrico Marchione de Burgovve, Ludouico Seniore, Comite de Octing, Gotfrido de Hohenloch, & aliis Consiliariis nostris, nec non ciuibus Ratisbonensibus, quod in eodem loco, vbi hactenus extiterat domus perditionis nostrę, construere debent & erigere, à nouo fundamine, ex propriis sumptibus Ecclesię beati Emmerani, Capellam vnam, ad honorem beatæ Virginis Mariæ, & beati Nicolai, specialium tutorum & defensorum nostrorum, in articulo eiusdem necessi-

necessitatis nostræ, quam amodò, & in perpetuum regiam Capellam volumus appellari, dotandam per eos competentibus dotibus; ex quorum prouentibus habere valeat sufficiētia & annua stipendia Monachus Sacerdos statutus ad hoc per Abbatem & Conuentum eiusdem, qui eandem Capellam gubernabit diuinis & continuis officiis, In perpetuam memoriam nominis nostri & hæredum nostrorum, qui pro tempore fuerint ad regimen Imperij constituti. Censemus etiam omnes infeudationes & donationes rerum ipsius Monasterij, per scripta nostra, personæ alicui occasione prædicta indultos, irritos & inanes, nec pati volumus, quòd de omnibus prouentibus, & redditibus præfati Monasterij præsente Guerra durante, alicui personæ, nisi spirituali Rectori & prouisori, qui fuerit in Ecclesia de mandato & voluntate nostri culminis constitutus, per Monachos & fideles personas subiectas ipsi Monasterio intendatur, ad vsus & vtilitatem Ecclesiæ conuertendis; Et si aliquis Monachus ipsius Ecclesiæ seu aliqua alia persona, tam Ecclesiastica mūdana quàm prædicta publicè in præsentia nostra statuta, opponere se præsumpserit, participem præfati facinoris in personam nostram excogitati, ab omnibus fidelibus nostris volumus eum haberi. Ad quorum omnium memoriam, & stabilem firmitatem, præsens scriptum fieri, & sigillo nostræ celsitudinis iussimus communiri. Datum apud Ratisbonam, Anno incarnationis Dominicæ M. CC. LI. Mense Ianuario, Indictione nona.

NOs Otto, Ludouicus, Stephanus, Comites Palatini Rheni, Duces Bauariæ. Vniuersis præsentia inspecturis in perpetuum. Sinceritatis affectum, quē erga Sacerdotes & ministros Domini ob ipsius Dei reuerētiam semper habuimus, reuerendi patris & dñi nostri Henrici, Ratisbonensis Ecclesię venerabilis Episcopi, beneuolentiæ promptitudo, quam charissimo patri nostro, nobisq; cōstanter exhibuit, non mediocriter ampliauit. Ad ipsius itaq; dñi Episcopi preces, & salutare consiliū reuocamus & irritamus; Imò tanquàm iuri contrariam & odiosam legibus cassam & irritam nunciamus quondam nostrorum iudicum & Officialium consuetudinē, qua res & bona decedentium Clericorum occupabāt hactenus, & suis vsibus applicabant: Statuentes hoc edicto in terra nostra & partibus nostri dominij in perpetuū valituro, ne Vicedominus, iudex seu officialis noster quicunq; bona vel res decedentium Clericorum per Ratisboñ. Diœcesim, siue ius patronatus ipsarum Ecclesiarum, seu aduocatialis defensio ad nos vel quoscūq; alios pertineat, inuadere vel occupare præsumat, vel suis vtilitatibus vsurpare. Testamēta siquidem ipsorū Clericorum, si qua fecerint, rata esse volumus, & ad eos quibus ab ipsis legatæ sunt res Ecclesiarū, sine nostro, nostrorumq; obstaculo officialium integraliter peruenire. Si quis verò eorum intestatus decesserit de rebus illius ordinandi & disponendi liberā habeant facultatem prędictus dñs Episcopus vel Successores sui secundùm legales & Canonicas sanctiones, nec & in hoc casu per nos, nostrosq; officiales, quicquàm eis molestię vel grauaminis inferatur. Hoc adiecto in pmissis omnibus moderamine, vt de bonis Clericorum ipsorum, siue cum Testamento, siue ab intestato decedentium creditoribus suis, vbi debitū liquidum fuerit, aut de ipso legitimè constare poterit, secundùm exigentiam iuris atq; ordinem plenariè satisfiat. Quicunq; autē huius nostri statuti transgressor fuerit, ablata eis, quibus debeantur, restituat, & nobis nihilominus, pro pœna huius temeritatis, si Vicedominus fuerit 30. si Iudex vel alius Officialis quicunq; decem libras denariorū Ratisboñ. soluere teneatur, toties quoties eos, vel quem libet eorum delinquere cōtigerit in hoc casu; nisi infra mensem post ammonitionem factam, per nos seu Ratisboneñ. Episcopum vel Ecclesiā retractauerit, & plenè emendauerit quicquid contra tenorē præsentium fuerit attentatū: Et quia in districtibus nostris Cōmites, viri ingenui, aliiq; Nobiles, ius patronatus, aduocationē in quibusdā habent Ecclesiis, ne hi huiusmodi occasione contra

I tenorem

tenorem præsentium & Iustitiam offendant, libertatem Ecclesiasticam promitti-mus & spondemus firmiter, quòd non molestè ferimus, nec ob hoc Ratisbonen. Pontifices, vel Ecclesiam, in aliquo grauabimus, si quando ob transgressionē huius nostri statuti, imò veriùs declarationē iuris continget eosdem Episcopos Ratisbo-neñ. ad executionem iuris sibi propter hoc competentis procedere, contra huiusmodi nostrorum mandatorum temerarios transgressores. Ad confirmationem igitur, omnium præmissorum sigilla nostra huic scripturæ duximus appendenda, cum annotatione testium subscriptorum. Hi sunt, Albertus, Comes de Hals, Vlricus de Abensperg, Diethalmus de Prugkpergk, Cunradus de Preising, Albertus de Strubing Vicedominus, & alij quàm plures. Datum Strubingæ, Anno Dominicæ incarnationis M. CC. XC V. Calend. Octobris, Indictione octaua.

L. NOS OTTO, Ludouicus & Stephanus, Dei gratia, Comites Palatini Rheni, Duces Bauariæ, per præsentes literas constare volumus vniuersis. Quòd cùm nos ad preces & singularis dilectionis signaculum, Reuerendi Patris, & domini nostri Henrici, Ratisbonen. Episcopi, desistendum decreuimus à petitione contributionis subsidij, per totā suam Diœcesim, quo in aliis Diœcesibus nostri dominij exigere & recipere intēdimus, ob nostrorum onera debitorum ipsius Clero ac personis Ecclesiasticis ciuitatis & Diœcesis Ratisboñ. promiserimus iura & immunitates à Romanis Pōtificibus, Imperatoribus & Regibus, nec non à nostris progenitoribus, datas & concessas firmiter obseruare non molestè ferimus, nec per hæc nostra sibi facta rescindetur promissio; si ipsum dñm Episcopum Ratisboñ. aut ex iuris debito, seu ex aliqua vnione, cum dño nostro Salzburgeñ. Archiepiscopo, aut quibuscūq; aliis inita, excommunicationis, suspēsionis, interdicti, priuationis seu concessionis sententias, si quæ ab eisdem in personas seu terram nostram latæ fuerint, seruare contigerit, aut etiam mandauerit, per suam Diœcesim & ciuitatē obseruari, nec propter hoc ipsum dñm Episcopum, nec Clerum suum in aliquo offendemus. In cuius rei testimonium præsentes literas eidem dño nostro Episcopo dedimus, sigillorum nostrorum munimine roboratas. Datum Ratisbonæ, Anno Dñi 1295. 7. Idus Iulij.

LI. IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis Amen. Cunradus Dei gratia Ratisbonēsis Episcopus, Imperialis aulæ Cancellarius. Notum sit tam futuris quàm præsentibus. Quod cùm inter Ratisbonensem Ecclesiam & Ducem Bauariæ à longo retroacto tempore graues inimicitiæ & bellorum asperitates frequēter emergere cōsueuissent, dñs Ludouicus, inclitus dux Bauariæ, hāc detestabilē insolentiā pro bono terræ & intuitu æterni numinis temporibus nostri Episcopatus antiquare volens, & tàm nobiscum quàm cum nostris Successoribus pacē conseruare; cum sapientibus Baronibus, terræ vasallis suis, super concordia stabili nobiscū facienda nos cōuenit, cui perlaudabili proposito, qđ habuit, benignū assensum præbentes, sic amicabiliter sumus cōcordati. Quòd nos inuicē diligere & auxilium præstare promisimus cōtra quoslibet; exceptis, dño Rege Philippo & eius in imperio Successorib. & fautoribus Ecclesiæ Ratisboñ: Ipse verò dux pium propositū decorare volēs beato memoriali, pro reuerentia Iesu Christi & B. Petri, & animæ suæ, ac parentū suorum salute in altera parte Danubij, hæc prædia scilicet, castrū Kelheim, & Lutholdum cum pueris & familia & omni posteritate sua, castrum Lengenueld, castrū Stauffe, castrum Steueningen, castrum VVolffheringen, castrum Bartespetch, castrū Durechelnburge: Ex ista verò parte Danubii, castrū Landeshuetæ, cum omnibus ministerialibus & redditibus eis attinētibus & tota familia, si sine prole legitima decesserit, Ratisbonēsi Ecclesiæ perpetuò possidenda donauit. Deuotione ergò tanta considerata & benigno voto, quo Dux Ecclesiam piè respexerat, pro aliquanta repensione suæ bonæ operationis, ipse in continenti beneficio Landgrauij (quod tunc vacans fuit situm in mōtanis) est inbeneficiatus; ita tamen quòd ei nō liceat redditus eiusdē beneficij alicui vnquam in beneficio conferre.

PRAE-

PRAETEREA si Dux decedens sine prole legitima, sicut donauit Ecclesiæ prædicta prædia, ita etiam Episcopatui Ducatum condixerit, ipse inbeneficiabitur proximo beneficio, quod vacauerit Ecclesiæ ab aliquo Principum; exceptis tribus, scilicet, beneficio dñi Regis, & beneficio aduocatiæ maioris Ecclesiæ, & beneficio Comitis de Hochenburge; & ei insuper assignabuntur redditus tanti, quanti sibi persoluuntur de beneficio Landgrauij; & curiæ suæ tanta dabitur pecunia pro consilio, quanta tunc data est, cùm sæpedicta prædia Ecclesiæ conferrentur. Dux verò, si hoc facere noluerit, beneficium Landgrauij, quod habet, habeat, sed curiæ suæ nõ dabitur alia pecunia quàm data est, sibi tñ media pars beneficij, quod ab alio dominorũ proximo vacauerit, præter quæ excepta sunt, est concedenda; Et ipse in familiari cõsilio electionis Episcopi, sicut vnus ex Canonicis vel ministerialibus recipiẽdus est & audiendus. De iure quoq; & iudiciis in hoc concordauimus, vt quidquid iuris in ciuitate vel vbiq; habere debemus ab hominibus nostris, quos ad hoc disponendum ordinamus, sine controuersia & lite inter se nobis illud conseruetur. Præterea conductum simul præstabimus, & lucrum inde acceptum simul diuidemus, & quicunq; contra velle nostrum aliquem vel aliquos cõducere voluerint, illud ambo prohibebimus. Collectas etiam super ciuitatem generales æqualiter diuidemus, hoc excepto: Si homo noster vel Ducis ecõuerso domino suo singulariter aliquid tribuat, vel pro aliquo delicto gratiam suam acquirat, in quo alter alterum necessarium nõ habebit: Si verò aliquis nobis attinens se opposuerit, ne nobis seruiat, vel Duci attinens, simili modo, si seruire recusauerit, ambo promisimus ad seruiendum illum compellere, & lucrũ simul æqualiter diuidere; sed hoc fiet secundùm consilinm & moderationem Episcopi, Item de manifesto conflictu in ciuitate lucrum æqualiter diuidemus, Item de indicendo foro rerum venalinm qualinmcunq;, & de omnibus vnionibus quarumlibet venditionũ, modum simul statuemus, & neuter sine altero vel alterius licentia aliquid de his statuet vel mutabit vel remittet: similiter de vẽditoribus salis Dux, qđ statuet, aget de cõsilio Epi. De ordinatione verò pacis prouinciæ sic ambo statuimus, vt quidquid inter nos vel eoa diutores nostros, vel vtriusque Ministeriales emerserit, ex quo concordia & amicitia inter nos facta est, scilicet, quòd vnus alteri damnum intulerit, damnificatus sine talione sex hebdomadis se contineat & conqueratur Episcopo, si Ducis est, vel econuerso & plenariã recipiat satisfactionem: Si verò dãnificatus hoc transgreditur, ita quòd pro iniuria sibi illata malum fecerit, factũ duplo restituat, & pro sibi illata nullam habeat emendationẽ; & si damnificatus sine talione iniurias suas cõqueritur, & Sacramentum calumniæ præmiserit, ille, in quem agitur, damnum restituat cõfirmatione iuramenti trium autenticarum personarum, & si negare voluerit, simili modo negabit: Item si agens in alium Sacramentũ calumniæ præmittere noluerit, ille, qui pro reo habetur, sola manu se poterit expurgare: Si verò damnificãs pertinacia vel paupertate satisfacere contempserit, excõmunicetur ab Episcopo & à Duce ꝓscribatur, & à tali dãnatione nõ liberetur, nisi priùs de his, quæ deliquit, dignã exhibeat emendationẽ. Talem enim vltra solã noctem vel prãdium nullus in domo sua recipiat vel detineat: Qui verò eũ detinuisse culpatus fuerit, & tertia manu se expurgare noluerit, nec poterit, satisfaciat pro ipso, Item qui satisfacere tenetur, pro quocunq; facto, citabitur peremptoriè à Iudice, per sex hebdomadas, &, si se die constituto præsentauerit, infra duodecim dies posteà satisfaciat, & satisfactionis certitudinẽ coram Iudice faciat per fideiussores: Si autem se citatum aliquis nescierit, & hoc probauerit, nõ damnetur, sed satisfactio recipiatur ab eo suprà dicta: Item qui in aliũ sine querimonia violenter per raisam insultũ fecerit, damnum illatum integrè restituat, & pro dedecore insultus quinq; talẽta reddat. De prædictis igitur excessibus, si aliquis coram Epõ vel Duce, vel aliis quibuscunq; Iudicibus, quibus hoc commiserint, cõuenitur, sicut

suprà constitutũ est,& ipsi iudices hoc iudicare neglexerint vel noluerint,fine omni occasione & contradictione infra 12.dies satisfaciant loco & vice eius,qui in causam tractus fuit,& ponent actori fideiussores,& ipsi, qui inimici fuerant,sint amici.

De Castro Chuofstain,ambo taliter statuimus,vt vel illud simul habeamus vel destruamus,& simul prohibeamus,ne reædificetur.

De Moneta Ratisbonensi statuimus,quòd stabilis sit,& nulla vnquã posteam fiat;sed si factum fuerit,Dux ad consiliũ & velle Episcopi,phibeat & retractet. Hęc cõstitutio de concordia & amicitia inter nos & Ducem,& statuto,quod de ciuitate statuimus & aliis, durabit,quàm diu simul vixerimus: Si verò Successor noster in Episcopatu cum Duce Bauariæ hanc amicabilem concordiam cõseruare voluerit, & hoc apud ipsum impetrare potuerit,quęcunq; statuta sunt,omnia rata habeãtur. Testes huius rei sunt Gottfridus maior Præpositus,Magister Rupertus,Scholasticus maioris Ecclesię,dñs Cõradus, Comes de Mosburc,dñs Eberhardus,Comes de Dorenberc, Albero Lupus, Albertus Lutzemannus, Syfridus Choph, VVitnto de Planchenstain,Cunradus de Hohenfels, Arnoldus de Schönenfeldr, Havvardus de Oüttingen, VVilhelmus super Danubio & alij quàm plures. Acta sunt hæc Anno M. CC. V. Indictione nona.

Copia confirmationis Philippi Rom. Regis,&c.

IN nomine sanctæ & indiuiduę Trinitatis Amen. Philippus Dei gratia, Romanorum Rex, semper Augustus. Quoniam pro pace ordinanda & iustitia terris facienda,coronam & regimẽ Imperij suscepimus, facilem assensum prębere tenemur,his quę bono pacis fuerint prędordinata; Huius igitur rationis intuitu notum fieri volumus vniuersis. Quod cùm Ratisbonensis Episcopatus cum Ducatu Bauariæ ab imperio monetam, telonea,& quędam iudicia habeat communia, super quibus dissensiones & bellorum asperitates frequenter exurgere cõsueuerant; dilectus noster Cunradus, Ratisbonensis Episcopus, Impialis aulæ Cancellarius,& Consanguineus noster Ludouicus, Nobilis Dux Bauarię, huic morbo remedium adhibere volẽtes, communicante sibi meliorum terræ Baronum & Ministerialium consilio, in hoc cõuenerunt amicabiliter, quòd fide coadunati sunt, sic quòd se inuicem perpetuò pacti sunt diligẽte,& alteralteri præstare promisit auxilium contra quemlibet; excepto nobis & nostris in imperio Successoribus. Episcopus etiam excepit coadiutores Ecclesię Ratisbonen. De iure quoq; & iudiciis & aliis agendis in ciuitate, in vnũ sic conuenerunt, vt quicquid in ea simul vel singulariter habere debeant ab hominibus eorum, quos ad hoc procurandũ deputauerint, sine lite & controuersia vtrique ius suũ in hoc conseruetur. Prætereà conductum simul præstabunt,& lucrum inde acceptum pariter diuident,& quicunq; cõtra velle ipsorum aliquem vel aliquos cõducere præsumpserit, illud ambo prohibebunt. Collectas etiam super ciuitatem generales,& lucra simul diuident, hoc excepto: Si homo Episcopi vel Ducis domino suo singulariter aliquid tribuat, vel pro aliquo delicto, bonis mediantibus, ad gratiam suam redeat, in quo auxilium vnius alteri necessarium nõ habetur.

Item si aliquis Episcopo attinens, se opponit, ne ei seruiat, vel Duci econuerso, ambo promiserunt illum eompellere ad seruiendum,& lucrum simul diuidere; ita tamen quòd Dux exactionem faciat in hominem suum, secundùm consilium & moderationem Episcopi,& Episcopus econuerso secundùm consilium Ducis idem facere tenetur.

Item de manifesto cõflictu in ciuitate,& de indicendo foro rerum venalium, qualiumcunque,& de omnibus vnionibus quarumlibet venditionum, modum simul statuẽt,& lucrum simul diuident;& neuter sine altero vel alterius voluntatẽ, aliquid de his statuet, vel mutabit vel remittet.

Simili-

Similiter de venditione salis, Dux, quod statuerit, de cõsilio Episcopi ordinabit.

Item de moneta Ratisbonensi statuerunt, quòd nulla vnquam post eam fiat, quod si factum fuerit, Dux ad consilium & velle Episcopi prohibebit.

De ordinatione verò pacis sic statuerunt in prouincia, vt quicquid inter eos, vel ipsorum coadiutores, vel vtriusque ministeriales emerserit; ita quòd vnus alteri damnum intulerit, damnificatus sine talione sex hebdomadis se contineat, & conqueratur Episcopo, si Ducis est, & e conuerso, & plenariam recipiat satisfactionẽ. Si verò damnificatus hoc transgreditur, ita quòd pro damno sibi illato aliud damnũ fecerit, factum duplo restituat, & pro sibi illato nullã habeat emẽdationem; Sed si damnificatus sine ratione iniurias suas conqueritur, & Sacramentũ calumniæ promiserit; ille, in quẽ agitur, damnum restituat, testimonio iuramẽti trium denominatorum, si negare voluerit, simili modo negabit. Item si agens in alium Sacramẽtum calumniæ prẽmittere noluerit; ille, qui pro reo habetur, sola manu se poterit expurgare; Item si damnificans pertinacia vel paupertate satisfacere contempserit, excommunicetur ab Episcopo, & à Duce proscribatur, & à tali damnatione non liberetur, nisi priùs de excessibus dignam exhibeat satisfactionem. Talem enim vltra solam noctem vel prandium, nullus in domo sua recipiat, vel detineat; sed qui eum detinuisse culpatus fuerit, & tertia manu se expurgare noluerit vel nequiuerit, satisfaciat pro ipso: Item qui satisfacere tenetur, pro quocunq; excessu, citabitur peremptoriè à Iudice per 6. hebdomadas, & si die cõstituto se præsentauerit, infra duodecim dies posteà satisfaciat, & satisfactionis suæ certitudinem faciat, coram iudice per fideiussores: Si autem se citatum aliquis nescierit, & hoc probauerit, nõ damnetur, sed satisfactio ab eo accipiatur suprà dicta.

Item, qui in alium sine querimonia violenter per reisam insultum fecerit, damnum, quod fecit, integrè restituat, & pro dedecore insultus reddat quinq; talẽta. De prędictis igitur excessibus, si aliquis corã Episcopo vel Duce vel aliis Iudicibus, quibus hoc commissum est, conuenitur, sicut suprà constitutum est, & ipsi Iudices hoc iudicare neglexerint vel noluerint; ipsi pro eo, quod non iudicauerunt, omni occasione & cõtradictione remota, loci rei infra dies duodecim satisfaciant & actori dent fideiussores, & illi, qui pro tali facto inimici fuerant, fiant amici.

De Castro quoq; Chusstain statuerunt, vt illud vel simul habeant vel destruant, & ambo prohibeant, ne reædificetur.

Haec autem constitutio Episcopi & Ducis de vniuersis, quæ superiùs memorantur, iudiciis, concordia & lucris, durabit, quàm diu ambo vixerint: Si verò Successor Episcopi hoc statutum cum Duce cõseruare voluerit, & apud eum, vt ita sit, obtinere potuerit, quæcunq; statuta sunt, per omnia rata habeantur.

Et Dux in familiari consilio electionis Episcopi, sicut vnus ex Canonicis vel ministerialibus recipiendus est & audiendus.

Ne autem huius cõcordię amicitia & statuti, quod fecerunt Episcopus & Dux, posse vel debere retractari fortè putaretur ab aliquibus, Dux, qui bono zelo & intuitu pacis ista fieri voluit, ꝓpium propositum beata decorauit memoria: Vnde pro reuerentia beati Petri & animæ suæ, ac parentum suorum remedio, hæc prædia, scilicet castrum Kelheim, & Lutoldum cum pueris & omni familia, & posteritate sua, castrum Lengenueld, castrum Stoufe, castrum Steueningen, castrum VVolfheringen, castrum Bartsperch, castrum Durchelenburch, & castrum Landeshute, cum omnibus ministerialibus & tota familia, & redditibus eis attinentibus, si sine prole legitima decesserit, Ratisbonensi Ecclesiæ perpetuò possidenda donauit: Deuotionem ergo Ducis attendens Ratisbonensis Ecclesia, quòd ipsam piè respexerat, partes suas interposuerũt; Ita quòd Episcopus Ducem beneficio Landgrauij, quod vacabat eodem tempore, situm in montanis, hac conditione inbeneficiauit, quòd ei

non liceat redditus eiusdem beneficij alicui vnquam inbeneficiare. Adiecit etiam Dux, si esset de concessione nostra, & sibi fortè placeret in posterũ Episcopatui Ducatum, eo decedente sine hærede, condicere, quòd sibi concederetur beneficiũ proximè vacãs ab aliquo Principum; exceptis tribus, beneficio scilicet, quod nos ab Ecclesia tenemus, & beneficio maioris Ecclesię Aduocatiæ, & beneficio Comitis de Hohenburch, & curiæ suæ tanta daretur pecunia pro consilio, quanta data est, cùm ipse castra & prædia sua Ecclesię disponeret; sed si hoc non faceret, tamẽ media pars beneficij, quod vacauerit, ab aliquo Principũ, tribus prædictis exceptis, sine pecunia consilij sibi concederetur. His igitur omnibus Ratisbonensis Episcopus & Chorus, & Ministeriales, quia ad pacem esse videbantur, præbuerunt assensum; Nos verò tùm quia laudabilia sunt hæc, quæcunq; statuta sunt, inter Ratisbonensem Ecclesiam & Ducem, tùm quia ad pacem tendunt totius prouinciæ, approbantes & rata habentes hanc præsentem paginam rei gestę seriem continentem, sigilli nostri impressione & subscriptione testium reddidimus confirmatam.

Alia copia prædictæ compositionis de Anno 1213. *in qua vetera iura Episcopi Ratisbonen. ac Ducum Bauariæ in ciuitate Ratispona latiùs continentur.*

HÆC EST forma compositionis factæ, inter dominum Conradum, Ratisbonensem Episcopum, & dñm Ludvvicum Ducem Bauarię: Dux recepit medietatem castri Chufstaine ab Ecclesia Ratisboneñ. in feudo, & reliquam medietatem debet acquirere à Natiuitate Domini proximè præterita infra annũ, sine malo ingenio, & debet dare Ecclesiæ Ratisboñ. & postmodũ ab ea recipere in feudo; Quod si non fiet, dabit castrum Stefeningũ Ecclesiæ Ratisboneñ. in concambium, pro illa medietate, & suprà dicto modo recipiet eandem medietatem ab Ecclesia in feudo, castrum Chontil similiter debet habere ab Ecclesia in feudo: Item decimã Atingen, pro qua vertebatur controuersia inter eos, debet Episcopus habere absolutè: Item Dux pro remedio animæ suę, & parentum suorum, in altera parte Danubij castrum Kelhaim, & Luttoldum de Ovve, cum pueris suis & familia, & omni posteritate sua, & castrum Lengenfeld, castrum Stouffe, castrum Stefiningẽ, castrum VVolferingen, castrum Bartesperc, castrum Durchelnburg, & ex ista parte Danubij, casttum Landeshutæ, cum omnibus ministerialibus & redditibus, suprà dictis castris attinentibus, & cum tota familia, si vel ipse, vel pueri sui, sine legitimo hærede decesserint, Ecclesiæ Ratisboneñ. perpetuò possidenda donauit. Episcopus verò hanc deuotionem considerans, beneficio Landgrauij, sito in montanis, Ducem infeudauit, tali conditione, quòd Duci non liceat eodem beneficio alium infeudare: Quod si fecerit, statim vacare debet Ecclesiæ. Insuper Episcopus concedet Duci mediam partem vnius beneficij, quod proximo sibi vacauerit ab aliquo Dominorum, exceptis tribus, scilicet beneficio, quod detinet Imperaror, & aduocatia maioris Ecclesiæ, & beneficio, quod habuit Comes Fridericus de Hohenburch.

DVX etiam in familiari consilio electionis Episcopi, sicut vnus ex Canonicis vel Ministerialibus, recipiendus est & audiendus.

ITEM Dux Burgenses absolutos dimisit ab omni iuramento, quod sibi aduersùs Epm fecerant, & alter alteri debet ius suũ in ciuitate per omnia integrũ conseruare.

ITEM vterq; cum homine iuri suo attinente, sicut voluerit, liberè disponat: Si verò alterum ad hoc habuerit necessarium, quęstum cum eo æqualiter diuidat, & cum illo procedat secundùm sui consilij moderationem, sine malo ingenio.

ITEM Episcopus non debet violenter manu tenere Burgenses contra Ducem, qui in ciuitate domum suam sibi ædificent, aut pecuniam, quam eis ad hoc assignauerat, sibi restituant, aut ostendant, cui dederint.

ITEM si aliquis Burgensium alteri eorum in iure sibi debito rebellis extiterit, contra eundem mutuum sibi debent auxilium impartiri, & lucrum inde prouenientes, æqualiter diuidere.

SIMILITER de manifesto conflictu in ciuitate quæstum æqualiter diuident.

DE statuendo etiam foro rerum venalium, qualiumcunque in ciuitate & de omnibus vnionibus quarumlibet venditionum, modum simul statuent, & neuter sine licentia alterius aliquid de his mutabit vel remittet.

PRAETEREA conductum simul præstabunt, & lucrum inde acceptum simul diuident, & quicunque contra velle eorum aliquem vel aliquos conducere præsumpserit, vel conductum eorum infregerit, illud ambo prohibebunt.

ITEM nec Episcopus Castrum Strazpurch, nec Dux aliud Castrum prope Heylsperch, nec alteruter eorum aliquod Castrum in præiudicium alterius ædificare debet, vsque ad sex annos post reditum Ducis de partibus vltrà marinis.

ITEM neuter eorum debet vasallum vel ministerialem vel hominem alterius, sibi in castellanum, vel quocunque alio modo assumere, nisi de ipso alteri velit iustitiam exhibere, Item neuter eorum debet ministerialem alterius, qui gratiam suam non habet, siue per matrimonialem contractum, siue quocunq; modo assumere, aut contra eum violenter defendere; sed si fortè, altero eorum ignorante, ministerialis vnius transierit in potestatem alterius, per copulam matrimonialem; tunc ille in cuius potestatem transiuit, prosequetur eundem, ad consilium Domini, à quo recessit.

ITEM si Comes vel liber vel ministerialis alterutrius eorum existens in familiaritate Domini sui gratiam suam amittat, illum non debet alter sibi assumere, nisi ille prius gratiam Domini sui habeat.

AD hæc Episcopus & Dux hoc similiter inter se statnerunt, vt ministeriales eorum vicissim nubant, & pueri æqualiter diuidantur, hoc modo distinguentes: Quòd primus puer, masculus vel fœmina, patrem sequatur, sine diuisione reliquis nihilominus diuidendis; si vnum tantum genuerit puerum, masculum vel fœminam, idem Patrem sequatur, & nubat post matrem, & eiusdem pueri, quos genuerit, similiter diuidantur. Item si Officialis Episcopi, veluti Marschalcus, Dapifer, Camerarius, vel alter quilibet vxorem de Ministerialibus Ducis duxerit, vel Officialis Ducis econuerso ministerialem Episcopi, vxorem duxerit, Seniorfilius, qui Patrem sequitur, habeat Patris officium, & si solus sit, nubat in potestatem Domini, cuius erat mater; ita tamen quòd pueri, quos genuerit, diuidantur, si verò solus non est, sed plures sunt pueri, ipse nihilominus habeat patris officium, cum reliquis pueris, secundùm quod suprà dictum est, diuidendis

DE ordinatione verò pacis prouinciæ sic statuerunt, vt quicquid inter eos, vel eorum coadiutores vel ministeriales, vtriusque emerserit, ita quòd vnus alteri damnum intulerit, damnificatus sine talione sex hebdomadis se contineat, & conqueratur Episcopo, si Ducis est, & econuerso & plenariam recipiat satisfactionem: Si verò damnificatus hęc transgreditur, ita quòd pro damno sibi illato malum fecerit, factum duplo restituat, & pro sibi illato nullam habeat emendationem: sed si damnificatus sine talione iniurias suas conqueratur, & Sacramentum calumniæ præmiserit, ille, contra quem agitur, damnum restituat, sub testimonio iuramenti trium autenticarum personarum, & si negare voluerit, simili modo negabit, Item si agens in alium Sacramentum calumniæ præmittere noluerit, ille, qui pro reo habetur, sola manu se expurget, Item si damnificans pertinacia vel

paupertate, satisfacere contempserit, excommunicetur ab Episcopo, & à Duce proscribatur, & à tali damnatione non liberetur, nisi prius de excessibus dignam exhibeat satisfactionem. Talem enim ultra vnam noctem vel prandium nullus in domo sua recipere audeat vel detinere; sed, qui eum detinuisse culpatus fuerit, & tertia manu se expurgare noluerit vel nequiuerit, satisfaciat pro ipso.

Item qui satisfacere tenetur pro quocunq; excessu, citabitur peremptoriè à iudice per sex hebdomadas, &, si se die constituto præsentauerit, infra duodecim dies posteà satisfaciat, & satisfactionis suæ certitudinem faciat, coram iudice per fideiussores: Si autem se citatum aliquis nescierit, & hoc probauerit, non damnatur, sed satisfactio ab eo accipiatur suprà dicta.

Item qui in alium sine querimonia violenter per Raisam insultum fecerit, damnum, quod fecit, integrè restituat, & pro dedecore insultus, reddat quinq; talenta: Item damnificatus Ducis non conqueratur coram iudicio prouinciæ, sed coram Episcopo, & si damnificans restiterit Episcopo, super emendatione, ipse debet eum excommunicare, & de bonis suis læso assignare, ad æstimationem damni illati, nisi bonis careat, & publicus prædo sit; & si necesse fuerit, eum cum Duce prosequi ad eius instructionem, potest id, quod in eius cedit personam: Idem Dux debet de suis Episcopo conseruare reum proscribendo hoc adiecto, quòd Dux præcisè damnificato restituat ablata, nisi reus publicus prędo sit, nec habeat, vnde satisfaciat, quod propterea adiectum est, quòd Dux potentior est de suis, quàm Episcopus de suis; Idem de vasallis Ecclesiæ, quàm diu respectū habebunt ad Episcopum, propter eum dimittendi & faciendi; & postquàm ab illo respectu destiterint, coram publico iudice, de ipsis querimonia proponatur.

De moneta Ratisbonensi statuerunt, quòd stabilis sit, & nulla vnquam post eam fiat; sed, si factum fuerit, Dux ad Consilium & velle Episcopi prohibeat & retractet.

Item vtriq; tam Episcopo quàm Duci placuit, vt omnia instrumenta, ante hoc præsens instrumentum facta (fortè hic deest, &c.) nisi sub sigillo vtriusq; deinceps careant effectu huius formæ ac constitutionum: Testes sunt, Clerici, Chuno Decanus, Vlricus de VVerde Archidiaconus, VVernhardus de Iudēbrucker Archidiaconus, Theodoricus de Shōnēfeld, Vlricus scriba, Vlricus de Sancto Cassiano, Vicedomin⁹ Ducis, Geroldus Notarius Ducis, Eberhardus Notari⁹ Episcopi Laici, Comes, Kalhohus de Kirchpere Comes, Meinhardus de Rotenēcke, Heinricus de Lapide, Grimoldus de Lapide, Marchvvart de Māringē, Ratold de Perge, Cunradus de Hohenfels, Heinricus de Eberspeunt, Havvardus de Outingen, Arnoldus de Schōnenfeld, Otto Kopf, Heinricus de Ramisovvi, Heinricus de Syriching, Cunradus de Schrotshouen, Hermanus de Liechtenberch, Cunradus de Kirchdorf, & alij quàm plures. Acta sunt hæc Anno dominicæ incarnationis M.CC.XIII. indictione prima.

P. IN nomine Domini Amen. Cunradus Dei gratia Episcopus Ratisbonensis omnibus in perpetuum. Cùm ex quodam promisso Duci Bauariæ conferendum esset feudum vnum, & Episcopus Ratisbonen. quicunq; tunc temporis, quando idem beneficium inciperet vacare, præsideret, ad id teneretur, & nos Ecclesiam nostram ab illo promisso absoluissemus per beneficiū Eberhardi, Co. de Dornberch, aduocariam, quæ Kasten Vogtei dicta, quæ erat de eodem feudo, excepimus illam Duci recompensaturi per feudum, quod vacare ceperit, ad ęstimationem viginti librarum, quarum decem sint absoluti redditus, quod vulgò sonat vrbot. 10. verò in feudate, quod vulgò sonat Manneleehen. Hoc autem temporibus nostris faciendum reliquit gratiæ nostræ: Si verò temporibus nostris factum non fuerit, Successorem nostrum ad idem exequendum teneri per scriptum præsens profitemur. Adiectum

est au-

est autem, si feudum idem Duci conferendum æstimationem viginti librarum excesserit, quod Dux pro eodem excremento faciet, quicquid Cōsiliarij tam ex parte Episcopi, quàm Ducis ad hoc vocati, consuluerint faciendum. Acta sunt hæc Anno incarnationis Domini 1224. indictione 12. 12. Calendas Martij.

NOS LVDOVICVS Dei gratia, Comes Palatinus Rheni, Dux Bauariæ, vniuersorum notitiæ præsentibus declaramus, quòd cùm in solutione Castri in Roteneckhe non possemus Reuerendo in Christo Patri, & Domino nostro Henrico, Ratisbonen. Episcopo, satisfacere in pecunia numerata, videlicet in centum & quinquaginta libris denar. Ratisbonen. Officia nostra Ratisbonæ videlicet, iudicium pacis cameræ & sculteti eidem Domino Episcopo sub hoc discretionis moderamine obligauimus, quòd eadem officia Heinrico Vitrico & Carolo, fratribus de Ovve, Carolo Pragario, Heinrico Dulci, & Cunrado Gumperti cōmisimus vsq; ad festum Apostolorum, Philippi & Iacobi, proximè nunc venturum, suo nomine cōseruanda; ita quòd pro suprà dicta Summa centum & quinquaginta librarum ex tunc eadem absoluere debeamus: Quod si in crastino dictorum Apostolorum non faceremus, ipsa officia remanebunt illis personis, quibus per nos sunt superiùs recommissa per quatuor annos continuè secuturos, post illos quatuor annos, per quos dictis, Pragario Dulci & Cunrado Gumperti primitus fuerant recommissa. Et vt hæc rata permaneant atq; firma, ex parte hæredum nostrorum dilecti fideles nostri, Cunradus de Lupurch, VVernherus de Preitenecke, VVinhardus de Rorbach, VVichnandus de Eiringspurch, Diericus de VVildenstein, & Vlricus de Perig, Marschalcus Obstagiorum nomine, per ipsum Dominum Episcopum moniti, Ratisbonensem ciuitatem intrabunt, inde nulla tenus exituri, donec sibi de vniuersis & singulis defectibus, si quos eum ex hoc vel propter hoc sustinere contingeret, plenariè satisfiat. Et adiecto, quòd nos prædicta officia nulli infra eundem terminum committremus aliquatenus gubernanda, & si contingeret ipsum Dominum Episcopum nobis ex aliquibus causis seu defectibus aliqua defalcare, huiusmodi defalcatio non erit in pecunia, pro qua sunt subscripta officia obligata, sed in alia Summa est potiùs facienda, exceptione qualiber nō obstante. In cuius rei Testimonium præsentes literas dedimus, nostri sigilli robore communitas. Datum Ratisbonæ, Anno Domini M.CC.LXX. nono, 12. Calend. Septembris.

Copia priuilegiorum Ratisbonensibus ciuibus per Fridericum secundum Rom. Imp. contra Episcopum ibi ac Duces Bauariæ datorum, Anno 1230.

FRIDERICVS secundus, Romanorum Imperator. Cùm ad fidelium deuotionem benignè dirigimus aciem mentis nostræ, ac horum profectibus intendimus diligenter, augetur in eis deuotio fidei, & tam ipsos quàm alios ad seruiendum fideliùs, per liberalitatis exemplum, feruentius inuitamus. Inde est, quod notum fieri volumus vniuersis Imperij fidelibus, tam præsentibus quàm futuris, quòd nos attendentes puram fidem & deuotionem sinceram, quam ciues Ratisbonæ erga Imperium & nos semper habuerunt, considerantes quoq; fidelia & grata seruitia, quæ pro honore & exaltatione Imperij atq; nostra exhibuerunt diutius, & exhibere poterunt in posterum gratiora, volentes ciuitatem ipsam, propter ciuium merita, gratia & beneficiis nostræ celsitudinis ampliare, de immensa liberalitatis nostræ gratia concedimus eisdem ciuibus, hæredibus & Successoribus suis, in perpetuum omnia, quæ in Capitulis infrà scriptis apertiùs continentur, vt ipsis perpetuò vtantur pacificè & quietè.

IN primis, quicunq; ciuis Ratisbonen. de duello impetitur, si se poterit expurgare duo-

re duodecima manu honestarum personarum, de impetitione, qua impetitur, sit absolutus.

Item quicunq; ciuis impetitur, quòd de domo sua, vel in domum suam aliquis sit interfectus, vel quòd in ea seruauerit proscriptum, propter quod domus sua destrui deberet, si esset verum, & actor causam ipsam prosequitur conquerendo, sed paxeo tempore non esset in ciuitate iurata, sola se manu expurgabit: Si verò ciues pacem seruare iurauerunt, is, qui reus putatur, tertia manu se purgabit, inter quos sint duo, qui dicuntur denominati.

Item nullus inuadere debet domum alicuius ciuis, vel res in ea sibi vsurpate sine iudicio ciuitatis.

Similiter neq; Dux, neque alter potens Dominus debet domum alicuius ciuis, post mortem ipsius, vel eiusdem res infra ciuitatem, vel extra sibi vsurpare, sed bona ciuium, domus & reliqua, suis hæredibus relinquantur, & quicquid Domini, vel alij quiq; contra hæredes agere velint, illud ordine iudiciario prosequantur.

Item quicunq; ciuis Ratisbonen. conciuem suum extra ciuitatem detinuerit, vel res eius querimoniam contra illum mouendo, nisi prius conquestus fuerit ciuitati, & iustitia sibi denegata sit, emendabit delictum Episcopo, decem libris, Duci cum decem libris.

Item quicunq; residens in ciuitate impetitur, de seruili conditione, qua teneatur impetenti, si talis ptobabit, quòd decem annis permanserit à nullo impetitus, deinceps securus permanebit à tali impetitione.

Item quicunq; domos, vineas, areas, curias vel alias possessiones, infra terminos pacis ciuitatis Ratisbonen. sine impetitione possederit decem annis, & posteà super illis fuerit impetitus; si quietam possessionem septima manu probabit, in pace res ipsas posteà possidebit.

Item infra muros ciuitatis ipsius, in vicino & foris extra fossatum nullatenus ædificabit, nisi duodecim pedes distent, inter muros & ædificium, & totidem foris inter fossatum; Quod si aliter factum fuerit, præter licentiam ciuium, remouebitur ædificium, per iudicium ciuitatis.

Item Dux, quando solennem curiam habuerit, in ciuitate Ratisbonen. solito more indictum non exercebit iudicium, contra Ministeriales Ecclesiæ, neq; contra ciues, nisi tertio die, nec contra ciues procedet, nisi per sententiam suorum cóciuium & non aliorum.

Item maior Aduocatus, qui Tůmbuogt vulgariter appellatur, & potestatem habet iudicandi, ex parte Episcopi, & ex parte Ducis Burgkgrauius in nullum ciuem proscriptionis sententiam promulgabunt, nisi quando publicum habent placitum ex antiquo statuto, quod vtrique illorum habere debent tantummodo ter in anno

Item tribus in anno vicibus ciues, pro vt expediens fuerit, de voluntate Episcopi & Ducis, Monetam intrabunt cum Magistris ab Episcopo & Duce ad monetæ officium deputatis, & denarios examinabunt, & si qua in eisdem inuenta fuerit falsitas, pręfati Episcopus & Dux iudicabunt.

Item ciues potestatem habebunt eligendi Hausgrauium, qui disponat & ordinet extra ciuitatem, & non infra, ea tantùm, quæ respiciunt negotia nundinarum.

Item nullus ciuis, neq; bona illius detineri debent loco pignorum pro Episcopo, vel pro Duce, vel pro quacunq; alia persona, nisi tantùm pro suo conciue, hoc adiecto, quòd detentor ciuibus primò proposuerit causam suã, & iustitia sibi fuerit denegata.

Item quicunq; ciuis acquisierit bona, vel à Monasteriis, vel ab aliis quibuslibet personis, vineas, domos, vel alias possessiones, ad spacium vitæ vnius, vel plurium perso-

personarum, si contingat Dominum, cuius sunt bona vendere vel infeudare, vel obligare illa, nō minus habebit ille, qui acquisiuit bona, in eisdem bonis iuxta quod dictum est, ius, quod acquisiuit, ei, qui tunc bonis dominatur, censum soluturus.

Item quicunq; ciuis transfragium passus fuerit, & ob hanc causam à quocunq; spoliatus fuerit bonis suis; ipse spoliator propter causam delicti proscriptus Imperij habeatur.

Item quicunque emendo & vendendo ritum negotiationis exercuerit, ille reddat cum ciuibus collectas, exceptis Clericis, quos super talibus relinquimus Episcopo corrigendos.

Item petitioni ciuium assentimus, statuentes, vt singuli potentes de ciuitate sua, qui vasallos sibi faciunt ad turbandam pacem ciuitatis, qui Muntman vulgariter nominantur, ad munitionem ciuitatis dent decem libras, nihilominus à fidelitate præscita relinquentes huiusmodi absolutos: Qui autem ad hæc contumaces extiterint, sint proscripti.

Item statuimus, quòd ciues Ratisbonen. non cogantur venire ad aliquod iudicium, extra ciuitatem, cùm hoc sit de antiquo iure ipsorum, nisi habeant prædia in rure, quæ impetantur; pro illis enim bene tenentur respondere coram Comite, in cuius Comitia prædium est locatum.

Item statuimus; quòd vnicuiq; ciui Ratisbonen. liceat cereuisiam facere, quæ familiæ suæ sufficiat, tali pacto, quòd eam non vendat, sed ad necessitatem familiæ suæ tantummodo expendat, illorum contradictione, qui officium habent praxandi ceruisiam, non obstante.

Item statuimus, quòd telonium Imperij, quod solebat recipi, ex antiquo, extra ciuitatem, quæ Chalmüntz nominatur, nullius contradictione obstante, in eodem deinceps persoluatur.

Item quicunq; residens in ciuitate impetitus fuerit, quòd sit Vogtman alicuius, & ille ciuis existens, collectas det nobis, & Episcopo, tanquam alius ciuis, nulla postmodum Aduocato seruitia exhibebit per coactionem, sed tantummodo certum, & ab antiquo determinatum seruitium exoluet.

Item si homo, qui censualis dicitur, continuam fecerit in ciuitate residentiam, iura ciuitati conseruando in dandis collectis & aliis, quæ à ciuibus statuuntur, nulla postmodum exhibebit Domino seruitia, per coactionem; sed tātummodo persoluat censum, saluum tamen in his esse volumus ius Ecclesiarum. Acta sunt hæc, Anno Dominicæ incarnationis, M.CC.XXX. mense Septembris, 4. indictionis, imperāte Domino nostro Friderico, Dei gratia gloriosissimo Rom. Imperatore, semper Augusto, Hierusalem & Siciliæ Rege, anno Imperij eius 10. regni Hierusalem; 5. regni verò Siciliæ 32. fœliciter Amen. Datum in Castris prope Anagniam, anno mēse & indictione præscriptis.

EPISCOPORVM LAVREACENSIVM PATAVIENSIVMQVE CATALOGVS.

LAVRENTIVS I.

PATAVIENSIBVS Episcopis Laureacenses Archiepiscopi dederunt originem, à Laureaco Norici oppido Metropolitano sic dicti. Ciuitas ea dicitur ab Ænea Syluio laureata, à laureatis fortè literis, quæ Imperatoribus illîc olim cum exercitu constitutis victoriæ cuiusdam nunciæ fortassis aduenerunt. Fuit Vrbs admodum insignis in ampla camporum planicie, & super flumen, quod Anasum vocant: sed postquàm Atila Vrbem deleuit, vbi Arx erat, oppidum ex nomine fluuij se in Danubium exonerantis, restructum est; Sedes verò Metropolitica Patauium primò, deinde Salisburgam translata. Annales autem Patauienses ciuitatem putant appellatam à beato Laurentio, Christianismi illîc primo Doctore, prædicatoreque. Beatus siquidem Laurentius, vir literis & pietate clarus, eo ipso ferè tempore, quo S. Marcus Euangelista à beato Petro, Apostolorum Principe, ad amplissimam Histriæ ciuitatem Aquilegiam in Christianismo informandam missus erat, cum aliis quibusdam piis fratribus in Noricum venit, & populo ad Danubium & Anasum degenti Christum pro peccatis passum, suaq; virtute resuscitatum, primus annunciauit. Is Laurentius (quicunq; tandem fuerit) Laureacensis huius Vrbis & Ecclesiæ primus habetur Apostolus, cuius honori ac nomini primaria, eademq; Parochialis eius loci Ecclesia (quæ nostro seculo extra Anasianum oppidum est) dedicata, ad hæc nostra vsq; tempora primi sui Christiani Doctoris & Antistitis nomen retinuit. Quamdiu verò Episcopus iste ad Ecclesiæ huius clauum sederit, quouè anno ex mortali vita hac emigrârit, aut quis illi successerit, ignotum planè, & in fastos relatum non est, quemadmodum de aliquot aliis etiam eiusdem loci Præsulibus, præter sola nomina nihil certi scriptum vel annotatum reperitur. Vt autem omnium rerum mundanarum exigua sunt initia; ita hanc quoq; Ecclesiam humilem initio, & eiusdem Pastores re ac fortuna tenui contentos fuisse credibile est: Paulò verò post hæc initia, cùm Episcopi literis & virtuti dediti, officium suum pastorale fideliter facerent, populoq; doctrina pariter & exemplis vitæ fœliciter præessent, excitati sunt diuinitus ipsius etiam doctrinæ vi & scripturarum testimoniis summi pariter atq; infimi quiq;, qui symbola sua certatim ad alendos pios Ecclesiarum Ministros contulerunt, liberalitateq; & munificentia sua velut Ecclesiæ Nutricij, Pastores suos, cùm studiosè adiuuârunt, tùm vt in suâ functione sic perstarent, diligenter incitârunt: Hi cùm sumptuosi quoq; non essent, multò verò minus molles aut voluptarij, sed honestam parsimoniam temperâtemq; frugalitatem turpi luxui vitæque Sybariticæ longè anteferrent, facilè hac ratione fieri potuit, vt mediante salutaris Dei benedictione diligentique rerum œconomicarum cura, ex pauperibus opulenti tandem & ex humilima sorte splendidi euaderent. Dignum siquidem erat, iustumq;, vt quorum studio accedebat aliquid quotidie spiritualium bonorum ad sapientiam cœlestem aspirantibus auditoribus, ad eosdem grata remuneratione, aliquid temporalium etiam fortunarum rediret ab his, qui agnoscerent habere se fideles atq; bene meritos Doctores, quos habere equidem (vel Apostolo teste) conuenit; vnde & ipsi commodè viuere, & ad Apostolicum munus fideliter exequendum, accendi & excitari possint.

PatavIAE extat vetustus liber in membranis scriptus, continens annales Patauien. deductos vsq; ad Annum Domini 1255. vnà quoq; Catalogum succinctũ Laureacen. ac Patauič. Archiepiscoporum & Episcoporum, cum copiis diplomatum, tam summorum Pontificum quàm Rom. Imperatorum, quem mihi Reuerendissimus Dominus Vrbanus, Episcopus Patauien. legendum communicauit. In hoc opere, per me sçpissimè citato (illi enim propter antiquitatem, meo iudicio non modica fides habenda) huius Laurentij, neq; in annalibus, neq; in Catalogo fit mentio, sicut neq; sequentis Floriani.

D. FLORIANVS, Eques Pannonius & Noricorum militiæ Præfectus, qui in Zeiselmuro habitâsse scribitur, vnus ex primis Norici & Pannoniarũ Apostolis, Laureacensi Ecclesiæ concionatus est; sed quibus & quot annis certò sciri non potest; Martyrio coronatus legitur Anno 230. sub Aquilone Diocletiani Præfecto ac militum Tribuno (quem aliàs Aquilam vocat Cuspinianus in Austria sua, quem vide) in Anasum fluuium præcipitatus. In huius honorem peruetustum delubrum conditum est; Ex quo postcà, successu temporum, celebre Monasteriũ natum, quod Benedictinorum aliquamdiu domicilium, Annum Christi circa 1050. ab Engelberto Episcopo Patauiensi repurgatum, & Canonicis S. Augustini traditum; tandemq; post aliquot annos, ab Altmanno Episcopo secundariò reformatum, paulòq; pòst ab Austriæ Principibus locupletatum, & à Baronibus à Volckenstorf auctum & illustratum esse legitur, S. Floriani dictum. 2.

IERARDVS præfuit Ecclesiæ Laureacensi Anno Domini 250. Hunc annales nõ habent, sed Catalogus his verbis: His temporibus S. Ierardus Laureacen. Archiepiscopus creditur præfuisse, &c. Philippus vtriusq; Pannoniæ Dominus, qui primus inter Imperatores Romanos doctrina Magni Origenis institutus, ex Ethnico Christianus factus est, & pauperem hactenus Laureacensem Ecclesiam honoribus ac diuitiis exaltauit; Qui vnà cum filio Philippo duobus annis pòst Decij militis sui dolo & instinctu apud Veronam Alpestrem Hystriæ Vrbem trucidatus est. Aliud de hoc Ierardo nihil legitur, nisi quòd eo tempore miserabilis facies Ecclesiæ huius prouinciæ fuerit, Ostrogothis Duce Echina circumquaq; Romanorum prouincias ad Danubium ferro & igne vastantibus. 3.

EVTHARIVS, aliàs Eleutherius, & alibi Leutherius, Metropolitanæ Laureacensium Ecclesiæ præsedit Anno Christi 268. secundùm annales & Catalogum. Interfuit Sardicensi Concilio, quod celebratum est, sub Iulio I. Pontifice Maximo, nõ sub Stephano, vt quidam per errorem tradunt, & hoc circa Annum 345. vt ex historia Ecclesiastica & libris Conciliorum apparet; qui numerus non quadrat cum superiori numero annalium Patauiensium Anni 268. cogitandum relinquo. In illo Concilio sese Eurharium subscripsit idem ille Eutharius. In Fabiana (quæ hodie Vienna Austriæ Metropolis est) Christianam doctrinam propagauit circiter Añum Christi 250. vbi posteà à D. Seuerini temporibus Metropolitana etiam Ecclesia floruisse, & inde tandem Laureacum translata, aut Laureacensi vnita vel subiecta esse legitur. Aliud, quod sciam, de hoc Eutherio nihil extat. 4.

SANCTVS QVIRINVS, Philippi Imperatoris primi illius ad Christianismũ conuersi, & per Baptismum à Fabiano Pontifice Maximo regenerati filius, vir sanguinis nobilitate & virtutum dignitate conspicuus, insigni sapientiæ doctrinæq; cœlestis cognitione minimè vulgari præditus, ab ipso parente suo Laureacensi Ecclesię commendatus; tandemq;, eo à Decio Tyranno è viuis sublato, vnanimi totius populi suffragio eidem præfectus esse legitur: Cuius Ecclesiæ nõ solùm Philippus, Pater liberalissimus, dum viueret, extitit benefactor, sed & filius Quirinus, qui post crudele parentis fatum, omne suum patrimonium (cuius termini latissimè ꝑ Pan- 5.

nonias & Mœsias patebant) huic Ecclesiæ suæ deuotè & munificentissimè delegâsse scribitur. Docuit verò S. Quirinus etiam in Aquilegia aliquandiu, cuius amplissimæ Ecclesiæ eum primum Patriarcham fuisse aliqui scribunt, etsi in eius loci Patriarcharum Catalogo non reperiatur. Cùm autem in inferiori etiam Pannonia Christum intrepidè & magnanimiter profiteretur, ac Ethnicas Idolomanias acerrimè impugnaret, à Maximo quodã impio Tribuno militum, apud Sisoram (quod municipium in Saui fluminis ripa è regione Ostiorum Colapis fluuij situm est) captus, Sabariam ad Pannoniç Præsidem missus est. Ab hoc Vindobonam, hodie Viennam, relegatus, in tristi custodia inclementissimè tractatus est; tandemq; Sacarbanciam Sabariæ vicinam reductus, cùm diis gentilitiis ethnico more sacrificare nollet, in proximum riuum antiquitus Sabariam, hodie Gunsium dictum, præcipitatus est, imperante his terris Galerio Cæsare, totius Illyrij Domino; corpus ipsius à pia plebecula quæsitum, subiatumq; Romam honoris causa delatũ est: Hinc anno à Martyrio S. Quirini quadringentesimo, tempore Pipini Regis, in Bauariam ad Tegorinum Monasterium translatum est, vt patet ex eius loci annalibus, & præsertim ex libro Metelli Poëtæ ac Monachi ibidẽ, qui Anno Christi 1160. floruit, ac Lyrico carmine, rotam huius Sancti vitã elegantissimè descripsit, atq; Quirinalia intitulauit.

Iohan. Cuspinia. in Austria.

LEGITVR in vita S. Seuerini S. Quirinum habuisse Socios 40. qui sacras literas studiosè discebant, & alios docebãt. Hi Laureaci fame enecati sunt omnes, in eo loco, quem hodie minorum Cœnobio insertum Romanorum carcerem appellant.

QVIRINI Episcopi, quòd Anno 308. passus sit, meminêre annales Patauien. sed de eo, quòd Archiepiscopus Laureacen. fuerit, nihil, sicut neq; Catalogus. In præd. annalibus ad marginem eadem manu, iuxta Annum 312. ascriptum reperio, propter persecutiones huius temporis, & clades Ecclesiarum Archiepiscoporum & Episcoporum per Laureacen. prouinciam, Catalogus non habetur vsq; ad tempora Erckenfridi, Episcopi Patauien. quoniam, quasi omnes sunt Martyrio coronati, præter illos tãtummodo, qui suis reliquiis, pecuniis, libris, & priuilegiis raptis Neapolim secesserunt.

6\. B. MAXIMILIANVS, vir morum & vitæ integritate magnus, constantia verò & intrepida Christianæ professionis assertione maximus, ex Celeya Pannoniæ ciuitate, tùm temporis celeberrima, Nobilibus admodum & locupletibus parentibus natus, & à pueris in Christianis literis à Presbytero quodam, singularis innocentiæ & sanctitatis viro, Oranio, institutus, præficitur Ecclesiæ Laureacensi Anno 268. hac occasione: Fugerat ipse cum aliis Decianam persecutionem, cumq; Romam venisset, & beato Xisto huius nominis secundo innotuisset, persuasus ab eo est, vt in Pannoniam rediret, & Ecclesias metu Tyrannidis turbatas & dispersas colligeret, vtq; rem maióri animo faceret, cõsignauit, confirmauitq; eum abiturum, Xistus Pontifex, addita Apostolica benedictione, & data ei plenaria potestate verbum diuinum annunciandi & Ecclesias instaurandi. Maximilianus suscepit negocium, & in Pannoniam rediit, ac Laureaco in primis (quæ ciuitas erat munitior, ideoque exulantibus Christianis tutiorem præbebat receptum) concionatus est, ibique ab omnibus magno cum desiderio receptus, & Laureacen. Ecclesiæ Episcopus constitutus. Cùm autem sua functioni fidelissimè præfuisset annis penè 20. reuersus est in patriam suam Celeyam, vt illam à superstitionibus & Idolatrico cultu, quo fœdata erat, repurgaret, idque factum est Anno Christi 288. Miserat eo tempore Numetianus Imperator Præfectum Eiulasium in Pannoniam, vt crebris irruptionibus Hunnorum & Barbarorum resisteret. Ille igitur Celeyam ingressus, conuocatis præconis voce, omnium ordinum eius ciuitatis hominibus, Marti sacrificare iussit. Ibi cùm quidam ex Christianis metu mortis sese gentilitiis adiunxissent, vnaque

contra

contra conſcientiam ſacra facerent; S. Maximilianus indignitate rei commotus, Deum optimum Max. precatus eſt, vt ſua miſericordia & bonitate etiam erga hunc populum vti vellet; cùmq; ei diuinitus reſponſum fuiſſet, vt abiecto omni timore Tyranni huius audaciam verbis comprimeret, ſignans ſe ſignaculo ſanctæ crucis, in medium agmen ſacrificantium proſilit, Imperatoreum Præfectum magnanimiter increpando, cur tot animas perderet: Cùmq; multis verbis vltrò citroq; habitis, mandato Præfecti iuberetur eidem Marti ſacrificare, nec, vt id faceret, perduci poſſet, ſtatim extra mœnia Vrbis, iuſſu Tyranni, gladio percuſſus eſt, quarto Iduum Octobris, Anno Domini 289. imperante Diocletiano & B. Gaio Romano Pontifice, ſepultus eſt à Chriſtianis, extra Vrbem, vbi miraculis claruiſſe legitur. Translatum eſt ipſius corpus poſteà Laureacum à Diuo Rudperto, Bauarorũ Apoſtolo, qui plurimas Eccleſias ipſius nomini & honori dedicauit.

Reliqvias eius tandem tranſtulit Patauiam Heinricus 2. Imperator, vbi ad hunc noſtro tempore poſt aram, quæ extra Chorum ſummæ Baſilicę in eiuſdem medio ferè conſpicitur, honorificè aſſeruantur. Extat vita eius eleganter deſcripta in Bibliotheca Formpacenſi.

Post Maximilianum Martyrem (cuius Catalogus meminit, ſed annales non) qui Eccleſiæ Laureacenſis Rectores fuerint, planè ignoratur; nimirum propter grauiſſimas Romanorum Imperatorum, & horum Præſidum in Chriſtianos perſecutiones, & maximos bellorum motus, per vniuerſam Europam; quod etiam ſuprà annotatum eſt.

Anno 453. & adhuc 477. floruit S. Seuerinus Monachus, & vnus ex Norici Apoſtolis, primùm apud Boiodurum, quæ nunc Oenana eſt ciuitas, vbi hodie adhuc fanum S. Seuerini ad Oeni & Boiorecę confluxum conſpicitur; poſteà apud Fabianam ſub monte Cœcio, vulgò Kalenberg, vbi hodie adhuc in incomparabili Paradiſo celebria & ſancti viri nomen referentia loca Seueringum & ſancta ciuitas extant. Et legitur Odoacer Rugorum & Herulorum Rex à Theodorico Veronenſi poſteà victus, dum magna crudelitate Noricum vaſtaret, in Fabianis ad hunc ipſum Seuerinum veniſſe, & ab eodem reprehenſus eſſe Anno 477. Obiit S. Seuerinus in Norico Anno 494. ſub Gelaſio Romano Pontifice. De hoc S. Viro, qui plura ſcire cupit, legat librum ſecundum annalium Bauariæ Ioannis Auent. fol. 241. cum ſequentibus, vbi fol. 245. meminit Pontificis Patauienſis, qui occupata vrbe ab Hunimundo Alemannorum Rege in Templo ſuprà labrum luſtricum, ad quod confugerat, interfectus ſit, nomen Pontificis non ponit. Idem quoq; fol. 446. ponit S. Seuerinum Anno 481. obiiſſe.

CONSTANTIVS ex eiuſdem S. Seuerini cella, quæ ſub Cœcio monte, non 7.
procul à dextra Danubij ripa, à S. Seuerino condita erat, euocatus à Pont. Max. Celeſtino Epiſcopatui Laureacẽſi præficitur: Quem gubernauit Anno Chriſti 427. imperante Theodoſio iuniore, ſed quamdiu, nihil de eo ſcitur, propter ſuprà dictas cauſas. Author vitæ S. Seuerini ſcribit, ſub eius gubernatione fuiſſe Laureacum ab hoſtibus oppugnatum, ſed à S. Seuerino incolas & Epiſcopum præmonitos fuſis ad Deum precibus omne periculum euaſiſſe. Legitur in annalibus Patauien. cuius Catalogus non meminit, deceſſiſſe eum Anno Chriſti 487. & eodem anno ei ſucceſſiſſe Theodorum.

Circa hæc tempora, Patauienſi etiam vrbi aliquamdiu concionatus eſt Lucillus quidam, vir pius & in doctrina Chriſti eruditus, qui S. Seuerini diſcipulus fuit, & ab eodem ex Fabianenſe cella vnà cum Maximo quodam (qui Salisburgi docuit) ad Boiariæ populos ab impiis Arrianorum furoribus in viam veritatis reducendos miſſus, circa Annum Domini 460. tandem Fabianenſis deſignatus Epiſcopus

post Martianum, Comes eius S. Maximus, cum aliis Symmystis 55. Salisburgi ab Herulis & Ostrogothis infidelibus, sub Duce eorum Vidomario, è summi montis cavernis (quæ hodie adhuc Salisburgi apud S. Petrum ostenduntur) præcipitatus, ac patibulo tandem appensus, funisq; Martyrio coronatus est Anno 476. Legimus verò circa hæc ipsa tempora, Anno nimirum 484. Hunerichum, Vandalorum Regem, & Arrianæ Sectæ propugnatorem maximum, plures quàm 330. Episcopos In exiliũ pepulisse; quorum multi posteà Arrianismum publicè professi sunt.

8. THEODORVS, Archiepiscopus & Arrianæ Sectæ strenuus oppugnator, præfuit temporibus Theodorici Veronen. qui à Zenone Imperatore, vt Italiam aduersùs Odoacrem defenderet, Romam vocatus. Iste Theodorus, primus inter Pont. Laureacenses Pallium à Symmacho Pontifice Romano adeptus est; à quo etiam ad eundem Theodorum hac ipsa de re scripta extat Epistola, cuius hoc est exemplum. Symmachus, S Apostolicæ Sedis Dei gratia Episcopus, Reuerendissimo & Sanctissimo fratri Theodoro, S. Laureacensis Ecclesiæ Archiepiscopo, diebus vitæ tuæ, pallij vsum, quem ad Sacerdotalis officij decorem & ad ostendendam vnanimitatem, quam cum B. Petro Apostolo vniuersus grex Dominicarum ouiũ, quæ ei commissæ sunt, habere non dubium est, ab Apostolica sede, sicut decuit, poposcisti, quod vtpote ab eisdem Apostolis fundatæ Ecclesiæ, Maiorum more libenter indulsimus, ad ostẽdendum te Magistrum & Archiepiscopum, tuamq; sanctam Laureacensem Ecclesiam prouinciæ Pannoniarum sedem fore Metropolitanam. Idcirco Palliũ, quod ex Apostolica charitate tibi destinauimus, quo vti debeas secundùm morem Ecclesiæ tuæ solerter, admonemus, pariterq; volumus, vt intelligas, Quia ipse vestitus (quo ad Missarum solennia ornaris) signum prætendit crucis, per quod scito te & fratribus debere compati, ac mundialibus illecebris in affectũ crucifigi; vnde rogo, vt cùm deforis huiusmodi insigni indueris; intus in animo considera, quòd hoc sit magis oneris quàm honoris, atq; cor tuum, Deo regente, ab appetitu istius sæculi sic tempera, vt & commissam exequi gubernationem sic studeas, vt adeptæ dignitati (cuius sublimaris officio) & probitate morum & viuacitate solicitudinis, ac custodia integerrimæ fidei congruas; quatenus tuipse à remuneratore omnium bonorum Deo & benedictionis gratiam vitamque æternam consequi merearis. Liber annalium Patauien. non habet annum. Ac Theodorus secundùm prædictos annales obiit Anno Christi 524. quod etiam in veteri Vormbacensi libro scriptum reperitur: Huic qui successerit, iterum ignoratur, fierique potest, vt grassante in Norico Theodone, aut nulla, aut perexigua fuerit Ecclesia Laureaci. Eam namque Vrbem Romanorum præsidiis firmatã, ac diu idcirco rebellem vi expugnãsse dicitur Theodo. Atque hoc tempore bellorum scilicet, Theodonis Ducis Bauarorum, primùm fit mentio aliquot Episcoporum Patauiensium; inde conijcere licet Episcopalem sedem fortè ex Laureaco Pataiuam translatam fuisse, vel aliquem Episcopum Laureaci; alium verò Pataiuij diuersarum partium sedisse. Qua quidem de re iudicium sit penes Lectorem.

IOHANN. Auent. lib. 3. annalium ponit, tempore Theodonis tertij, Ducis Boiorum ac S. Ruperti, Gerardum Laureacensi Templo præfuisse, Boiorum Max. Pont. & Archiepiscopum nuncupatum, fol. 266.

9. ERCHENFRIDVS Laureaci primùm in Chorepiscopum & Decanum electus, Anno 570. posteà Patauiensis Ecclesiæ & ciuitatis Episcopus constituitur Anno Domini 598. à Theodone tertio, Duce Bauariæ, quem S. Rupertus, ab ipso Ratisbonã inuitatus, cum filio Theodoberto ac tota familia baptizauit & ad Christũ cõuertit. Hic Theodo munificus admodũ fuit in Christi Ministros; Erchẽfrido enim Patauiã, B. Rudperto Salisburgũ renouãdas, in Christianismo reformãdas, & tanquã pro-

proprietatem perpetuò possidendam tradidit. Præfuit Erchenfridus magna cum vtilitate Ecclesię annis 26. & fœliciter post superiorum temporum vastationes muros ciuitatis & muros incolarum instaurauit. Obiit Anno Christi 623. aliàs 624.

OTHOCARVS Roma mittitur ab Honorio Pontifice ad administrationem Episcopatus Pataunensis, Anno 624. sed quàm diu præfuerit incertum est, diu nòn pręfuit: legimus enim Brunoni, de quo statim, eundem Episcopatum ab eodem Honorio commendatum esse. 10.

PHILO Romanus Laureacensi Ecclesiæ continuis bellis ad extremum vsq; attenuatę præsidere cœpit, Anno 615. Præfuit annis 45. in magna paupertate, sicut eius Antecessores tenui re & fortuna humilima contenti; nimirum victu & amictu, ab omni luxu & aulico apparatu alieno, vt viros Ecclesiasticos & rerum mundanarum contemptores decet. Obiit Archiepiscopus Philo Anno 659. Ante ipsum & sub ipso sedit Patauiæ Episcopus Erkanfridus, q obiit Año 624. cui succedit Othocarius in Episcopũ Patauien. secundùm annales ibi, & sic eodem tempore alius fuit Archiepiscopus Laureacen. alius Episcopus Patauien. quod notandum pro declaratione sequentium: Aliud enim de eo in fastos relatum nihil est. Non fuerunt enim isto seculo barbaro & militati homines literati, quorum studio & labore res gestæ ad posteritatem scriberentur. 11.

BRVNO ab Honorio primo, Pont. Romano, Episcopus Patauiensis designatus Anno 638. Præfuit diutissimè & fœlicissimè, annis nimirum 60, quibus Episcopatum magnis opibus & facultatibus auxit. ei maximè fauit & subsidio fuit Plectrudis, Germanicè Pluetrud, Magnifica Francorum Regina, Pipini grossi repudiara cõiunx, Grimoaldi Bauariæ & Campaniæ Regis filia, quæ Patauij summam S. Stephani Prothomartyris Basilicam sua munificentia erexit & liberalissimè dotauit, vt inscriptiones & eiusdem Templi monimenta ipsa vetustate penè illegibilia testantur. 12.

Haec gloriosa domina Plutrudis Bosonem, Campaniæ Ducem, & Grimoaldum Galliarum Regulum, Magnificos Principes genuit, quæ Coloniæ in Capitulo Basilica insigni, pro sacratis virginibus, in honorem beatæ Mariæ virginis à se condita sub insigni marmore cubat; cui hi versiculi incisi sunt, Legali thalamo Plectrudis inuicta Pipino Bosonem genuit magnum Ducem Grimoaldum.

Cvm Anno 660. Archiepiscopatus Laureacensis vacaret, Philone mortuo, eidem Brunoà Pontifice Vitalliano Præfectus esse legitur; ab eo tempore vtriq; Episcopatui iam vnito annis adhuc 38. præfuit. Obiit Anno 698. nonagenarius secundùm annales.

THEODORVS, huius nominis secundus, fit Archiepiscopus Laureacensis & Episcopus Patauiensis, Anno 699. Præfuit vtriq; sedi 23. annis, quibus & doctrinæ purioris studium penè interciderat, & omnis disciplina apud Clerum collapsa erat, Episcopo magis cumulandis opibus, quàm Christi ouibus pascendis operam dante. Obiit Anno 722. secundùm Caralogum, at secundùm Annales 721. sub Theodorico, Dagoberti Galliarum Regis filio. 13.

VIVILO à scriptoribus torta & deprauata voce iam Vnilo iam VVilo, sed in Conciliorum libris Phiphilo, à quibusdam Cronographis Veiuolus variè nuncupatus, Laureacensi Ecclesiæ præficitur Anno 722. Rexit piè & fideliter annis 23. honoratur Pallio Magisterij, Christiani ornamento summo, à Gregorio secũdo, Pont Max. Anno Christi 730. à quo Romæ in Archiepiscopum etiam consecratur; scribunt ei Pallium iterum ademptum fuisse à Zacharia Pont. quòd honorantias (vt vocant) pro Pallio Romam mittere nollet; sedit Viuilo primùm Laureaci, sed 14.

cùm Anno 735. mortuo Hugoberto, Boiorum Duce, Hunni & Auares regionem omnem supra & infra Anasum flumen sitam, ferro & igne depopularent, & Laureacum etiam funditus excidissent, iussus est ab Vtilone, Hugoberti filio, cum suis Simmystis, Sacerdotibus videlicet & Monachis, sanctisque Virginibus Patauiam, in locum tutiorem & egregiè iam tum florentem, commigrare; sic Patauia Vrbs Laureacensium Arciepiscoporum lecta & confirmata est Sedes & Domicilium, ipsi appellati sunt Pontifices Patauien. & Archimystę Laureacenses, vt legitur in Arnulphi & Ottonis Imperatorum diplomatibus; ita quidem Bruschius de Laureaco veteri, at ego in diplomatibus Arnolphi Imperatoris non reperio aliter nominatos, quàm Patauien. Præsules seu Antistites: Otto secundus diuersimodè, aliquando Laureacen. aliquando Patauien. Præsulem seu Pontificem vocat, infrà sub Piligrino, &c. fuerat Vrbs Patauia ea tempestate Ducum Bauariæ, sed ab Vtilone Duce ac Tassilone filio Episcopis cum omnibus iuribus ac pertinentiis dono data; posteà per Arnulphum Imperatorem cōfirmata, iuxta illius diploma, quod ibi extat, cuius Datum Anno 899. secundo Regni Arnulphi, Imperij autem tertio. Actum Reganespurch. Agapitus 2. Anno 947. S. Pontifex factus in sua Epistola ad Gerhardum Archiepiscopum Laureacen. scribit, quòd cum Hunnorum barbarica feritate non solùm Laureacen. ciuitas, verùm etiam in circuitum adiacentes regiones depopulatæ ac funditus dispoliatæ fuissent, hinc contigisse, vt Episcopi hac necessitate compulsi, sede illa deserta atq; aliò translata, simul etiam Archiepiscopalem ipsius sedis desererent honorem: Modernis autem, nec multò retrolapsis temporibus vacante ab Apostolico Vicario Bauariorū regno, Arno primus sanctæ Saltzburgensis Ecclesiæ subrogatur Archiepiscopus, &c.

Eodem tempore S. Bonifacius primus Archiepiscopus Moguntinensis, primariusque Germaniæ Apostolus, à Gregorio secundo Pont. Max. in Laureacensium prouinciam missus est, ad reformandos dissolutos mores Cleri. Is igitur vniuersam prouinciam in quatuor Parochias siue Diœceses, consentientibus etiam Pipino & Carolomanno, Francorum & Boioariorum Regibus, & Vtilone Boiorum Duce, distinxit, præfecitq; Salisburgensi Iohannem, Frisingensi Erimbertum, S. Corbiniani fratrem Germanum, & Ratisbonensi, quæ Caput tunc Boiorum erat, Geobaldum; extatq; hodie adhuc Gregorij tertij Pont. Max. insignis Epistola huic Viuiloni, cæterisq; Bauarię Sacerdotibus de reformando Ecclesiæ Bauaricæ statu, missa, in secundo Tomo Conciliorum, qui vult ibi videat. Nam verba illius Epistolæ, præsertim circa finem, quòd Sacerdotes castè viuere, aut vxores ducere debeant, &c. non satis fideliter per aliquos referuntur, cùm talia ibi non reperiantur.

Svb hoc Viuilone plurima circumquaq; Monasteria in Bauaria cōstructa sunt: In primis verò superius & inferius Altachium ad Danubium, Metaniense paulum à Danubio suprà Deckendorf, Lunulacense ad Lunecēsem locum, vulgò Mansee, ac Austrauiense ad Danubium. Extat huius Viuilonis memoria in decretalibus Gregorij & Zachariæ, necnon in prædicto diplomate Arnulphi Imperatoris. Obiit Viuilo, Antistes ille venerabilis, Anno Christi 745. 10. Cal. Martij.

15. SIDONIVS vtriq; loco, Laureacensi & Patauiensi, Præfectus Viuiloni successit Anno Domini 745. sedit ad clauum Ecclesiæ decem vel vndecim annis, vir magna doctrina prędìtus, & Philosophus insignis, obiit Año 755. vel 56. secundùm annales Patauien. Extat de hoc Sidonio Epistola Zachariæ Pont. Max ad S. Bonifacium scripta, de non rebaptizandis Neophytis, qui incongruis verbis per indoctos Sacerdotes baptizati fuissent, in Tomo secundo Conciliorum. Meminit Iohan. Auentinus, libro 3. Annalium circa finem, Sub hoc Sidonio Archiepiscopo Laureacensi Año 748. Tassilo, Vtilonis Bauarorum Reguli filius, pulso Griphone Carolomanni ac Pipini

ac Pipini fratre Bauariæ Ducatum potenter tenuit, & post obitum patris rerum patriæ potitus est solus.

ANTHELMVS, aliàs Anshelmus, item Aurelinus & Antelinus secundùm Annales, Sidonio Archiepiscopo substituitur, sedit ad gubernaculum annis nouem. Obiit 5. Iduum Martij, Anno 765. sub Papa Paulo primo, imperante Constantino Copronymo, Leonis tertij filio. 16.

VVISERICVS, secundùm Annales Viscarius appellatus, Antelino successit, & Archiepiscopus Laureacensis & Episcopus Patauien. factus est, Anno 765. præfuit sapienter annis nouem. Discessit ex hac vita pridie Calendarum Maij, Anno Christi, secundùm Annales 774. aliàs 775. Sub Adriano Pont. Interfuit Synodo prouinciali Dingolfingij (quod inferioris Bauariæ oppidum est in ripa Isaræ) celebratæ, cui multi Episcopi & Abbates Bauariæ etiam interfuêre. In illo Concilio Boiorum leges veteres correctæ & emendatæ sunt, sicut iam in Bibliothecis habentur, multaque cùm ad pietatem tum ad honestatem publicam vtilissima præcepta constituta sunt, quæ videre est apud Auent. lib. 3. Annalium. 17.

Hvivs VViserici ætate Tassilo ambitiosus ac regnandi cupidissimus, Boiorum Dux, Carinthiam armis sibi subiicit, cuius filius Theodo ab Hadriano Papa baptizatur Romæ. Circa eadem tempora Carolus Magnus, cõtra Longobardorum Regem, Desiderium in Italia grassantem fœliciter dimicat, & Romæ triumphans, Ecclesiæ non pacem tantùm restituit, sed eandem Spoletano & Beneuentano Ducatibus etiam munificentissimè donat: Vnde Patricij Romanorum titulo honoratus est, Anno Domini secundùm Annales Patauien. 773.

VVALDERICVS Archiepiscopus Laureacensis, & Episcopus Patauiensis declaratur, Anno Dñi 775. Rexit Ecclesiam secũdùm Annales Patauien. annis 31. Sub eius gubernatione magnarũ rerum in Bauaria incidit mutatio: Tassilone enim ad plurium terrarum possessiones, ac imperium indies insatiabiliter aspirante, potentissimoq; Franckorũ Regi, Carolo Magno in Soceri sui Desiderij, Longobardorum Regis, paterno regno eiecti, iam & capti gratiã, aliquoties rebellãte; Auaresq; tandem ac Hunnos in Norico sibi vicinos, aduersùs Carolum Magnum excitãte, & arma peregrina in Pannonos inducente, factũ est, vt amissa Bauaria, Tassilo vnà cũ filio Theodone, tãquàm fœdifragus ac perduellionis reus, Caroli Victoris sententia & iussu Monasticum habitũ sumere coactus, Laurishamensi ad Rhenum sito, aliis Laureacensi Monasterio à se priùs fundato intruderetur: vnde Bauaria Pipino, Caroli Magni filio cessit, qui paulò antea Italiæ quoq; Rex designatus fuerat. 18.

Habvit VValdericus Antistes iste admodum clemẽtem Carolum Magnum, strenuum illum ex deuictis Auaribus (qui in Bauariam à Tassilone inuitati irruperant) fœlicissimumq; Victorem, sed & Ecclesiæ suæ Patauiensis munificum benefactorem; ab eo siquidem tũc temporis Rege Francorum ac Longobardorum, & Patritio Romanorum, fit cõfirmatio traditionis Chirchpach, cum Templo ibi sanctæ Mariæ Dei genitricis, & S. Michaëlis in pago Rotãgou, quam fecit Nobilis Matrona Iriminsvvint VValderico Episcopo Patauiẽsi. Extat ibi diploma, cuius subscriptio: Signũ Caroli gloriosissimi Regis. Ertkanbald, ad vicem Radoni, &c. ibi VValdericus Episcopus vrbis Patauien. tantùm vocatur, nõ Archiepiscopus Laureacen. Ac paulò pòst Carolus Magnus Pannoniarũ ab Anaso ad Rhabam vsq; Victor, Laureacensi Ecclesię loca plurima, in Auarorũ prouincia potenter à se deuicta, assignauit; In primis locum Leytha dictũ, & inter ra Hunnorum Zeizzinmurum, Treismaur, VVachouuam, Pelegũ, Nardinũ, Rheode, Asbache, VVolfesvvanc, Erlaffam, & similia quædam vicina eidem Ecclesię munifica manu dedit. De qua re extat diploma Ludouici Pij Imparatoris, filij Caroli Magni, de quo infrà apud Reinharium Episcopũ.

LEGITVR VValdericus hic consecrasse Monasterinm, Mense Anno 776. & anno sequenti Monasterium S. Agapiti Krembsmünster in Austria, quod Thassilo III. Dux Bauariæ, anno 30. sui regiminis, iuxta fluuiũ Chremissa construxerat, & in honorem S. Saluatoris dedicauerat; quam donationem & dotationem Carolus Imperator posteà eidem VValderico Episcopo cõfirmauit. Extat diploma, cuius subscriptio: Signũ domini Caroli inuictiss. Imper. Erchanbald Not. ad vicem Radonis Archicapel. recognoui. Datum in Mense Martio, Ind. 4. Anuo incarnationis Domini 802. anno 11. regni nostri puto esse 40. Actum Aquisgrane palatio fœliciter in Dei nomine Amen. Ibi etiam VValdericus sanctæ Patauieñ. Ecclesiæ Præsul tãtùm nominatur, vt habent copiæ horum diplomatum descriptę in suprà citato veteri libro Annalium Patauieñ. Quòd si annus Christi in Autographo ita expressus est, de quo dubito, labitur Ioan. Auẽt. lib. 4. Annalium, fol. 461. dum dicit Carolum Crassum, qui Pronepos Caroli Magni fuit, primùm annos Christi omnibus Epistolis, libellis, diplomatibus addidisse, posthac vsque ad nos ita obseruatum esse. Quod etiam paulò pòst in diplomatibus Ludouici Pij Imperatoris, & eius filij, Ludouici Regis, &c. notabitur.

OBIIT VValdericus Archiepiscopus plenus dierum, de anno non concordant Chronographi; alij enim ponunt 776. alij 807. Auentin. Annum 797. seu 798. Annales Patauienses habent Annum 804. viuente autem adhuc VValderico, seu runc senedecrepito, ac per hoc quasi vacante regno Boiariorum ab Apostolico Vicario, (ista sunt verba Agapiti secundi, Summi Pontificis, cuius diploma ibidem extat) Leo tertius, Summus Pontifex, ad quem Arno Salisburgeñ. Episcopus à Carolo Magno, cui admodum charus erat, aliquoties Legatus missus fuerat, hunc ipsum Arnonem, eiusque Successores, Archiepiscopos Bauariæ, perpetuis post hæc fore temporibus decreuit, pallioque Christiani Prædicatoris insigni decorauit, Anno secundùm Auentinum 798. Idem secundùm Annales Patauieñ. his verbis; Anno 796. Leo Papa sedit, hic Arnonem Iuuauensem Pallio sublimauit, quod intelligendum puto non eo ipso anno, sed biennio posteà, tenorem diplomatis Leonis tertij inuenies apud Salisburgeñ. Archiepiscopos sub Arnone; & hoc etiam testatur Auẽtinus in sua vulgari translatione, licet in Latinis Annalibus ponat translationẽ post mortem VValderici factam, quod est contra tenorem illius Bullæ.

SIC dignitas Archiepiscopalis de Patauia ac Laureaco, vbi à primordio Christianismi sedem hactenus habuerat, Salisburgum translata est: Sed maximum ex ea re discordiæ incendium natum, quod vix tandem tùm Romanis Pontificibus, tùm Imperatoribus autoritatem suam huic contentioni interponentibus extinctum ac sopitum est.

DE SEQVENTIBVS tribus Episcopis discrepant Annalium scriptores, tàm in ordine successionum, quàm etiam in tempore; Annales Patauieñ. ponunt Vrolphum primo, Hattonem secundo, Reinharium tertio loco; Auẽtinus idem, nisi quòd videtur primó loco Hattonem ponere; Bruschius de Laureaco veteri, qui Annales Patauienses mẽdosissimos dicit, inuertit ordinem, ponens Hattonem primo, Reinhatium secundo, & Vrolphum rertio loco. Ego sequor Annales Patauieñ. quibus in hac re ob vetustatem plus fidei tribuo, quàm Bruschio; sequor etiam autoritatẽ Ioannis Auentini, diligentissimi viri, putoq; hanc diuersitatem, contrarietatemq; temporum ac diplomatum hinc inde allegatorum saluo aliorum iudicio, sequenti modo concordari posse.

19. VROLPHVS VValderico Anno 804. defuncto succedit Anno 805. Laureaceñ. Archiepiscopus sedit vno anno. Sed in Catalogo Episcoporum ita scriptum est, Anno 805. Vrolphus Archiepiscopus Laureaci & Patauiæ sedit vno anno & menses tres. Post hunc Vrolphum Archiepiscopum Arno Iuuauẽsis Episcopus à Leone

Leone Papa cæcato pallium impetrauit, &c. neque in Annalibus, neque in Catalogo dicitur Vrolphum obiisse, sicut apud alios Episcopos; puto igitur Vrolphum vno duntaxat anno sedisse, pòst, relicta Patauia, transiisse ad Hunnos, atque vltimò ad Morauos, plantandæ religionis Christianæ causa, interim Pataiuiæ duos alios Episcopos præfuisse, Hattonem scilicet, ac post illum Reinharium, quos in diplomatibus sequentibus non Archiepiscopos Laureacen. sed solùm Pataueñ. Episcopos nominatos reperio; Ita quòd eodẽ tempore Vrolphus Archiepiscopus Laureaceñ. atque alij duo successiuè Pataiuiæ fuerint Episcopi, quod etiã supra tempore Erckãfridi, Ottochari & Philonis accidit. Vrolphus itaque docendo ac prædicando in Hunnia et Morauia, per plures annos feliciter gesto negotio, orãdi ac religiõis ergò, limina Apostolorũ visitauit; vbi ab Eugenio secundo Pontifice, qui secundùm Platinam quatuor, secũdùm Ioan. Lucidum in libro de emendatione temporũ tribus annis Ecclesiæ Rom. præfuit, nempe 823. 24. & 25. Episcopis ac Ducibus Hunnorum & Morauorum per Epistolam commendatus est, quæ ita habet:

Evgenivs Episcopus, seruus seruorum Dei, Radfredo Fauianiensis, Methodio Speculunensis Ecclesiæ, atq; Albino Nitrauensis, & Annoni Vetuariensis Ecclesiæ, Episcopis, simul & Tutundo, nec nõ & Mœmaro, Ducibus & Optimatibus, vniuersisq; exercitibus plebis Hunniæ & Morauiæ & infra, &c. Vrolphum Reuerendiss. S. Laureacensis Ecclesiæ Archiepiscopum, sanctiss. fratrem nostrum, ab hac sancta Romana Ecclesia vobis Rectorem transmisimus, atq; in præfatis regionibus Hunniæ (quæ & Auaria appellatur) scilicet & Morauiæ, prouinciarumque Pannoniæ & Mesiæ, Apostolicam vicem nostram atque ius Ecclesiasticum exercendi autoritatem committimus; Cuius dilectioni ad honorem suum nostram Apostolicam vicem & autoritatem nostram insuper accumulamus, quod nunquàm suis permissum est prioribus; Quatenus & vos Confratres & Coëpiscopi deinceps reuerentiam ei ampliorem exhibere sciatis, atq; vos Laici primates & vulgus saluberrimis præceptis suis non velut homini, sed tanquàm Deo humiliter obtemperetis, &c.

De Vrolpho ita scribit Auentinus libro quarto Annalium:

Eadem tempestate, Regis Boiorum mandato, Vrolphus Patauiensis Pont. Auares & Hunnos in Pannonia & Norico considentes, vbi nunc Austria & Vngatia nominãtur, in religione Christi Instituit (nam illi partim Christum Dominum Deumque nostrum, partim Auita numina adhuc colebant) falsorum Deorum superstitionem radicitus extirpat, Tutundum Regulum Auarorum atque Hunnorum sacris Christianis lustrat, & Ratofredum ipsis consecrat Episcopum, Viennæque inter eos habitare iubet; vbi & eo tempore Romanorum Episcopus consedit, à quibus Fauium vocatum reperio, transgressus inde Vrolphus Danubium, Morauos Venedorum populum, itidem sacra nostra recipere persuadet, Mœmorum Ducem cum popularibus, & tota gente, ad cognoscendam veritatem cohortatur, Pontifices, qui eos sedulò doceãt, Methodium Iuliomonthanum, Adeluinum Nitrauensem esse iubet. Hæ vrbes nomina adhuc seruant, & dum Suebi & Gepidæ, ea loca incolerent, Pontificum fuêre domicilia: Hæc vbi ad Eugenium secundum, Pont. Max. delata sunt, Vrolpho Episcopo Patauiensi, Archimystę, dignitatem honoremque cum Morauia, Pannonia, Hunnia, Auaria restituit, præcepit superiores Pastores, cum grege & Ducibus Vrolpho, Archiflamini Laureacensi, sicut parenti non quidem corporis, sed animorum, Nuncio Dei, & à se misso obtemperare.

HATTO succedit Vrolpho, dum Is apud Hunnos ac Morauos est, in Episcopatu Patauiensi, Anno 807. Hic interfuit Synodo prouinciali Salisburgæ, iussu 20.
Caroli Magni habitæ, ob decimas opesque sacras, super quibus inter Monachos ac

secula-

feculares Sacerdotes in Boiaria, tum litigatum eſt, interfuêre Epiſcopi ac alij, maximè quorum intererat, Arno Archiepiſcopus Salisburgenſis, Atto Friſingenſis, Adalbertus Ratisbonenſis, Heinricus Sabionenſis, et hic Hatto Laureacẽſis, vbi decretum, dona Templorum, bona Eccleſiaſtica in quatuor portiones diuidenda; quorum vna Epiſcopi, altera Parochi, tertia pauperum, quarta eſſet ad refectionẽ Templorum, cum aliis. Quorum obiter meminit Ioan. Auentinus lib. 4. fol. 356. Et hoc Anno Domini 807. Annales Patauienſes ponunt hunc Hattonem ſediſſe ſine Pallio annis 11. obiit Anno 817.

21. REGINARIVS, aliàs Reinharius, Rinharius vel Reginardus dictus, ſed iuxta diplomata ſequentia Reginarius dicitur, Hattoni ſucceſſit. Anno 818. electus in Epiſcopum Patauienſem, & Anno 822. in Epiſcopum ordinatus ſecundùm Annales. Sed in Catalogo Epiſcoporum ſcriptum eſt, quòd cum Arnone Archiepiſcopo Salisburgenſi pro Pallio decem annis contenderit, contra quem Arno quendam Baturicum in Epiſcopum Patauiẽſem ordinauerit, ſed Reinharium à Summo Pontifice Paſcali primo, ſexto anno Pontificatus ſui, qui fuit 822. Romæ cum Pallio in Archiepiſcopum ſolenniter ordinatum, ſediſſe Patauiæ, vt Archiepiſcopum decem annis: cuius Ioan. Auentinus non meminit, neque aliud vllum documentum huius rei extat, ac vt ſuprà dictum eſt, Reinharium hunc in diplomatibus non reperio Archiepiſcopum, ſed ſolum Epiſcopum Patauiẽſem nominari. Hic Reinharius impetrauit à Ludouico Pio Imperatore confirmationem Carolinę donationis ſuprà relatæ, iuxta diploma quod ibi extat. Cuius datum Anno 823. quarto Calend. Iulij Franconofurt, regnante Ludouico annos decem, refert Ioan. Auentin. lib. 4. folio 332.

Reperio apud Auentinum aliam contentionem Reginarij cum Adelramo Archiepiſcopo Salisburgeñ. de terminis Diœceſum lib. 4. fol. 387. his verbis: Hoc anno, cùm Vrolphus Patauienſis Pontifex, Archimyſtes Laureacenſis, obiiſſet, Patauienſi Templo Reginarius Pontifex capitur, is litem mouet Adelramo Flamini Iuuauenſi, ob Regiones, quę vltra montes Cõmagenos cubant; dicebat hic Arnonem deceſſorem ſuum ibidem religionis Myſteria aperuiſſe; ille Patauienſi Laureacenſiq; Templo ſubditos eſſe comprobat; Rex Boiorum Ludouicus, Ludouici Pij filius, Reginoburgium vtrũq; ad ſe accerſit, Epiſcopos diſcordes ad pacem reuocat, inter vtrumque ita ſuperiorem regionem partitur, Aquilonarem Occidentalemq; oram, qua Spiraza amnis exoritur, & cum altera Spiraza & Arabone cõfluit, Patauienſi adiudicat, reliqua Orientem Auſtrumque ſpectantia, in rebus diuinis procurare Salisburgẽſes iubet Põtifices. Extat hęc tabula, cuius finis, Actũ Reganeſpurch Anno Chriſto propitio 829. anno 17. Ludouico Imperatore, filio eius Ludouico, regnante in Boiaria anno 5. 14. Calend. Decembris. Hoc diploma in libro Annalium non reperio, & Auentinum in hoc lapſum puto, quòd Reginarius poſt obitũ Vrolphi factus ſit Epiſcopus Patauieñ. nam diplomata tam Eugenij II. quàm Ludouici Imper. aliud probant.

Extat aliud eiuſdem Ludouici Regis Boiorum filij, Ludouici Pij Imperatoris diploma recentius quo eidem Reginario Epiſcopo Patauienſi in Regione Auarorum donat Chirchpach, terramque centum prædiorum per circuitum, vſque ad Chumenperg. Datum 14. Calend. Martij, Anno Chriſto propitio III. regni domini, Hludouici Regis, in Orientali Francia, Indictione 14. Actum Oſtrohoua Palatio Regio, &c. Hludouicus hic poſtulantibus Boiis, à parente Ludouico Pio Imperatore Rex declaratus eſt Anno ſecũdùm Tilium 817. qui Anno Domini 825. cum vxore Hemma in Boiariam migrat, Reginoburgiique habitare cœpit.

Item aliud eiuſdem Regis diploma, cuius tenor, Hludouicus diuina fauente gratia Rex Boiariorum, ſi libertatis noſtræ, &c. quia nos pro mercedis noſtræ augmento,

gmento, &c. concessimus Ecclesiæ Patauiensi, quæ est constructa in honore S. Stephani Prothomartyris, &c. cui præsenti tempore vir venerabilis, Reginarius Episcopus, præesse videtur, quasdam res proprietatis nostræ, quæ sunt in prouincia Auarorum, in loco qui dicitur Lytha, super fontem, qui dicitur Schönptunn, &c. Datum quarto Non. Martij, anno 20. Imperij Ludouici, & anno regni nostri 7. Actum Osterhouen in Palatio nostro] qui fuit meo iudicio secundùm suprà dicta 832. annus. Obiit hic Reinharius, Archiepiscopus Laureacensis & Patauiensis, Anno Domini 838. & vacat Patauiensis Ecclesia propter discordiam per annum, & ampliùs secundùm Catalogum Episcoporum, in quo Morauorum Apostolus nuncupatur. Annales autem Reinharium Episcopum Patauiensem tantùm, & non Archiepiscopum vocant, quod nomen fortè, defuncto demùm Vrolpho, consecutus est; & hoc modo puto concordanda esse diplomata Eugenij II. necnon Ludouici Pij Imperatoris, dum de Vrolpho & Reinhario Episcopis eodem quasi tempore meminère, quorum alter Laureacensis, alter Patauiensis fuerit. Quòd si Autographis amborum Ludouicorum diplomatibus suprà relatis Annus Domini appositus est, vt copiæ habent, eo ipso Ioan. Auentini error suprà in VValderico Episcopo notatus arguitur.

HARDOVICVS, Archiepiscopus Laureacensis, & Episcopus Patauiensis, constituitur Anno Domini 840. vir potens opere & sermone, vt qui suam Ecclesiam quantùm potuit exaltauit, sub Ludouico Pio, Lothario & Ludouico secundo, Imperatoribus. Ad petitionē huius Hardvvici, venerabilis Episcopi, Ludouicus Rex Albrico Chorepiscopo suo, &c. mansos proprietatis suæ consistentes inter Raba & Chumberch dono dedit. Datum 8. Calend. Octobris, Anno, Christo propitio, 28. regni domini Ludouici, Serenissimi Regis in Orientali Francia regnantis, Indictione 8. Actum Ostermontingen, villa regia, in DEI nomine feliciter. Amen, &c. Extat diploma ibi. Sedit Pataui annis 26. Obiit tertio Iduum Maij, Anno 866. Annales Patauienses & Catalogus in numero annorum non conueniunt. 22.

HERMENRICVS, Ostrogothus & Alemannus, is Patauiensis Ecclesiæ Antistes designatus, Hardouico successit, Anno 866. sedit sine cura Pallij deditus otio annis 9. Obiit 4. Nonarum Ianuarij, Anno Christi 875. 23.

ENGELMARVS Archiepiscopus Patauiensis designatur, Anno 875. aliàs secundùm Annales 874. sedit ad gubernaculum Ecclesiæ annis 22. Legitur Cremiphanense Monasterium plurimum locupletâsse, huic Engelmaro Episcopo & Pastori Patauiensis Ecclesiæ Arnolphus Rex dono dedit quædam mancipia in proprium tenenda, Anno Domini 892. Indict. 11. anno secundo regni piissimi Regis Arnulphi. Actum in ciuitate Regia, in Dei nomine fœliciter. Amen. Extat diploma ibi, ac etiam aliud de Anno 890. super quibusdam mancipiis, in quo Engelmarum dilectum Episcopum & Ministerialem nostrum vocat, &c. Obiit pridie Calēd. Ianuarij, Anno 896. secundùm Annales 897. At secundùm aliud diploma Arnulphi Imperatoris vixit adhuc Anno 898. Nam hoc Anno dedit ei aream Patauiæ, Idus Decembris, Anno 898. regni 11. Imperij tertio. 24.

VVINECHINDVS, aliàs VVichindus vel VVichingus, natione Ostrogothus & Alemannus, Leupoldo Duci familiaris, & ab hoc ipso apud Romanum Pontificem Stephanum quintum sic commendatus, vt Apostolica autoritate Episcopus consecraretur, ac propagandæ Christianæ professionis ergò in Morauiam mitteretur; Arnulpho deinde Bauarorum ac Francorum Regi innotescens, Cancellarius eius, ac defuncto ENGELMARO Episcopus Patauiensis factus est. Ad cuius preces, nec non Isingrinij Illustris Comitis Ministerialis Imper. quem alibi 25.

Dapife-

Dapiferum suum vocat Arnulphus Imperator, ædem sacram in Rantenstorff, nunc Ranshouen, diuo Pangratio de nouo extruxit, munificentissimè eundem locum dotauit, ac Ecclesiæ Oetingensi subiecit; ita vt sub eius iure perpetuò consisteret, iuxta diplomata, ibi, quorum datum Anno 898.

Idem Arnulphus Anno 899. quo & defunctus, donationem Patauiensis vrbis ab Ottilone ac Tassilone, Ducibus Boiorum, olim factam pio zelo renouauit, cõfirmauit, alia maiora quoq; priuilegia immunitatis dedit, iuxta diploma suprà sub Viuilone Archiepiscopo relatum, qd' ibi extat. In hisce diplomaribus vocatur tantùm Episcopus. Præfuit annis 13. parum quietè, propter æmulationem Diethmari, Archiepiscopi Salisburgeñ.

26. RICHARIVS à Theodomaro Salisburgensi & Suffraganeis suis in Synodo aduersùs VVichindum Patauiensis Episcopus designatur Anno 897. Cùm verò Arnulphi Regis consensu VVinchindus Patauiensem Episcopatum & occupâsset iam & potenter reneret, Richarius ad regimen non priùs peruenit, quàm post mortem Arnulphi Imperatoris, quo Anno, nempe 899. vel secundùm Annales Patauieñ. 900. defuncto, Richarius eligitur Patauieñ. Episcopus. In Catalogo scriptũ est, Richarius Episcopus Patauieñ. sedit sine Pallio, annis 12. & tribus cum Pallio Archiepiscopus, quod alibi non reperio. Fuit autem hic vnus ex Boiariæ Episcopis, nempe Theotmarus, Iuuaueñ. Ecclesiæ Archiepiscopus erat, VValdo Frisingeñ. Erckenpoldus Aichstetẽ. Zacharias Sabioneñ. Tuto Ratisboneñ. Richarius Patauieñ. Ecclesię Episcopi, qui vnà cum vniuerso Clero & populo Christiano cõquesti sunt Ioanni IX. Sum. Põtifici super Morauis, qui se à iurisdictione Patauieñ. Episcopi eximere, ipsismet Archiepiscopum designare, & ex vna Pontificali prouincia quinque conficere nitebantur, de qua re latiùs Auent. libro 4. fol. 475. cum sequentibus; vbi etiã, quòd hic Richarius interfuit expeditioni Luitpoldi, Marchionis Boiariæ Orientalis cõtra Vngaros, in qua Cusala Rex cum Vngaris cæsus est. Hic quoque à Ludouico Arnolphi filio impetrauit, vt Anisum ciuitas, nunc Enns, Monasterio suo S. Floriani propter damna à Paganis illata traderetur. Extat diploma Patauiæ summatim huius tenoris:

In Nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Ludouicus Dei fauente gratia, Rex &c. ait Richarlum Patauiensem Episcopum, per quosdam proceres suos, & Adalberonem Antistitem & studiosissimum Nutritorem suum VValthonem, Frisingensem Episcopum, nec non Luitpoldum, illustrem Comitem, dilectum propinquum suum, aperuisse lamentando damna illata sibi à Paganis circa Monasterium S. Floriani, improuisa impugnatione; deprecatus, vt ciuitatem illam, quam fideles, inquit, nostri Regni pro tuitione Patriæ vnanimiter, contra eorundem Christiani nominis persecutorum insidias, nouiter in ripa Anassi fluminis in proprio iam dicti Martyris, partimq; in terra Præfecturæ, &c. extruxerunt, ad prædictum Cœnobium traderemus, vbi ipse corporaliter quiescit, &c. donat, firmat, tradit, in Aquilone Danubij ad dictum Monasterium quicquid habuit, &c. 14. Calend. Februarij, Anno 900. Indict. quarta, regni primo.

Lubet quoque subscribere, quæ Ioan. Auent. lib. 4. Annal. de VVickingo & Richario Episcopis breuiter annotauit:

Eodem tempore, inquit, Angelmarus, Patauiæ Episcopus diem obiit, Bichingus ab Imperarore Sacerdotio condonatur. Is fuit primò Morauorum Episcopus, quem, petente Suatebogo magno, Stephanus quintus Pontifex Maximus cõsecrat; ipsum Suarebogus non Morauiæ antiquę, quam Pontifex Patauiensis in rebus diuinis procurabat, sed vlrerioribus Sclauis imposuit, quos idem Dux armis domitârat, Philosophiam Christianam recipere coëgerat: cumq; Suatebogus Imperatori rebellat, VVichingus ad Imperatorẽ aufugit, atq; ab eo Patauiam accepit: Verùm in paucis

paucis diebus, quibus hæc acta sunt, Imperator moritur, Theodomarus Iuuauięñsis, Archimysta Boiorum, cum collegis suis, VVichingum ad gregem desertum redire iubent, Classe Patauiensium Episcoporum mouent, Richarium in tribum Pontificum Patauiæ referũt, vndenongentesimo anno, cuius anni sexto Calẽ. Decem. Imperator Arnulphus, Cæsar Augustus, paterna ægritudine Vtini extinguitur &c.

Quàm diu vel VVichingus vel Richarius præfuerint, quoue anno defuncti sint, nihil certi habemus, nisi quòd Richarius cum Leopoldo, Marchione Austriæ, progenitore Principum Bauariæ, in ea expeditione contra Vngaros fuit, qua iuxta Anassi hostia feliciter contra eos pugnatum est, Auen. eodem loco, fol. 477.

BVRCHARDVS Episcopus Patauiensis designatur Anno Dñi 903. quo Richarius secundùm Annales obiit. Sedit annis 12. homo fuit voluptarius & perpetuo otio deditus, nec de retinendo Pallio solicitus, fuit beneficus in suos Canonicos, quib. integras decimas dono dedit in Bauariæ pagis, Prama, Curtana, Lubichinespach, Pollinga, Hohinhar, Altheim, Osternacha in Matahgoue, Kerpheim, Hohunstar, Scharding a, & aliis locis adiacentibus, perpetuis temporibus possidendas & vsurpandas; idq; est actum cum consensu Ludouici Regis in Ottingen, Anno 903. Extat ibi diploma. Idem Ludouicus Rex, ob pces Dietmari Archiepiscopi, Luitpolt & Isingrini, illustrium Comitũ, huic Burckhardo, ob deuastationem Diœcesis à paganis factam, confirmat Otingam Episcopi proprietatẽ 15. Cal. Iulij. Anno 907. Indictione 10. regni Hludouici inuictiss. Regis 8. Actum ad S. Florianum, Anno 903. Quidam Madalvvinus, Chorepiscopus Patauieñ. in placito seu Synodo, per Burckhardum Episcopum cum Ecclesiasticis ac Nobilibus suis habita, dedit Episcopo ac Ecclesiæ totum apparatum suum, hoc est, suas vestes, quibus ad sacrum stare consueuerat, Item integram suam Bibliothecam, Item proprietatem suam, quam ei Rex Arnolphus donauerat, in loco, qui dicitur VVolfesvvanch, Item in Pannonia Huebas salicas nouem, post obitum suum, &c. Econtra accepit ab Episcopo quædã bona, ad dies vitæ suæ vtenda ac fruenda, &c. Hęc ex libro Annalium Patauieñ. 27.

FVIT quoq; hic Burckhardus Episcopus inter alios Commissarius Ludouici Rom. Regis, super querelis & grauaminibus statuum Boiariæ, ratione enormium teloneorum ac portariorum, de quo Auent. fol. 479. Interfuit etiam magnæ expeditioni eiusdem Ludouici Regis contra Vngaros, fol. 480. Hic Burckhardus obiit Anno Dñi 915. secundùm Annales 914.

GVMPOLDVS sedit ad gubernaculum Ecclesiæ, imperante Heinrico Aucupe, Duce Saxonum, annis 17. homo suo Antecessori non absimilis, nihil præclarum vel memoriæ dignum egit. Obiit Anno 931. 28.

GERHARDVS, vel Gebhardus, Laureacensis Archiepiscopus eligitur Anno 931. Sedit Pataui j annis 14. Temporibus Heinrici Aucupis, & Ottonis primi, Imperatorum, obiit 16. Cal. Octobris, Anno 945. vir maximis virtutibus præditus, qui ius Pallij Antecessoribus suis ademptũ, & aliquamdiu negatum, apud Leonem septimum, Summum Pontificem, ipse Romam profectus, magna cum laude recuperauit. Extant diplomata, quorũ copiam vidi in sępe citato libro Annalium Patauieñ. Et refert Auct. in li. 4. fol. 490. sed longè aliis ac diuersis verbis, &c. Cõsecratur in Archiepiscopum à Pontifice Maximo, Stephano octauo, quem Germanũ fuisse dicunt, plurimum cõmendatur etiam mortuus in suprà allegato diplomate; Quo Agapitus, II. Pontifex Romanus, dissidiũ inter Ecclesias, Laureacensem & Salisburgensem, æqua trãsactione cõposuit, vt, diuisis in duas partes Noricæ regionis prouinciis, Heroldo Archiepiscopo, qui se fortiter opposuit, Occidentalis Pannoniæ cura & pastoralis custodia cõmissa esset: Gerardo verò Laureacensi Archimystæ, & eiusdem Successoribus, propter emeritam S. Laureacensis Ecclesiæ antiquitatem, cui 29.

iure iuniorum reuerentia assurgeret, in benedictionis & sedis honorem, Orientalis Pannoniæ, Regionisq; Auarorum, Hunnorum, Morauorum, Sclauorum, etiam & Mæsiorum inspectio commendaretur; sic singulis prouinciis datus est Metropolitanus. Agapitus Pontifex Maximus magna solennitate Gerardum hunc Archiepiscopum constituit, & facultatē, autoritatemq; ei plenariam dedit, per omnes Sclauorum regiones, liberè prædicandi, & suo arbitrio plures Episcopos constituendi, omniaq; disponendi, ac si ipse Pontifex esset præsens, vt priuilegium ea de re datum manifestè testatur, quod Patauiæ extat. Eius tenorem refert VVolfgāgus Lazius de Repub. Romana, lib. 12. fol. 1256. Item Ioan. Auent. lib. 5. fol. 498. qui hunc Episcopum alibi Geroldum vocat, &, conuentui Boiorum, per Arnoldum Ducem Dingelfingij habito, interfuisse, dicit lib. 4. fol. 487.

30. ADALBERTVS Laureaceñ. Archiepiscopus factus Anno 945. Præfuit annis 25. De quo nihil memoria dignū in Annalibus Patauieñ. legitur, pterquàm quod infrà sub Piligrino Episcopo de Conceambio prædij Anisburg cū Heinrico Duce Bauariæ facto annotatū est. In eo diplomate Ottonis II. Impatoris, Adalbertus, S. Patauieñ. Ecclesiæ Antistes nominatur, non Laureaceñ. Archiepus. Obiit Anno 970.

31. PILEGRINVS, Patauiensis Ecclesiæ Antistes & Archiepus Laureacēsis, Adalberto successit Anno Dñi 971. imperante Ottone Magno. Præfuit sapiēter & vtilissimè, sub tribus Ottonibus, Patauiæ sedens annis 20. vir Magnificus, & qui Ecclesiam suam sub Vngarorum grassatione à Bauaris occupatā, & ab Hunnis admodum vastatam, cùm suo ingenio, tum Imperatorū auxilio præclarè liberauit, & in meliorē statum collocauit: Concionatus est Vngaris, ad Deum quidem antea conuersis, sed in fœdissimos errores relapsis, quibus ad veram pietatis viam reducendis, egregiam nauauit operam docendo, et idoneos Ecclesiæ pastores præficiendo. Singulis siquidem diebus ad gentem recens Christianismo imbutam ex Monachis & Canonicis transmittere solebat, qui Euangelium propagarent & latissimè spargerent, populumq; adhuc rudē informarent. Hac pia & verè Episcopali virtute, necnon ope diui VVolfgāgi, Episcopi Ratisboneñ. viri illius æui doctissimi ex vtriusq; sexus Nobilioribus, quinq; Vngarorū millia Christo lucratus est: vnde factum est, vt tota penè Vngarorum natio prona ad percipiēdam Christi fidem sit facta; redegit rotam de Deo & humani generis salute professionē, in certam quandā Methodum. Vnde, quantus ipse vir fuerit, quāta doctrina, & quo ingenio præditus, posteritas omnium temporū iudicare potest, quam doctrinæ suæ formulā Benedicto VII. Pont. Max. Romā misit, additis vnà literis, in quibus suā absentiam excusat, & ius Pallij submissè petiit: Pōtifex ingenium & eruditionē viri Germani admiratus, illi Pallium & Metropolitanū honorem Cathedræ suæ S. Laureacensi Ecclesiæ, confinio Vngarorū adiacenti, restituit, eumq; aliis Germaniæ Archiepiscopis, necnon Ottoni Magno Impatori & Nepoti eius Heinrico, Duci Bauariæ, per Epistolam cōmendauit, eximēs Laureaceñ. ab omni sub ectione Salisburgeñ. Ecclesiæ, & honore Metropolitico sublimans; sicut modernis temporibus S. memoriæ Agapitus Papa terminos earundem Parochiarū ab inuicem distinxit; sic & ipsi diffinimus, &c. ita quoq; vt alter illorum, qui prior sit, in ordinatione, ipse etiā, quoad viuat, Prioratum teneat & in ordine, &c. Penitus eī determinatis vtrinq; Diœcesibus, omniq; exclusa altercandi occasione, Canonica sub districtione interdicimus, vt neuter earundē Ecclesiarum Archiepus inuadere alterius Parochiā præsumat, &c. Sunt verba illius Epistolæ &c. quæ Patauiæ extat, ac illius copia in libro Annaliū, relata ad longū per VVolfgangum Lazium de Rep. Roma. lib. 12. fol. 1247. p Bruschium de Laureaco veteri, per Auentinū summatim lib. 5. Annal. fol. 502. licet vtrobiq; aliis atq; diuersis verbis, qui in hoc differunt, quòd alij Benedictum VI. alij VII. habent. Hoc constat, Benedictum V. & VI. sub Ottone I. seu Magno vixisse, &c. Benedictum autem VII. sub Ottone II. &c.

HABVIT

HABVIT autem Piligrinus hic benignissimum ac beneficentissimum Imperatorem, Ottonem secũdum, qui priuilegia ac traditiones Ecclesiæ Patauiensi ab Antecessoribus suis factas non solùm cõfirmauit; verùm etiam pio zelo ampliauit, ac plura nouiter concessit, vt sequitur.

OTTO secundus Imperator precibus dilecti Nepotis nostri Heinrici, Ducis Boiariorum, confirmat S. Laureaceñ. Ecclesię venerabili Pontifici Piligrino traditionẽ Ludouici Regis factam vinearũ in VVachovv, in Comitatu Reuerendi Marchionis Burckhardi, Anno Dñi 973. Indict. 15. anno regni Ottonis 13. Imperij 6. Nam in vita patris Ottonis I. in Regem Rom. electus, & Aquisgrani coronatus est, Anno 961. deinde Anno 968. à patre Romam vocatus, ibi Imperator coronatur: Errãt igitur, qui hæc Ottoni primo tribuunt, cùm is hoc 873. Anno Nonis Maij obierit; ita Ioann. Auent. lib. 4. fol. 500. & 501. Paulus Phrigio in Chronica Regum.

IDEM Otto secundus S. Laureaceñ. Ecclesiæ venerabili Pontifici Piligrino, precibus Heinrici Boiariorũ Ducis, Nepotis sui, hoc est, Patruelis sui, cõfirmat, ac tradit aream in vrbe Ratisboñ. non longè ab Ecclesia S. Cassiani, quam ipsius Antecessor Adalbertus à Patruo suo (scilicet Ottonis) Heinrico Boiariorum Duce receperat Concambio, &c. Datum 3. Idus Septemb. Anno Dñi 974. Indict. 15. anno regni dñi Ottonis 14. Imperij autem 6. Actum Erfafurt, in Dei nomine feliciter. Amen.

CVM verò post Ottonis magni obitum, filius ipsius Otto II. iam diu designatus in imperio Successor, Patauiam (propterea quòd illa Heinricum Bauariæ Ducem Imperatorem habere mallet, & reclamãte etiam Pilegrino Archiepiscopo, exercitibus, cõtra Ottonem, receptum præberet) vi armorum expugnâsset; Pilegrino, qui ab ipsius partibus steterat, laudatissimus Imperator in compensationem damni, quod per id tẽpus Pilegrinus fecerat, ac precibus fratruelis sui Ottonis, Ducis Boiariorum atq; VVilligisi Archiepiscopi Mogunt. Monasterium S. Crucis in Nidernburg donauit, cũ VValachunestorff, cęterisq; omnib. appẽdiciis & ꝑtinentiis. Datũ 11. Cal. Augusti, Anno Dñi 976. Indict. 4. Anno verò regni Ottonis Imp. Augusti 15. Imperij aũt 9. Actum Ratisbonæ in Christi nomine Amen. In hoc diplomate, quod ibi extat, Pilegrinum S. Patauieñ. Ecclesiæ Præsulem venerandum vocat.

EXTAT ibi aliud diploma Ottonis secundi, in quo Abbatiolam nostri proprij iuris, sitam in Patauiensi vrbe, quę est in honore sanctę Dei genitricis, ad eiusdem vrbis Episcopalem sedem, cui Piligrinus Episcopus præesse dignoscitur, iure perenni donat, & hoc precibus dilecti fratruelis sui Ottonis, Ducis Alemanorum ac VVilligisi Archiepiscopi. Fuit hic Otto filius Ludolphi, fratris Ottonis secũdi, Dux Sueuię, cui Otto secũdus, expulso Heinrico Hezylone fratruele suo, ob rebellionem Ducatum Bauarię contulerat, &c. puto eandem esse Abbatiam sanctæ Crucis in Nidernburg. Datum huius diplomatis Anno incarnationis Dñi 980. Indictione quarta, Augusto Imp. Ottone regnante. Actum Ratisbonę. Idem Otto secundus, ac eodem anno Piligrino Patauiensi Præsuli immunitatem exactionum ac censuum dedit; Ita vt Patauiensis ciuitatis possessores amodò nullum teloneum per omnes aquas in nostro regno sursum neq; deorsum soluere cogantur, &c. Actum Ratisbonæ, &c.

IDEM Otto secundus Piligrino sanctæ Laureaceñ. Ecclesię Pontifici donat partem telonei in ciuitate Patauieñ. pro Ecclesię S. Stephani restauratione, & ad tecta procuranda, necnon pro luminaribus, ac insustentationẽ fratrum Deo ibidem seruientium, quam Adalbertus Antecessor huius ab Ottone primo Imperatore, Patre suo, ad refectionẽ Ecclesiæ, ad dies vitę suę, anteà impetrârat. Datum Anno Dñi 876. vt suprà, Eodem anno ac loco. Idem Otto venerabili Piligrino, sanctę Patauieñ. Ecclesię Episcopo, confirmat omnia priuilegia & immunitates Imperatorum, Caroli & Ludouici, necnõ Ottonis genitoris sui, &c. cum pertinentibus Monasteriis & Ecclesiis S. Floriani Martyris, atq; Treisma ad Monasterium S. Hippolyti, necnon Cre-

missa, &c. ita vt Ecclesia Patauieñ. cum omnibus suis bonis ac Ecclesiis, præsentibus & futuris, sit sub defensione Imperij, ab omnibus tributis & oneribus libera, ac etiã ab eo, quod iure fisci exigi poterat, quod totum luminaribus Ecclesię & stipendiis pauperum, seruorumq; Deo ibidem famulantium concedit.

IDEM ille Otto constituit Piligrinum hunc Archiepiscopum Laureaceñ. Ecclesiæ, deditq; pro reparatione ciuitatis Patauiensis, quam ipse Otto ab hostibus captã denuò deuastauerat, quoddam prædium iuris (inquit ipse) nostri, Anespurck nominatum, quod quondam venerandæ recordationis Adalbertus Patauiensis Ecclesiæ Antistes, ex massa patrimonij S. Laureacẽsis Ecclesię, Heinrico Duci piæ memorię, patruoq; nostro, tradidit in Cõcambium in pago Troungeu, in ripa Anasi fluminis, decemq; regales Huobas, ab Occidentali parte prædicti fluminis Anasi, in quadam nostri iuris villa, nomine Lorach, cum omnibus iuribus & pertinentiis. Sicut enim inquit Otto Imper. priscis temporibus S. Laureaceñ. Ecclesia, quæ extra murum, in honorẽ S. Stephanj, sanctiq; Laurentij Martyris constructa & dedicata est, ante dissidium & desolationẽ regni Boiariorũ, Mater Ecclesia & Episcopalis sedes fuit; Ita deinceps pristino honore ac dignitate, Canonica autoritate perfruatur, quam & pręsenti præcepto nostro renouamus atq; roboramus, & iam sępedictę Laureaceñ. Ecclesiæ venerabilem Piligrinum intronizamus Antistitẽ, quatenus amodò tam ipse, quàm omnes sui Successores Laureaceñ. fiant & nominentur Pontifices. Datum 3. Nonas Octobris, Anno Dñi 977. Indict. 6. anno regni dñi Ottonis, Imperatoris Augusti 17. Actum in ciuitate Ratisbona, &c.

OTTO tertius Imperator, propter deuastationẽ terræ Patauieñ. Ecclesię, à Barbaris vicinis in Orientali plaga factã, vnde quasi sylucscat, Piligrino huic, venerabili S. Patauieñ. Ecclesię Præsuli, ad intercessionem Theophanię matris & amborum Nepotum suorum Heinricorum Ducum, scilicet Bauariæ ac Carinthanæ Regionũ, omnes colonos in locis ad Patauiam pertinẽtibus sitis in Marchia Luitepaldi Co. à publicis exactionibus liberos fecit, à Ministerialium suorũ districtione absoluit; ita vt quicquid publicus Imperatoris fiscus ab illis exigere vel percipere poterat, hoc Aduocatus illius Ecclesię exigat ad iam dicti Piligrini, Successorumq; suorũ vtilitatẽ, neq; pro vlla alia occasione, aut vadium soluere, aut ad Comitatũ ire à Marchione vel aliqua iudiciariæ potestatis psona cogantur. Datum 2. Cal. Octobris, Anno dñi 985. Indict. 14. Anno aũt 3. Ottonis regnantis 2. Actum Babenberg fœliciter Amen.

IDEM Pilegrinus dignissimum meruit habere hospitem & conuiuam, S. VVolfgangum, paterno genere Comitẽ de Pfullingẽ & Achalm; Materna verò stirpe, Comitẽ Veringensem, natione Sueuum, virum & suo & gentilitio splẽdore clarissimũ, de quo Pilegrinus sæpe exclamâsse legitur. O fœlicẽ Ecclesiam, quæ Deo fauẽte hoc donabitur Sacerdote: Hunc paulò pòst ad Ratisboneñ. Ecclesiam tunc vacantem apud Ottonem II. Imperatorẽ promouit Pilegrinus, ipsiq; Pontificalem eam Cathedram impetrauit, Autor fuit cuidã sui sæculi versificatori germanico, vt is rythmis gesta Auarorũ & Hunnorum, Austriam supra Anasum, tunc tenentium, & oẽm viciniam latè deprædantiũ, celebraret, & quomodo hæ Barbaræ gentes ab Ottone Magno profligatæ sint. Extat hic liber in Pergameno scriptus, quem ego VVigileus Hundt, collector huius operis, in arce Prunn ad Altmilã repertũ, ac per Generosum dñm Ioachimum, Comitem de Ortenberg, donatum in Bibliothecam Illustrissimi quondam Principis Alberti, Ducis Bauarię piæ memorię, Anno 1575. dedi.

DICITVR natus fuisse Pilegrinus ex familia Roderici seu Rudigeri de Præclarà hodie Pechlarn, eius qui Auaris & Hunnis pręfuisse, & Arnulpho Duci Boiorũ, Hunnos in Germaniã inducenti, suppetias tulisse, in eodem & similibus poëmatibus legitur. Decessit vltimus iste Laureacensium Archiepiscopus Pilegrinus 2. Calẽ. Iunij Anno Christi 991. De quo in quadam Chronica Salisburgensi legi: Anno 1171. Vitalis

Vergi-

Vergilius, Hartvvicus, Salisburgenses, & Pilegrinus Patauiensis, Episcopi, claruerunt miraculis.

CHRISTANNVS, aliàs Christianus, non iam ampliùs Laureacensis Archiepiscopus, sed solùm Patauiensis Ecclesiæ Præsul, quemadmodum & omnes sui Successores, eligitur Anno Domini 991. sedit in ciuitate Patauiensi sine Pallio, annis 22. impetrauit ab Ottone tertio Imperatore omnium priuilegiorum Patauiensis Ecclesiæ confirmationem, & Monasterij Cremsmünster cum omnibus pertinentiis, & Capellæ in Oetinga, & Abbatiæ in Mathase, & curti Riute incorporationem. Datum 6. Calend. Februarij, Anno Domini 993. Indict. 6. anno autẽ tertij Ottonis regnantis 10. Actum Trotimanniæ, 32.

IDEM quoq; Otto tertius, Rom. Rex, Episcopum hunc & Ecclesiam Patauieñ, & loca illuc pertinentia, ab omni Ducum, aliorumq; potentũ personarum seruitio exemit, ac in defensionem suam ac Successorum suorum, Roman. Regum, recepit, iuxta diploma de eodem Anno 993. &c. Actum Diaspurgo, &c

HABVIT hic Christianus Episcopus grauem contentionẽ cum Leopoldo, Marchione Austriç in Comitijs, per Heinricũ Hezilonem, Ducẽ Bauariç, Tulnç habitis, qui Leopoldus volebat sibi seruire p̃dia Patauiensia, & quædã oppida vi occupârat; decreta ibi est immunitas ac restitutio. In eodem Concilio decretum, q̃m ea Regio Bauariæ ob frequentes Vngarorum incursationes desolata sylue sceba t, vt Otto III. suprà in suo diplomate vocat, vt noui coloni omnium onerum immunes forent: Dataq; Boiariis tàm Ecclesiasticis quàm secularibus libera potestas, Castella, oppida ac arces, contra Vngarorum irruptiones construere. Extat diploma Ottonis III. de quo Auentinus latiùs lib. 5. fol. 506. &c,

IDEM Otto III. donat Christiano Epõ Patauiensi, & Successoribus eiusdẽ ciuitatis, mercatum, monetam, bannum, teloneum, & totius publicæ rei districtũ, tali tenore, vt p̃dictus Prçsul, suiq; Successores, oẽm publicam rem hactenus nobis in eadẽ ciuitate pertinentẽ habeat, & firmiter intra ciuitatẽ & extra teneat, sine omniũ hominũ contradictione, &c, Hæc sunt verba formalia priuilegij, cuius datũ Anno Dñi 999. Indict. 13. anno Ottonis 3. regnantis 15. imperij 3. Actũ Romç feliciter. Amen.

CVM HOC Christiano Episcopo Heinricus sanctus, tunc Rex Rom. cõmutauit ac dedit pro prædio Treuina alia sua ꝓpria prçdia Ernustestorf & Albarn dicta. Datum huius diplomatis 15. Cal. Maij, Indict. 5. Anno Dñi 1007. anno Heinrici II. 5. &c,

SVB HOC Christiano Martyrio affectus est S. Colomannus, ex regali Scotorum progenie oriundus apud Stockerouium, Anno 1012. ab agricolis trucidatus, mox inde ad Melicense Cœnobium translatus. Christianus Episcopus obiit Anno 1013, secundùm Annales, Anno 1012. 12. Calend. Octobris.

BERENGERVS, qui & Benno secundùm Auent. fol. 531. successit Christiano, rebus humanis exempto, sedit in vrbe Patauiẽsi, quæ ab Arnoldo Schyrensi iterum occupata erat annis 33. Præfuit laudabiliter, Canonicis suis victum augens & potum vsitatæ & quotidianæ mensuræ, in certis quibusdam Festis, charitatis haustũ adiiciens, Episcopalia munia, quæ hodie Episcopi suis Suffraganeis cõmittunt, ipsç obiuit, plurimasq; possessiones Episcopatui adiecit. Eius tempore Heinricus Imperator sanctus & claudus appellatus, Patauiensi Ecclesiç abstulisse legitur Comitatum ab Iliz, fluuiolo Bohemico, ad Regen amnem vsq; omnem, ducentosq; Mansos ex Austrauiano Cœnobio, ad Babenbergensem recens à se fundatum Episcopatum illustrandum & ditandum, pro quo Comitatu reddidit Episcopatui medietatem ciuitatis Patauieñ. ab Arnoldo Bauarorum Duce priùs ablatam. Hæc Bruschius, vnde habeat nescio, Annales Patauieñ. non ponunt, neq; satis conueniunt cum priuilegio Ottonis tertij proximè relato, &c, 33.

Idem Berengerus Episcopus, in Nortvvald Ecclesiam Gunthario consecrat diui Ioannis Baptistę, Deiparę Virginis, S. Crucis, Anno 1019. Heinrici regni XVIII. Imperij VI.

Conradus secundus, Rom. Rex, ad preces Gisilę Reginæ Conthoralis suæ, & Aribonis Moguntiacen. Archiepiscopi, dono dedit huic Beringero Episcopo oēs decimas in Orientali prouincia sitas in Septentrionali parte fluminis Danubij, in Comitatu Adalberti Marchionis, in omnibus locis constructis & cōstruendis de rebus omnibus, de quibus decimæ de iure & legaliter persolui debent, vt & ipse & Successores eius liberam super his habeant disponendi &c. facultatem. Datum huius diplomatis 2. Nonas Decemb. Ind. 7. Anno do: incarn. 1025. anno autem dñi Conradi II. regni 11. Actum Triburiæ. Obiit Berengerus Anno 1045.

Heinricus Rom. Imper. eidem Beringerio concessit in Orientali Regno, in Comitatu Heinrici Marchionis prædium quoddam, in his locis Hertzogenburch locum ad construendam Ecclesiā, quam ibi propter Marchionem facere posset, & vnum Regalem mansum: In Chremisa autem & Sigemaresvvert, & Tulna, extra ciuitatem & Vecinessevve, similiter in singulis locis, singulos Regales māsos, &c. Datum deest in libro Annalium.

34. ENGELBERTVS, alibi Egilbertus, eligitur Episcopus Patauiēsis Anno 1045. Sedit Patauij annis 20. secundùm Annales. Is ab Imperatore Heinrico Nigro, cuius vxoris Sacrificus fuerat, Auent. lib. 1. fol. 531. venandi ius in prædio sancti Stephani in Comitatu Alberti Marchionis, inter geminas fluminum Sabynichi & Tuminichi ripas, impetrauit. Datū huius diplomatis 16. Calend. Iulij, Anno Dñicæ incarnationis 1049. Indict. 2. Anno autem Heinrici tertij regnantis Imperatoris secūdi, ordinationis eius secundi, regni quidem 11. Imperij autem 3. Actum Gemunde in nomine Domini Amen. Idem Imperator precibus Agnetis Conthoralis suæ, cōfirmat eidem Egilberto curtes, Ecclesias, villas, & omnia prędia, cum suis pertinentiis à Regibus, Imperatoribus, vel aliis, Ecclesię Pataujen. tradita; specialiter Abbatias, Chremissa, Munstuire, Matiseo cum prędio nomine Hunisperch, Capellā Otingam, & curtim Ruite, & villam Vffenhusen; quemadmodū eandem Adalbertus, scilicet Pataujen. Ecclesiæ Episcopus, p Anespurch S. Laureacen. Ecclesię prædio, vbi quōdam Episcopatus fuisse sedem nouimus, ab Heinrico Duce Boiariorū iustè & legaliter in Concambiū accepit atq; possedit, & in Osterrichi, in loco qui dicitur Kirpach, territorium quoddā, quod ad radices montis Cōmageni sitū est, & in eodem mōte mansus centum faciendos cum omnibus ad eam pertinentibus. Datum 13. Cal. Augusti, Anno Do: incar. 1052. Ind. 5. Anno aūt dñi Heinrici III. secundi Impatoris ordinationis eius 24. regni verò 13. Impij 6. Actū Bazovve in nomine Dei fœliciter. Amē.

Idem Imperator precibus Agnetis, vxoris filij Heinrici Regis quarti, dat atque donat ad Monasterium sanctæ & indiuiduæ Trinitatis atque intemeratæ Virginis Mariæ, necnon beati Stephani Prothomartyris honorem, in loco, qui dicitur Bazovv, constructa, & piæ memoriæ Episcopi Engelberti intercessione tale prædium, quale Richvvinus habuit, cùm in Palatino placito reus maiestatis criminabatur, & communi iudicio omnium capitali sententia damnabatur in villis Gabatisprunnen & Chrubaten. Datum Anno 1055. Indict. 8. Anno autē Heinrici III. Regis Imp. 2. ordinationis 27. regni 17. Imperij 9. Actum Vlmæ.

Idem Imperator ad easdem preces dat eidem Episcopo locū cuiusdam vici, Paumgarten nominatū, cum omni vtilitate, quæ contra Bohemos quoquo modo conqueri potest, omnemque terram intra terminos hos conclusam, id est, vallem Paumgartintal sursum vsq; ad notas definitas Vngaricorum terminorū, deorsum vsq; ad prædium Heinrici Co: exinde in directum vsq; ad stratam Lauindenburch ducentem, vsq; ad prędium Richvvini. Datum Berchenstat, Anno Dñi 1056.

HABVIT

Habvit clementem & beneficum Heinricum etiam quartum, qui petitione dilecti sui Magistri Annonis, Coloniensis Archiepiscopi, cęterorumq; fidelium nostrorum confirmat omnes traditiones Rom. Regum, Imperatorum, ac aliorum piorum hominum Ecclesiæ Patauiensis factas; in specie illa, quæ ab Heinrico 3. patente suo fuêre expressa ac confirmata in tribus proximis diplomatibus. Datum huius cõfirmationis 8. Calend. Nouembris, Anno Dominicæ incarnationis 1063. indictione secunda; Anno autem ordinationis Heinrici quarti Regis 9. regni 7. Actum Ratisbonæ in Dei nomine. Amen.

Consecravit Parochialem S. Pauli Ecclesiam & Monasterium Cremiphanense, Cœnobium S. Flotiani ab Hungaris destructum reparauit, & Canonicis S. Augustini restituit, habuit sub se Præpositum summi Templi Azilonem; Decanum verò Rauonẽ. Decessit ex hac vita, Anno Christi 1065. secundùm annales Año 1064. Diploma Heinrici tertij, cuius Datũ Anno 1055. suprà relatum, videtur innuere Engelbertum ante añum illum defunctum esse in illis, verbis; piæ memoriæ, &c. Poterunt autem hæc verba secundùm stylum illius seculi etiam superstiti tribui. Ego relinquo cogitandum, &c. Munsterus in Cosmographia latina fol. 605. scribit VVolphum quendam, Canonicum Augustanum, Episcopum Patauien. postulatum.

Item reperitur in monumentis Gotvviceensis Monasterij Sigilbertus Patauiensis Episcopus Anno 1065. Credendum est, VVototolphum Engelberto, ac illi Sigilbertum successisse, qui fortè vsque ad Annum 1065. præfuit. Auentinus horum nõ meminit, sicuti neq; annales Patauienses. Ponit autem Auentinus libro quinto, folio 553. hæc verba: Eodem Anno profectionis, in Palęstinam scilicet, qui fuit 1063. vel 64. Angelbertus Pataviæ Episcopus obiit, cui Heinricus quartus Cæsar Sacrificulum suum Altmannum substituit.] Sepultura horum Antistitum, sicut & omniũ ferè Antecessorum ignota est; sed nec de genere vel natalibus eorundem quicq; certi scribi potest, siquidem omnia hæc in obliuionẽ venerunt, & nihil de ea re annotatum reperitur vsquam.

ALTMANNVS, patria Saxo, aut ferè VVestphalus ex celebri & peruetusto Putinensium, fortè VVittinensium Ducum genere natus, Agnetis Imperatricis, Heinrici Nigri cõiugis Sacellanus designatus, mox eiusdẽ Dominæ fauore summorum Templorum, Coloniensis & Aquisgranensis, Canonicus, paulò pôst Præpositus etiam electus, per omnes dignitatum gradus ad id fastigium peruenit. Erat vir pietate, literis, consilio, vt ista tempora ferebant, & autoritate magnus, summis Germanis Principibus summoperè charus, peregrinatus fuit ad terram sanctam, cum Sigefrido Archiepiscopo Moguntino, Gunthero Antistite Bambergense, & aliis aliquot Principibus sæcularibus & Ecclesiasticis, Anno 1063. secundùm alios 1064. Interim, Engelberto Episcopo fatis concedente, Imperatricis Agnetis intercessione, Patauiensis Ecclesiæ Antistes declaratur etiam absens, tanta erat ipsius in aula Imperatoris autoritas & gratia. Reuersus Hierosolyma, suscipit Episcopatum, cui præfuit satis varia fortuna annis 26. consecratus est à Gebhardo Archiepiscopo Salisburgensi, quem Parisiis condiscipulum habuit, vbi nõ tantùm hunc Gebhardum, genere Comitem ab Helffenstein; sed & Adalberonem Comitem Lambacensem, qui posteà Herbipolensis Episcopus factus est, contubernalem habuit. Fuit Altmannus Episcopus admodum religiosus, Deiq; timẽs plurimùm, Clero suo nihilominus inuisus, ob hanc ferè solam causam, quòd Sacerdotum tum temporis (propter schisma videlicet Henrici quarti crescente licentia) cõtra Canones & antiquam consuetudinem coniugatorum, vitam & mores dissolutissimos insectaretur. Augebat verò hoc odium in Clero, quòd liberalior quoq; esset in pauperes etiã cum iactura supellectilis Episcopalis, dum aliquot pauperũ millia interdũ pasceret;

multaq; Monasteria de nouo erigeret & collapsa instauraret; inter quæ præcipua sunt Gotvvicense, in Cômageno monte è regione Chremisianæ ac Steinensis ciuitatum Austriæ amœnissimo loco situm, & S. Nicolai perelegans Cœnobium extra muros Patauienses in sinistra Oeni, eo loco conditum, quo Parochialis Ecclesia S. Andreæ ad lapides dicta antiquitus sita fuerat, quod ope Agnetis Imperatricis, &c. & Heinrici Com. Neuburgen. iuxta literas fundationis Anno Domini 1074. denouo extruxit.

Habvit ab initio munificum benefactorem, Heinricum quartum Imperatorem, à quo priuilegium & insignia quædam bona impetrauit, ad intercessionē matris Agnetis, Berthæ Conthoralis Gebhardi, Salisburgen. Archiepiscopi, & Epponis Niunburgen. in Misnia seu Cieiensis Episcopi, &c. & obsidele meritum ipsius Altmanni, nempe villam quandam Tylenfurt dictam, & transitum ipsius fluminis, qui dicitur Moracha, & infra hæc loca Paumgarten, Sturphereich, Madtidata, quod est prædium Ernesti Marchionis, & quinquaginta regales Mansos in pago Ostricha, in Marca Ernesti Marchionis sitos, cum omnibus appendiciis suis, hoc est, vtriusq; sexus mancipiis, vineis, agris, &c. Extat diploma ibi, cuius Datum 2. Non. Martij, Anno Do: incarnationis 1067. ind 5. Anno autem ordinationis Heinrici 4. Regis 15. regni verò 11. Actum Ratisbonæ in Dei nomine feliciter Amen.

Fvit in luxuriantem Clerum acerrimus animaduersor, quem in meliorem ordinem & statum redigere obnixè laborauit: Cumq; tanto labori & oneri sese imparem videret, Romam scribit, Consilium Gregorij Sept. Pont. Max. ea de re expetit; is rescribens fulmina sedis Apostolicæ in coniugatum Clerum coniicit, Altmanno plenariam potestatem confert eiiciendi ex Ecclesia Sacerdotes vxoratos, & substituendi cœlibes; hac autoritate armatus Altmannus, Clerum suum conuocat, literas Pontificias in ipso Patauiensis Ecclesiæ gremio recitari iubet, & mandato Pontificis, suoq; Consilio, proposito, Presbyteros à consuetudine coniugum abstinere præcipit. Huius rei nouitate odium Cleri sibi anteà infensi plus accendit; pertinaciter illis respondentibus, sese nec posse, nec velle hoc vitæ genus commutare: Altmannus se parum proficere posse intelligens, & primo furori cedendum arbitratus, concionem dimisit; pòst captata meliori occasione, edictum Pontificis iterum promulgat. Ibi vniuersus Clerus maiori furore percitus, in S. Stephani Templo eum inuasisset, nisi quorundam procerum auxilio defensus, è Templo aufugisset. Cùm verò nihilominus in sua sententia persisteret, Pontificisq; decretū exequeretur, Clerus ad Heinricum quartum Imperatorem, cui cum summo Pontifice de Episcopatuum collatione & inuestitura, ac aliis grauibus negociis cōtentio erat, confugit, qui Pataniam ingressus, Clerum coniugatum restituit, & Altmannum, quòd cum Gebhardo Metropolitano ac quibusdam aliis Episcopis, summo Pontifici in hoc Schismate, vt ipsi videbatur, nimis perseueranter ac pertinaciter adhæreret, proscribit. Post eius discessum Monachi cœlibes S. Nicolai, quòd vxoratos Cœnobio ab Imperatore restituros expulissent, à Satellitibus Imperatoris Cœnobio extracti, virgis publicè cæduntur, & restitutis prioribus Sacerdotibus coniugatis, magna ignominia non solùm è Monasterio, sed etiam Vrbe & omni vicinia eiiciuntur.

Altmannvs, nulla spe in Episcopatum redeundi proposita, in Saxoniam fugit, & apud Bernhardum Bucconem, Halberstadiensem Episcopum, aliquamdiu mansit; posteà in VVestphaliam reuersus. Cum verò nec ibi Clero, propter hanc ipsam Cœlibatus causam gratus esset, Romam abiit ad Gregorium Pont. Max. eiq; Patauiensem Ecclesiam resignauit: Interim Heinricus Imperator à Pontifice, quòd Cleri partes tueretur excommunicatus, Moguntiæ Comitia indicit; in quibus Altmannū ab Ecclesia Patauiensi in vniuersum excludit, eidemq; Hermannum quendam

dam filium Leutholdi, Ducis Francorum & Carinthiæ, substituit: Emigranti verò huic ex hac vita Thiemo quidam successit Herbipolensis Canonicus; is occupauit Episcopatum omnem ad Anasum vsq;: Quæ enim infra Anasum erant Episcopalia feuda, ea Leopoldus Austriæ Marchio in Altmanni gratiam occupârat, & potenter tenebat. De his duobus, Hermanno & Thiemone, nihil prætereà extat. Altmannus, qui Romæ agebat, à Pont. Max. in Templum Diui Petri vocatus, inspectante & annuente toto Clero Romano, non modò Pataviensis Episcopus denuò consecratur, sed etiam Pontificius in Germaniam Legatus designatur, & multis priuilegiis ablegatur; postea in Austriam reuersus, in Mauterensi oppidulo Austriaco reliquum vitæ egit, illustrando suo Gotvvicensi Collegio vacans. Cùm verò magna annonæ caritas esset eo tempore, Altmannus in Mauterensi oppidulo & Gotvvici in Cœnobio magnam pauperum multitudinem indies pauisse legitur, qua virtute in primis clarus & à Monachis suis Gotvvicensibus commendatus: dum in Austria vixit, vicina Monasteria etiam quædã, S. Hippolyti nimirum, Chremiphanēse ac S. Floriani Anno scilicet 1080. mira seueritate reformauit, vbiq; vxoratos Monachos & Canonicos eiiciens & cœlibes substituens. Consecrauit Thiemonem Archiepiscopum Salisburgensem, mandato Pont. Max. Vrbani secundi, Anno 1091. an Pataviam redierit incertum est; hoc verò inter ipsius laudes commemoratur, quòd Ecclesias Pataviensis Episcopatus ante se ligneas, ipse saxeas fecerit primus. Obiit secundùm annales Anno 1091. aliàs 1092. sexto Iduum Augusti, in oppido Austriaco Zeyselmaur, sepelitur in Crypta Gotvvicensis Monasterij, à se fundati, vbi & miraculis claruisse legitur, illic & pedum eius Episcopale & infula, qua vsus est, ostenduntur, quæ omnia miram simplicitatem & frugalitatem ostendunt; pompam verò nullam.

Ita Auent. lib. 5. folio 585. at in Apicibus ponit fratrem Leutholdi fuisse, &c.

VDALRICVS, illustris Comes à Heeffr, ex Tyrolensi prouincia, aut Meraniæ potiùs Ducatu natus. Quem Iohan. Cuspinianus in Austria sua vocat Comitē Ciliæ & Tyrolis. Nam tum Comitatus Tyrolen. & eius Comites noti fuerunt vt testatur Radeuicus lib. 3. cap. 37. & Abbas Vrspergē. in vita Heinrici 4. vbi de Alberto adolescente, qui partium illarum quodam insignis comitatu, in valle Tridentina cepit aliquos Episcopos contra Heinricum IIII. Romam missos per filium Heinricum V. Anno 1106. Fuit hic Vdalricus, Vdalscalci Comitis eius nimirum, qui Seydenstetense perelegans Monasterium in Stiria Anno Domini 1112. fundâsse legitur, filius; is, inquam, eligitur Pataviensis Episcopus Año Domini 1092. Sedit ad gubernaculum annis 32. vir religiosus & pius, peregrinatus ad terram sanctam cum Thiemone Archiepiscopo Salisburgensi & aliis Principibus multis, quãdoquidem eo tempore Godefridus Bulionensis Comes, ac Lotharingię Dux, Hierosolymam è Saracenorum & Turcorũ manu magnanime recuperauerat. Inde Deo propitio feliciter reuersus, vt Deo gratus esset comiti itineris sui, & eundem ad maiorem ergà sese clementiam excitaret, condidit Anno Christi 1112, ad Traysmam amnem Monasterium S. Georgij, quod ex insula Danubiana postcà translatũ, Austrij hodie Herzogburgensē ab oppidulo, in quo situm est, appellant. 36.

IDEM Canonicis è Gotvvico eiectis Benedictinos introduxit, & eis Abbatem præfecit. Hic donauit Ecclesiæ Pataviensi prædium hæreditarium, in loco qui dicitur Mardingen, in prouincia Sueuia in pago Ogesgoue, cum omnibus suis pertinentiis; confirmat hanc donationem Heinricus quintus Imperator. Extat ibi diploma, cuius Datum Pataviæ, Año Domini M.C.XI. Obiit septimo Iduum Augusti, Anno M.C.XXIIII.

REGIMARVS, aliis Regimannus, & secundùm annales Reimatus, Vdalrico subrogatus. Præfuit annis 17, Pataviæ sedens, vir secularium rerum peritior, 37.

quàm

quàm spiritualium: In primis verò pecuniæ admodum studiosus, Melicense Cœnobium propter luxū Monachorum ad sese pertrahere voluit; sed Abbatis Erchenfridi industria & consilio impeditus est. Appellatur is in Patauiensium annalibus Ecclesiæ desertor, sed quæ occasio cognomenti fuerit, non extat. Apparet enim ipsum propagandæ & conseruandæ religionis studio deditum fuisse, & iuuentutis institutionem curæ habuisse, ex eo, quod de illo annotatum est, eum fuisse Autorē Principibus Bauariæ & Austriæ, aliisq; Regulis circumquaq; construendorum Cœnobiorum. Cœperunt huius Episcopi tempore Monasteria S. Crucis, Marianæ Cellæ Neuburgum, quod est sub Cœcio monte opulentissimum, Gluniacum, Baumgartenbergum, & in Bauaria Raitenhaslachium, & alia quàm plurima: fuit hac tempestate Pataui Magister quidam Arnoldus, qui in Clerum luxui & voluptatibus indulgentem sæpe inuectus, tandem captus & malè mulctatus est. Recuperauit hic Regimarus Episcopus, ope Lotharij tertij Imperatoris, decimas Parochiarū Nivvnburg, Holaprun, Gors, Pölan, Eckēdorf, Æuspach, Mistelbach, Valckenstain, Lizze, Murlicke, VVidefelde Maior, Pucka, Alhate, Heimburch, quas tam ipse Marchio Liupoldus, quàm generosi sui Antecessores seculari consuetudine non iure Canonico possederant, &c. & hoc etiam consensu filiorum Luipoldi, Adalberto & Luipoldo, idque pro tranquillitate & salute vitæ suæ, nec nō Conthoralis & omnis generosæ cognationis, &c Rursus Episcopus, gratitudinis ergò, decimas Niunburch Parochiæ Cœnobio S. Mariæ, quod idem Marchio religioso affectu construxerat, consensu Cleri sui, facta legitima transmutatione, per manū Domini Adalberti potenter delegauit, &c. Econtra Præpositus illius Monasterij quatuor virorum beneficia Kalmüntze sita, per manū Marchionis & Aduocati, Episcopo delegauit, &c. Facta est hæc cōmutatio Graffenstetn Anno Domini 1135. indictione 3. regnante Lothario 3 huius nominis Imperatore, anno Imperij eius 11. Decessit Antistes ille Añ 1141. secundùm annales 1140. pridie Calendarum Octobris.

38 REGINBERTVS, alibi Reinibertus, Comes de Pilenstain vel Peyhelstein, natione Austrius, ex eorū genere & familia ortus, qui Monasteria Austriæ, Paumgartenbergum, VValdhusium & Ehrla cum fundārunt, eligitur Episcopus Patauien. Anno 1140. Præfuit annis septem. Is Anno 1147. Canonicis suis dono dedit Ecclesiā Kirchperg ad VVacrinum, vulgariter VVachrein, & idem primus Oenum ponte cōiunxit. Antea enim tralectus erat per Oenum à S. Seuerini Templo, versus S. Nicolai Oratorium, & ante conditum istud Cœnobium, versus Templum S. Andreæ Parochiale. Episcopus verò iste S. Nicolai Præposito Adalberto dedit pro traiectu pagum Hartkirchensem, supra Schärdingensem ciuitatem situm; ipse autem ad pontem perpetuò conseruandum Ecclesias Maselkirchensem & illam, quæ ad Boietra fluuiolum S. Seuerino dicata, & è regione S. Nicolai adhuc conspicitur, deputauit; huius pontis curator & inspector est, quicunq; Oenanæ ciuitatis Parochus est.

HVIVS Reginberti tempore, Eugenius tertius Pontifex summus expeditionem pro recuperatione Palæstinæ instituit, cui & iste Episcopus interfuit, à qua in Patriā reuersus non legitur, dedicauit primariam Ecclesiam Viennensem, antequàm ad terram sanctam proficisceretur, Anno nimirum 1147. sequenti verò anno legitur ex hac vita emigrâsse, tertio Calendas Octobris.

39. CONRADVS Iunior, filius Leopoldi Pij, Marchionis Austriæ, ex Agnete Imperatoris Heinrici quarti filia longè speciosissima, germanus frater Ottonis Episcopi Frisingensis, eligitur ex S. Crucis Abbate Austriaco Episcopus Patauiensis Anno 1148. Præfuit annis 16.

IMPERATOR Fridericus primus huic Conrado, Patruo suo, Meerding villam, quam Conradus Rom. Rex VVelphoni Duci concesserat, in Conuentu celebri Babenbergæ

benbergæ, in præsentia VVelphonis auunculi sui restituit: Testes Episcopi, Eberhardus Babenbergensis, Gebhardus VVirtzburgen. Hartvvicus Ratisbonen. Conradus Aichstetensis, Daniel Pragen. VVadislaus Dux Bohemiæ, & frater eius Diopoldus, Heinricus Dux Austriæ, Fridericus Dux, filius Conradi Regis, Berchtoldus Comes de Andesse, Eckibertus Comes de Butone, Heinricus Præfectus Ratisbonensis, Rapoto Comes Abenbergæ, Cunradus Dux & Comes de Dachau, Marchuuardus de Grunbach, & filius Marchquardus, Babo de Zolling, Adalramus de Kambe. Reinaldus Cancellarius vice Arnoldi Mogunt. Archiepiscopi & Archicancellarij recog. Babenbergæ, quarto nonas Iulij, Anno 1157. Regni septimo, Imperij tertio.

Fvit hic Princeps egregiè doctus & Dei timens, iustitiæ fautor & defensor summus, pauperum Nutricius memorabilis, qui S. Egidij Xenodochio Patauino plurimum donariorum & prædiorum tradidit; sed & Patauiensi ciuitati suæ quatuordecim dierum annuas nundinas à festo S. Iacobi inchoandas in præstitæ fidelitatis remunerationem concessit primus Anno 1164.

Hic ipse laudabilis Antistes cum Friderico Barbarossa, fratris sui, scilicet vterini filio Imperatore Romam profectus magno tumultu, qui propter inuestituram Prælatorum inter Pontificem & Imperatorem exarserat, præsens interfuit, & non sine maximo periculo sese vindicem opposuit, Imperatorē lesæ Pontificiæ Sanctitatis reum publicè reprehendit, pluribus Pontificibus per discordiam designatis, ipse Alexandro legitimè electo adhæsit, obedientiamque debitam libens præstitit; tandē Pontifice Alexandro pristinæ dignitati restituto, cùm posteà Imperator Frid. Mediolanum expugnâsset, idem iste Conradus, Episcopus Patauiensis, eidem obsidioni & expugnationi cum aliis plurimis Germaniæ Episcopis, Principibus & Baronibus interfuit, vbi super S. Crucis Nidernburgensi Abbatia pro religione in ea reformanda priuilegium consecutus est, in quo Imperator illi Abbatiam cum omnibus possessionibus donat; ita vt singulis annis in Epiphania Domini 40. libras Ratisbonensis Monetæ, regio fisco de eadem Abbatia persoluat; excepta tum Aduocatia prædictæ Abbatiæ, cuius inuestituram sibi Imperator & suis Successoribus reseruat. Acta sunt hæc Anno 1161. Extat ibi diploma. Idem Anno 1155. año sexto Pontificatus, donauit quasdam areas & hortos, vt spaciosior esset locus pro habitatione Canonicorum Patauien. quibus etiam donat Petznkirchen & Svvainakirchen Anno 1159.

Hic illustris Conradus, Episcopus Patauiensis, mortuo Eberhardo, Archiepiscopo Salisburgen. per Alexandrum Pontificem, cui fideliter adhæserat, suffectus est, à quo & Pallium impetrauit, sedit Salisburgæ annis adhuc quatuor. Obiit 4. Calend. Octobris Anno 1163. sepelitur in Monasterio Admontensi.

RVPERTVS ab Imperatore Friderico aduersus Conradum, Alexandri Pontificis partes sequentem, Patauiensis Episcopus constituitur Anno 1159. Sed ab Alexandro excommunicatus cessit, huic mox ab Imperatore subrogatus est alius quidam, nomine Albero (diplomata Albonum vocant) Frisingensis Canonicus, & Præpositus Patauiensis Anno 1160. Is excommunicationem Pontificis contemnens, Patauij triennium sedit: Sed accusatus coram Imperatore de enormibus quibusdam criminibus exauthoratus est rerum Anno 1163. Albanum vocat Auent. & scribit eum vrbe exactum, quòd ab Vlrico Patriarcha Aquilegiensi & nonà Christiano Moguntino contra decretum Concilij initiatus foret, lib6. fol. 645. Idem Auent. in suis Rapsodiis lib 10. ita annotauit, Anno 1167 10. Calend. Augusti, Albonus electus Patauien. dat Syfrido Abbati Alderspacen. aream domus. Cogita quia numerus annorum non concordat. 40. Auent. fol. 645.

Hvic

Huic subrogatur ab Imperatore quidam Heinricus, Comes Bergen. ex Sueuia Auent. ibidem, homo decrepitæ senectutis. Is propter excommunicationem, quia à Moguntino consecrari renuerat, Auent. lib. 6. fol. 645. resignauit Episcopatũ post paucos menses. In præd. libro Rapsodiarum Auent. ita notauit, Anno 1172. Heinricus Episcopus dat Canonicis Chirchdorf.

Conrado verò in gratiam cum Imperatore redeunti, & ad Archiepiscopalem sedem Salisburgum vocato, Rupertus, qui prius excommunicationi Pontificis cesserat, ad gubernationem Ecclesiæ Patauien. repetitur, Anno 1164. Præfuit per vnius anni & quatuor mensium spacium. Obiit Anno 1165.

41. THEOBALDVS, Comes Bergen. in Sueuia, & Berchtoldi tertij Marchionis, Histriæ Sororis Gisalæ filius, & Heinrici, cuius proximè mentio facta est, (electi quidem sed propter Pontificum excommunicationem resignantis Episcopi) Germanus frater; ita Auent. in annalibus fol. 645. 656. 698. subrogatur illico Conrado Antistiti; sed, quia Pontificis magis quàm Imperatoris partes foueret, impeditur initio; admissus tamen posteà post Ruperti ex hac vita emigrationem, Anno nimirum 1165.

Ex priuilegio huius Episcopi, Monasterio Osterhouen. concesso, apparet, Episcopum hunc electum Anno 1176. Sic enim habet Datum illarum literarum in Palatio Patauiensi, Anno incarnationis 1188. indict. 10. sub Vrbano Papa 3. regnante Domino Friderico, Imperatore gloriosissimo, anno regni eius 37. Pontificatus Domini Theobaldi 12. Præfuit annis 20, omninò non inglorius: Canonicis enim suis Patauiensibus Ecclesiam S. Pauli Parochialem, intra Vrbem ad Tilias sitam, dedit Anno 1179. Testes, Perchtoldus Marchio, cognatus meus, Vlricus Comes, frater meus de Sueuia, Engelbertus de Blanckberg. Pro sustentatione autem leprosorum ad S. Egidium dedit Ecclesiam Zetenuuihensem, ad Oeni pontem conseruandum Ecclesias Parochiales, Muselchirchensem, VVieheflorianensem, & S. Seuerini ad Oenum sitam Anno 1182. Interfuit Comitiis habitis Ratisbonæ à Friderico Barbarossa, Monasterium Cremiphanense in hoc plurimum offendit, quòd Germanum fratrem suum Manegoldum sine Canonica electione intrudens, Abbatem illic constituerit.

Hoc verò laudis post se reliquit, quòd Pontificeale officium diligenter ipse executus fuerit, de obitu eius dubium est: ex diplomatibus Patauien. constat ipsum adhuc Anno 1188. in viuis fuisse. Aliqui enim scribunt decessisse eum ex hac mortali vita Anno 1189. tertio nonarum Nouembris, quo ipso anno, qui susceptæ à Friderico Barbarossa Asiaticæ expeditionis primus erat, Episcopus idem cruce signatus, duo Altaria in Ranshouen consecrâsse legitur. Alij ad terram sanctam vnà cum Taganone Decano suo peregrinatum esse verius scribunt, & in itinere, cùm redire in Germaniam vellet, peste correptum apud Arcam Peloponesi ciuitatem obiisse, & terræ mandatum affirmant, cui sententiæ summi Templi Patauiensis Chronicon & vetera omnia diaria suffragantur.

42. VOLFGERVS, vir nobilis de Ellenbrechtskirchen, in diuinis literis admodum eruditus, & autoritate præstans singulari, Theobaldo subrogatur Anno 1189. Præfuit magna cum laude annis 15. secundùm annales 14. Profectus est primo statim gubernationis suæ anno cum Imperatore Friderico Ænobarba, cum Regibus Franciæ & Angliæ, cum Leopoldo Austrio & aliis plurimis Principibus in Asiã, ad occupandam Ciliciam, & recuperandam terram sanctam; interim cùm quatuor annis abesset, domi graue bellum exarsit. Comites enim Ortenburgenses & Bogenses, ac quidam alij Bauarorum Reguli horum complices, inuocato Bohemorum etiam auxilio, non modò Ludouici Bauarorum prouinciam, sed & Patauiensem

fem Epifcopatum hoftili manu inuaferant, flammis & ferro omnia vaftantes, Anno 1193. fecundùm annales Anno 1199. Quos tamen Epifcopus anno fequenti fœliciter in Germaniam reuerfus, magnanimiter repreffit; In primis verò Rapathonem & Heinricum, fratres, Comites de Ortenburg, quorum omnia Caftra expugnauit, & folo æquauit: Confugerant hi in arcem quandam, Graben dictam, eam diutiffima obfidione cinctam, magna illîc ędita Ortenburgenfium ftrage, fortiter etiam expugnauit ac vaftauit. Propter hunc ipfum tumultum aliqui Bauarorum Reguli capite mulctati funt; in primis Godefridus à Stain, vir nobilis, publico iudicio victus, ac è medio fublatus.

Heinricvs fextus, Imperator & Rex Siciliæ, litem de feruis & feruabus inter Albertum Comitem de Pogē, & hunc VVolfgerum Epifcopum dirimit, vt ex æquo diuidant: Teftes, Otto Comes de Liumbnauc, Rapoto Comes de Ortenberch, Albertus de Cambe, VValchunus de Rotenberch, Moguntiæ Anno 1196. 2. Non. Iunij, extat diploma ibi. Auent. in Rapfodis lib. 10. annotauit VVolfgerum Anno 1197. peregrinatum Hierufalem. Confecrauit VVolfgerus Epifcopus Scotorum Monafterium Viennæ Anno 1198.

Castrvm Obernbergenfe, quatuor fupra Patauium miliaribus ad Oeni dextram fitum, idem VVolfgerus primus conftruxit, Anno eodem, quo Ortenburgenfes vicit.

Svasor fuit & Autor Confanguineo fuo Baboni, vt prædia quædā in Auftria, infra Anaffum fita, videlicet in Brunne & in Erlahe, cum pertinentiis, fimiliter Caftrū fuum gentile Ellenbrechtskirchen, cum aliis quibufdam prædiis in Boiaria fitis, Ecclefiæ Patauienfi dono daret, fi fine liberis decederet, Anno Domini 1194. Extat diploma ibi, ac illius copia in libro annalium; in quo multi teftes, tam Ecclefiaftici quàm feculares, partim ex liberis hominibus, partim ex Minifterialibus funt afcripti.

Eodem anno Heinricus fextus Imperator, filius Friderici primi, confirmat traditionē, quam Bertha, vxor Heinrici, Comitis de Altendorf, VVolfgero Epifcopo ea lege fecit, vt filij fui in feudum ab Epifcopo reciperent. Extat ibi diploma, cuius Datum Moguntiæ Anno 1197.

Charvs fuit VVolfgerus ifte Imperatori Heinrico fexto, & Philippo eiufdē fratri, qui Anno 1204. vacanti poft mortem Pilegrini Patriarchatui Aquilegienfi VVolfgerum eundem præfecit: Vbi cùm fediffet annis 14. obiit Anno 1218. fepelitur in Ecclefia Aquilegiana.

POPPO, Aquilegienfis Ecclefiæ in foro Iulij Præpofitus, & cuiufdam Cœnobij adhuc incogniti Abbas, VVolfgero Aquilegiam tranflato in fede Patauienfi fubftituitur Anno 1204. Præfuit per vnius anni & fex menfium breue fpatium. Obiit fept. Calend. Ianuarij, Anno falutis 1206. 43.

MANEGOLDVS, Comes Bergenfis, Theobaldi Epifcopi fuprà nominati Germanus frater, primùm Abbas Cremiphanenfis; tandem etiam S. Quirini, in Tigonno fuperioris Bauariæ lacu, Patauieñ. Epifcopus eligitur Anno 1206. Præfuit annis 9. fed parum fœliciter, contendit diu, & bellum grauiffimum geffit cum Rapathone, Comite Palatino, Anno 1212. Hoc bello & Bauaria attenuata eft, & maximam rerum fuarum iacturam fecerunt Epifcopales Ecclefiæ plurimæ & Monafteria Bauariæ; In primis Tegorinum & Afpacenfe, quæ incendio conflagrârunt, & folo tenus penè euerfa funt. 44.

Litem habuit Manegoldus cum Leupoldo, Duce Auftriæ, de iure Patronatus Viennenfis Ecclefiæ, &c. Dux ceffit liti: Teftes, Eberhardus Saltzburgen. Archiepifcopus; Epifcopi, Otto Frifingenfis, Conradus Ratisbonen. Sifridus Auguften. Con-

M radus

radus Præpositus Frisiaceñ. &c. Ludouicus, Dux Bauariæ & Palatinus Rheni; Diopoldus, Marchio de Hohenburch, Albertus Comes de Eberstain, Hartmannus Comes de VVirtemberg, Heinricus de Nyffen, VVernher de Bonlandia Dapifer, VValtherus Pincerna. Extat diploma Friderici II. Rom. Regis, &c. de Anno 1215. regni tertio, Augustæ, Non. April.

Consecravit hic Manegoldus Cœnobium Aldersпacense, non procul à Vilso fluuio Bauarico situm; ampliauit ciuitatem Patauien. Eam enim partem, quam hodie nouum forum appellant, mœnibus inclusit, fossaq; egregia muniuit; nouum ob hanc causam vectigal imponens, non diutius tamen durarurum, quàm donec ciuitatis ea pars, quæ nullis non calamitatibus exposita erat, muniretur; factum hoc est Anno 1209. Habuit beneficum Ottonem, Meroniæ Ducem, à quo emit pro feudo Comitis de Pilstain Ecclesię Patauieñ. tunc vacante, & pro 1800. Marcis Castrum VVindeberg, & Comitatum quendam à Regifluminis ponte, vsq; ad Illicensem fluuiolum, & à flumine Danubij ad terminum Bohemię, confirmante idipsum Philippo Imp. Anno 1207. Obijt Anno 1215. quinto Iduum Maij.

45. VDALRICVS, huius nominis secundus, Diepoldi, Comitis Bergensis, ex Domina Gisala, Comitissa Diessensi filius, Germanus frater Heinrici, Theobaldi & Manegoldi, Episcoporum suprà nominatorum, necnō Ottonis tertij, Episcopi Frisingensis, Canonicus Patauiensis & Austriæ Ducū Cancellarius, Ecclesiæ Patauieñ. creatur Episcopus, Anno, quo eius Antecessor ex hac vita decessit, 1216. hic primus annus fuit sui regiminis, ex diplomatibus ibi collegit Auent. in Rapsodis. Præfuit annis octo secundùm annales & 7. mensibus. Consecutus est priuilegium ab Imperatore Friderico secundo sub aureo Sigillo super feudo vexilli, vulgò Fanlehen, quod de Concambio antiquitùs inter Imperium & Cathedralem Ecclesiam Patauieñ. de regali nunc Cœnobio sanctimonialium, intemeratæ virginis & Dei genitricis Mariæ facto, tunc cessit Imperio: Quod feudum tunc vexilli, vulgò Fanlehen nūcupatum, illustris quidem Otto, Dux Bauariæ, ab Imperio dignoscitur assecutus. Hoc idem feudum dilectus Consanguineus & fidelis noster illustris Ludouicus, Palatinus Comes Rheni & Dux Bauariæ, ad preces nostras in manus Regiæ celsitudinis voluntariè resignauit, nosq; illud in continenti præfato Vlrico, Patauiensi Episcopo & suæ Ecclesiæ, liberaliter dignati sumus conferre & confirmare: Ipse autem Episcopus solicitè procurans Ecclesiæ suæ vtilitatem, ipsum feudum statim titulo legalis successionis contulit præfato Duci Bauariæ, ab ipso Episcopo & suis Successoribus non ab Imperio ratione feudi de cætero recipiendum & possidendum, &c. Ita sonant verba diplomatis, cuius Datum Anno 1218. anno regni Romano. V. Siciliæ XVIII. in solemni curia Nurmberg. 12. Calend. Feb. Idem Fridericus secundus ibidem, ac eodem anno 9. Calendas Februarij, eidem Vlrico Episcopo tradit Comitatum Ilsgone resignatum à Duce. Ludouicus enim Palatinus Comes idem & Dux Bauariæ ex concessione Imp. iure hæreditario quietum possedit; inde iure feudi ab Episcopo sumatur, &c.

Comitatvs iste, vt puto, Halsensis est, &c. quem idem Ludouicus Dux, acceptis 500. marcis Argenti, eidem Episcopo posteà resignauit: Testes, Conradus Comes de Moseburg, Chalhoh' Comes de Chirchperg, Vlricus de Scrobinhusin, Cōradus de Bairprunne, &c. Bozani Non. Sept. Anno 1220. indict. 8. Extat diploma.

Hvic Vlrico Episcopo Conradus, Comes de VVasserburg, crucesignatus, & ad terrā sanctā profecturus, primò impignorauit Comitatum Viechtēstain prope Danubium, cum pacto: Quòd si in itinere absq; liberis moreretur, Episcopo & Ecclesiæ suæ cederet; iuxta diploma Friderici secundi Imperatoris de Anno, &c. 1218. Qua de re, inter prædictum Comitem, ducta posteà vxore, & Gebhardum Episcopum,

successorem Vlrici grauis orta est contentio, plura damna hinc inde data, transactio posteà facta, Anno 1226. tamen res non planè sopita, Episcopus Gebhardus captus, 300. marcis Argenti liberatus; quę contentio vsq; ad Rudigerum Episcopū durauit, cui tādem Comitatus ille emptionis titulo cessit, Anō 1234. vel 44. vide latiùs apud Comites VVasserburgen. Extant diplomata.

IDEM Vlricus ex beatæ virginis Sacello Berchtoldsdorffensi Parochiam fecit ad preces fundatoris, Ottonis de Berchtoldsdorff, supremi Camerarij Austriæ; Castrū superius Patauiense in monte S. Georgij, vulgò Oberhauss appellatum, extruere cœpit Anno 1219. De inferioris autem Castri (vulgò Niderhauss) origine nihil extat; antiquissimum verò est, & ab Abbatissa quadam S. Crucis conditum creditur. Nam eius loci Abbatissarum illic olim sedes fuit & domicilium.

IDEM Antistes Vlricus Canonicis suis, præter donationem Pagorum Elminsvverd & Zaglovv, etiam octo libras annuorum redditúum tradidit, vt in antiqui moris memoriam, singulis saltem diebus Dominicis, simul in communi refectorio cibum caperent; pœnam verò transgressionis fundati census amissionem adiunxit.

CORAM Apostolicis deniq; Legatis Anno 1220. Synodum Patauiæ celebrauit, super vicesima omnium fructuum parte Romam toto triennio porrigenda, vt Innocentius tertius in Lateranensi Concilio constituerat.

IDEM Vlricus Episcopus pro eo, quòd conferret feuda vacantia per mortem Chelonis de VVessenberch fratri suo, percepit ab eodem fratre Castrum Griespach, & forum Velden, centum Huobas & 46. homines.

ANNO 1221. vnà cum Ludouico Bauarorum Duce Transmarinæ expeditioni interfuit, in qua Domyata ciuitas Ægypti ad Nilum sita, multo Christianorum sanguine capta; & paulò pòst iterum amissa est. Ex hac peregrinatione rediēs, in itinere, antequàm Patauiam venisset, obiit pridie Calendas Nouembris, Anno 1222. Auentinus ponit lib. 7. fol. 664. eum in Ægypto cum aliis periisse.

GEBHARDVS, Comes de Playn & Hardeck, Leupoldi Comitis ex domina Ita filius, ac Leutholdi, q cum aliis Damyatæ in Ægypto periit, Germanus frater, ex ea familia, quę Anō Christi 1260. in Ottone & Conrado, fratribus, sub Othacaro Rege Bohemorum, aduersus Belam Hungariæ Regem militante, exploratum missis & interemptis extincta est, & cuius monumenta adhuc hodie in Cœnobiis Reichersperge. & Heegeluerdensi visuntur; is, inquam, Patauiensis Canonicus eiusdem Ecclesiæ designatur Episcopus, Anno Christi 1222. 46.

HABVIT hic Gebhardus, nec non Eckebertus, Bambergen. Episcopus, grauem contentionem cum Alramo & Alberto de Hals, fratribus, & VVernhardo de Vttendorf, propter feuda VValckuni de Rotenberch, aliàs de Cham, quæ ipse prædictis suis patruelibus cōcesserat. Episcopis verò nolētibus consentire, defuncto VValckhuno, res coram Ludouico, Duce Bauariæ, in iudicium deducta, in reorum contumaciam, cùm bis citati non comparerent, sentētia pro Episcopis lata est, interfuerunt plures Assessores & Sigillares; quorū nomina vide in libro meo Stemmatū Bauariæ apud Comitem de Hals. Actum Strubingæ Anno 1224.

IN alio diplomate Gebhardus Episcopus fatetur, se de lite cum VValckhuni de Chamb Nepotibus in Castrum Rotinberch, per Ducem Ludouicum adiudicatum, per Raporhonem Palatinum Comitem Bauariæ missum in possessionem, rursum in feudum dedisse Anno 1226.

INTER hunc Gebhardum Episcopum, item Ludouicum, Comitem Palatinum Rheni, Ducem Bauariæ & Ottonem filium suum, conuenit in præsentia Archiepiscopi Salisburgensis, ne sinant ędificari loca Castri Niunberch, aut ea loca à Graben

vſq; ad Patauiam: Teſtes, Eberhardus Archiepiſcopus Salisburgen. Heinricus Epiſcopus Aichſtetenſis, VValtherus de Tannberg Anno 1225. Straubingæ.

Idem Ludouicus & Otto, Duces fatentur, in quodam diplomate: Quod cùm Albertus Comes de Pogen Epiſcopo Patauienſi ob Comitiam VVindebergæ iniuriatus, dum idem Epiſcopus iturus Romā in Landau eſſet, Comes commonitus à Ducibus, faſſus eſt ob amorem dilecti ſui Cōſanguinei Gebhardi, Epiſcopi Patauienſis, vi ſe poſſediſſe VVindberg, nullo iure, cui Epiſcopus contulit in feudum Sebach, & partem dictę Comitiæ denouo; ita vt vetera feuda non abalienaret Comes: Teſtes, Berēgerus Comes de Livvenberch, Alram & Albertus, fratres, de Hals, Heinricus de Lapide, Conradus de Hohenfels, Leutholdus Pinzerna, Perchtoldus de Ode, Fridericus de Pāſiſchinge, ex Clericis Abbas de Alderſpach, Magiſter Fridericus Notarius; Anno 1228. Calendis Martij, Landavv, &c. Præfuit annis 10. Canonicis ſuis, quibus tanquam munificus Pater duas Eccleſias in Grauendorf dono dedit, admodum inuiſus, etſi, quæ talis odij cauſa fuerit, ignoretur. Erat hoc tēpore grauiſſimum ſchiſma inter Imperatorem Fridericum ſecundum & Pontifices Romanos, quòd ſeminarium fuit multorum malorum in Germania. Nam quòd Epiſcopi Imperatori adhærebant, excommunicabantur à Pontifice, imò deponebantur. In hoc ipſo miſſus erat Roma Albertus, quidam Bohemus, Patauien. Archidiaconus, cum maxima poteſtate & autoritate, per vniuerſam Alemanniam, Bohemiam, Poloniam & Morauiam, exauthorando quoſcunque Epiſcopos, Friderici Imperatori adhærentes, &c. Hinc etiam, eodem Alberto autore, grauiſſima diſſenſio inter hunc Antiſtitem & Canonicos Patauienſes, à quibus ob hoc ipſum ciues capitalibus odiis diſſidebant, cùmq; indies magis ac magis malum ſerperet, in cædem tandem erupit: In qua Canonicus quidam Patauienſis, Eberhardus de Iahenſtorf, aliàs Iohanſdorf, mutilatis & truncatis omnibus membris ab ipſis ciuibus & trucidatus & excoriatus eſt, Anno 1231. De quo annotatum reperitur, quòd pro Eccleſiæ ſuæ libertate Martyrio affectus, non niſi quarto poſt occiſionem anno ſepulturæ traditus ſit, & ab aliquibus beatorum Martyrum numero ob id aſſcribitur. Huius cædis conſcius habitus eſt à ſuis Canonicis Gebhardus Epiſcopus, quem tam diu exagitârunt, donec Epiſcopatum reſignaret. Cùm verò ſummus Pontifex illum, quem innocentem iudicabat, amouere nollet, & Patauiam remitteret; adeò tamen non quieuerunt Canonici, vt quiduis vellent potiùs perpeti, quàm hunc Epiſcopum habere Dominum, quem ad extremum etiam per Albertum, Pontificis Legatum, ex Epiſcopali ſede pepulerunt Anno 1232. Miſerrima fuit tum temporis Eccleſiæ Patauiēſis facies. Trucidato enim Eberhardo Canonico, ſacra omnia ſuſpenſa ſunt; & Epiſcopo à Canonicis exauthorato, ſedes Epiſcopalis ſine gubernatore integrum annum manſit, quòd in ſchiſmate inter ipſos de Succeſſore non poſſent conuenire, adeò vt ad inſtantiam prædicti Alberti extraneum aliunde poſtulare maluerint, quàm ſibi ipſis honorem hunc fauere.

47. RVDIGERVS à Radegk, Epiſcopus Chiemenſis primus, in eadem Eccleſia Chiemenſi, cui 15. annis laudabiliter præfuerat, ad Epiſcopatus Patauienſis gubernationem, altercantibus inter ſeſe de electione Canonicis, acceſſitur Pontificia autoritate ab Alberto Archidiacono ſuprànominato, Pontificis Legato, Anno 1233. Præfuit annis 17. ciuibus & Canonicis non ingratus, Parochialis Templi, quod S. Paulo dicatum eſt, benefactor ſtudioſiſſimus.

Exavthoratvr Anno 1250. ab Innocentio quarto, non officio tantùm, ſed & beneficio omni exutus, quòd in ſchiſmate Friderico ſecundo nimis fauere viſus fuerit.

Secvndo

Secundo anno gubernationis huius Episcopi, Eberhardus de Iahenstorff occisus Canonicus, quatuor annis post ipsius cædem in Ecclesia Patauiensi, ipsa die S. Ioannis ante portam latinam, die eadem, qua trucidatus fuerat, honorificè sepelitur.

In suprà dicto magno Schismate inter Fridericum secundum & Pontificem Romanum, cùm Fridericus Dux Austriæ ab Imperatore ad Comitia Moguntiam citatus, comparere nollet; Otto Bauariæ Dux, mandato Imperatoris, vnà cum Rege Bohemiæ, Patriarcha Aquilegiensi, Pappone Bambergen. Rudigero Patauien. & Conrado Frisingen. Episcopis sumptis armis, Austriam & Stiriam vastârunt, Linzium frustra obsederunt, Anno 1236. In quo bello Patauiensis & Frisingensis, Episcopi, à Friderico capti sunt; tandem, datis & acceptis hinc inde grauibus damnis, res composita est

Circa hæc tempora sepe memoratus Albertus Archidiaconus, quòd in bello contra Fridericum Austrium (à quo captus & re composita dimissus est) Rudigerum Episcopum offenderat, quòd nimis pertinaciter Pontificis partes tueretur, nouos motus contra Cæsarem subinde excitaret & Priuilegijs Canonicorum insidiari videretur, vnanimi & Episcopi & Canonicorum consensu, omnibus facultatibus exutus, Vrbe eiicitur, Anno 1237. Hic Romam confugiens, expositis summo Pontifici suis malis, redit in Germaniam armatus fulmine excommunicationis in omnes, qui à partibus Cæsaris starent. Quod cùm intellexissent Bauariæ Episcopi, maximo Principum Cōuentu Ratisbonam indicto, cui Eberhardus Salisburgensis Archiepiscopus, Rudigerus Patauiensis Episcopus, Sigefridus Ratisbonen. interfuerunt, Otto Bauarorum Dux Albertum Archidiaconum, quem Roma redeuntem honorificè exceperat, & diu eidem hospitium præbuerat, mutato Episcoporū precibus animo, publico edicto ex tota Bauaria proscribit; Albertus vt sese vlcisceretur, Templorum omnium decimas ac prouentus suarum partium Nobilibus distribuit; cuius rei occasione plerique Nobilium, in primis Comites de VVasserburg & Schaunburg, omnem finitimam Bauariam, Cœnobia & Templa, ferro flammisq; deuastant, & Ecclesiastica bona sibi vendicāt & vsurpant omnia. His auditis, Imperator Fridericus, missis Legatis ad Egram, Anno 1243. Ottonē Boiorum Ducem cōad Comitia Principum accersit, q absq; omni mora comparuit, seseq; purgauit, quòd Alberto hospitium præbuisset, indicās se ignorâsse, quæ fuerint ipsius negotia. Postquam verò ea intellexisset ex Episcopis suis, statim sese, eum ex omni sua prouincia proscripsisse, sic tota Bauaria Imperatori reconciliata, eiusdem partes posteà acerrimè defendit; aduersabatur Imperatori adhuc Fridericus Austriacus. Is Ottoni Duci Bauariæ propter desertum Albertum parum propitius, cum Heinrico de VValdeck, Episcopi Patauiensis perfido quodam, Ministeriali ac Obernbergēsi Præfecto paciscitur, de Arce Obernbergensi sibi tradenda, quam, cùm facilè nactus esset, cōmisit eam, & armis & commeatu instructam, Bernhardo & Vlrico, Comitibus de Schaumberg, Anno 1244. Vt ex ea Ottonem Bauarorum Ducem oppugnaret. Otto eam Arcem obsidione cinxit sesquimestri, sed expugnare non potuit; Albertus etsi ex Bauaria proscriptus, tamen in ea latuit cumq; Episcopis, dum in Arce VVernstein moraretur, à VVilhelmo cognato suo proditus, & mille argenti Marcis venditus esset; patefacta proditione, elapsus, in aliam Arcem, Chirnbergensem confugit, vbi spacio añi & sex Mensium etiam latuit; sed & hoc loco Episcopis proditus: Cùm illi obsidionem pararent, nec satis cautè aut maturè in negocio progrederentur, ipse animaduersis insidiis VVasserburgium confugit, vbi itidem per dimidium annum latuit, donec Anno 1245, in Bohemiam secedens, per VVenceslaum Regem Sifrido Moguntinen. Archiepiscopo, à se prius exauthorato, recōciliaretur, cum quo per Germaniam in Gallias ad Pontificem, Lugduni tum sedentem, proficiscitur, vbi

Innocentij quarti iussu in Presbyterum ordinatus est, à quo Decanus antea electus Patauiensis & Parochus VVeytensis confirmatur. Miserant iam Episcopi ex tota Germania Legatos ad Pontificem, cui volebant reconciliari; cui negotio etiam iste Albertus adhibitus est, qui compositionis huius Lugdunensis occasione sperabat se aliquando Episcopum Patauiensem fore: cum nunciis itaque Rudigeri, quibus per Pontificem reconciliatus erat, Patauiam redire statuit. At cùm venisset, Patauiam ab Episcopo est prohibitus ingredi; in arce igitur VVasserburgensi diuertit, & apud eius loci Comitem Conradum commoratur. Quod cùm accepissent Episcopi, & Principes Bauariæ VVasserburgium obsidione cinxerunt, Anno 1248. Fugientibus verò Alberto & Comite Conrado, Ludouicus Boiorum Dux totum Comitatum VVasserburgensem occupans, in suam potestatem redegit, Albertus ad Pontificem Lugdunum reuersus, tantum effecit, vt Rudigerus contra voluntatem Conradi quarti Regis & Ottonis Boiorum Ducis Anno 1249. Aquisgrani Pontificia autoritate per Legatum quendam, Petrum Capuciū, Diaconum, Cardinalem exautoraretur, & speciali Pontificis mādato, in vniuersum ab Episcopatu amoueretur; addita etiam hac ignominia, vt quicquid per ipsum factū & ordinatum esset, id irritum haberetur. Subrogatus est eidem Berchtoldus, Comes de Pietengevv, Dominus in Sigmaringen: Cui cùm Rudigerus cedere nollet, ad arma Berchtoldus animum adiecit, & Anno 1249. circa festum beati Martini, vnà cum fratre suo Comite à Sigmaringen, plurimisq; Ecclesiæ Patauiēsis Nobilibus, quibus ex rapto viuere dulce fuit, magnam Episcopatus partem, vsq; ad Brunonium & VVilhardum, ferro & igni depopulatus, iumentorum ac pecorum 1500. capita insontibus agricolis abegit. Cuius rei indignitate commoti Reguli Bauarorum, præcipuè Alramus de Vtendorf, Ortholfus de VVald, Heinricus de Ror, armis subitò correptis, vexilloq; sacro ex Templo Neukirchensi rapto, hostes insecuti sunt, & in fugam verterunt, trucidatis pluribus, prædam recuperârunt, fratremq; Berchtoldi, Comitem de Sigmaringen, duos de Morspach fratres, VVilhelmū item de Prambach, & plerosq; alios capiūt, & Burchusium adducunt; Rudigerus Episcopus cedere tādem Episcopatu coactus est, Anno 1250. Nam nec Pontifex ei reconciliatus est, & Albertus contra eum cœlum & terram fatigare non destitit. Vixit autē post depositionem adhuc 4. annis, ita annotauit Auent. lib. 10. Rapsodiarum fol. 51. Albertus iste tandem à Patauiensibus captus & excoriatus est secundùm annales Patauienses. Hic Rudigerus Episcopus permutationem fecit cum Syfrido, Episcopo Ratisbonē. dans illi Vsnusen & recipiens Strassvvalchen & VVisselburch, Anno Domini 1243. secundùm diplomata ibi.

48. CONRADVS, Ducis cuiusdam Polonici filius, & Bohemiæ Regis Nepos, tantum apud Albertum Decanum pollicitationibus effecit, vt nō solùm Rudigero exauthorato substitueretur; sed etiā Berchtoldo anteferretur. Castrum enim Bubuz Alberto dono dedit iste Cunradus, cum omnibus iuribus ad ipsum pertinētibus. Factus est itaque Episcopus Patauiensis, Anno 1250. Præfuit per anni vnius & trium mensium spatium, &, quia gubernationem vidit plenam contentionis, Episcopatum deseruit, & in Patriam Poloniam reuersus, animum ad ducendam vxorem adiecit: Duxit verò Odovviczij Polonici cuiusdam Ducis filiam, Alberto Decano gratitudinis ergò, quòd ipsi ad Episcopatum promotor fuerit, arces VVildenstain & VVolscherstain cum adiacentibus villis & iurisdictione tradidit; assignauit eidem Patauiense vectigal, & Canonicorum, qui eius electioni aduersati fuerant, beneficia, datis insuper priuilegiis, ei confirmauit: Rediturum itaq; in Patriam Conradum equis quatuor, & viatico 66. marcarum puri Argenti Albertus instruxit, Coloniæ etiam pro eodem in centum marcas Argenti sponsor factus est.

CONRA-

Conradvs in Poloniam reuersus, duobus fratribus suis captis, solus obtinuit gubernationem. Nec quicquam aliud in Patauiensibus Annalibus de eo scriptum inuenitur.

BERCHTOLDVS, Comes de Pietengevv, Zigenhein & Sigmaringē, Vicedomini Ratisbonensis, sed & eiusdem loci Antistitis Alberti Germanus frater, paterno genere Hessus, materno Sueuus, is aduersus Rudigerum ab Alberto Decano electus, Anno 1249. cùm ad Episcopatum non admitteretur, et ferro flammisque omnia vastaret, inuisus ob id multis illicò esse cœpit, & licet Rudigerus cęderet Episcopatui, tamen ne tunc quidem admissus, sed Conradus iam nominatus largitionibus sibi viam ad sedem Patauiensem aperuit. 49.

Redevnte verò ipso in Patriam; tandem Berchtoldus ad instantiam Alberti Decani, & Alberti Episcopi Ratisbonensis à Canonicis, qui Marquardum Mosbachium electuri erant, post plurimos labores 17. Calend. Iulij, Anno 1251. vnanimi consensu recipitur. Metuebant enim Canonici, quòd scirent Leodij aliquem externum Decanum, nimirum quendam Coloniensem, ab Albensi Episcopo & Pontificis Legato Petro, autoritate Apostolica, confirmatum esse Episcopum Patauiensem, quem facilè sese propulsuros sperabant Duce hoc Berchtoldo. Electus itaque concorditer Berchtoldus, mox regalia apud VVilhelmum Hollandiæ Comitem, electum Roman. Regem facilè obtinuit. Nam Regem ipse adiit, coramque causam suam egit, & præclarè expediuit, rediens ex Longobardia per Acronium lacum ac Sueuiam, longis itineribus Bohemiam petit. Neque enim ipsi tutus erat per Bauariam transitus, quòd Otto Boiorum Dux, cuius prouinciæ partem deuastauerat, inito cum Patauiensibus ciuibus fœdere, omnem ei directum ad Patauiam aditum intercluserat. Societate itaque cum Rege Bohemorum facta, & consiliis cum eo habitis, auxilio & præsidio eiusdem fultus, cum quibusdam Bohemię Regulis, Baronibus & Nobilibus Bauariam ingreditur. Patauiam verò ingredi prohibitus, in Neuburgense castrum vicinum, medio verò inter Patauiam & Scherdingum itinere, ad Oeni dexteram situm, cum suo Equitatu sese recipit. Ibi cùm per aliquot dies latitaret, cum ciuibus quibusdam, & præcipuè Ministerialibus per internuncios de occupanda per insidias vrbe consultare & pacisci cœpit; ab his pecunia corruptis in festo sanctorum, Prothi & Hyacinthi, Mense Septembri per portulam, quam hodie vulgò das verlorn Thörlin nominant, noctè clàm intromissus, ciuitatem armata manu ingressus, Alberti Ratisbonensis Episcopi auxilio in breuissimo temporis spatio Episcoparum recuperauit. Præfuit annis tribus, admodum inclementer tractans suos ciues & Clerum, cuius libertates & priuilegia multis modis violauit & attenuauit, æs alienum conflabat magnum, nusquam non corradens, quo Nepotes suos ditaret, ac Neptibus dotem de Episcopatus etiam facultatibus augeret, dicens: hac munificentia quærere se Ecclesiæ Patauiensi Amicos, Patronos, ac rebus dubiis defensores.

Prismislao seu Ottocharo, Bohemorum Regi, ac Austriæ Duci feudum Austriæ & Styriæ (cuius inuestitura antiquitus ad Patauiensem Ecclesiam pertinebat) cum duodecim Ecclesiis parecialibus vendidit 4000. Marcarum argenti. Vt huic venditioni Canonici suffragarentur, dedit illis Parochiam Holbrunnēsem, perpetuis temporibus liberè possidendam, vectigalia, Obernburgense, Mœrspacenseac Pa[illegible]ense in triplo auxit. Eidem quoque Ottocharo plura alia & maxima feuda, quæ in Austria habuit, post mortem Ducum Austriæ contulit, cùm Austriam occasione matrimonij, quod cum filia Luipoldi Ducis Austriæ contraxerat, occuparet, Anno 1253.

Erat Canonicis admodum infensus, sed & inuisus, quòd magnam in eos exerceret tyrannidem; horum vni aliquando oculos erui, ac aures & nasum abscindi

 iussit.

iussit. Cumque is ex eo dolore moreretur, caput eius Romam missum, ac Pontifici ostensum est, qui deformi spectaculo motus, exauthorari & ex Episcopatu eiici eum iussit; quod & factum fuisset, nisi morte citiùs quàm mandatum Pontificis venisset, sublatus esset. Obiit Anno 1254. sepelitur in Ecclesia Cathedrali, iuxta sepulchrum Iahenstorphij.

50. OTTO de Lonstarf, aliàs de Lenstarf, Castello non procul ab Abensperg, secūdùm Auent. lib. 7. fol. 703. vir generis & virtutis nobilitate conspicuus, natione Bauarus, ex Patauiensis Ecclesiæ Canonico & Thesaurario & Archidiacono Maticensi Episcopus designatur, vnanimi omniū Capitularium consensu Anno 1254. Sedit annis 11. mensibus 2. vir prudentia, maturo consilio, mansuetudine & iustitia clarus, religionis Catholicæ fautor & Custos cum singulari zelo, quo Pontificalia munera ipsemet obibat. Hactenus Annales Parauienses.

Hic initio suæ gubernationis Bauariæ Ducibus, Ludouico & Heinrico, recōciliatus, sacra triennio suspensa Bauariæ reddidit; pacis siquidem & tranquillitatis publicæ conseruandæ studiosiss. & qui probè nosset, & multa iam didicerat experiētia, quantum mali & ęrumnarum infelix post se trahat discordia, iisdem Ducibus feuda, quæ Comites à Pogen, necnon Rapato, Comes Ortenbergensis, ac Palatinus Bauariæ ab Ecclesia Patauiensi in beneficium tenuerant, cum Capituli consensu concessit: Dux Heinricus econtra cessit iuri suo Castrensi in Obernperg, cum aliquot aliis concordiæ Capitulis. Iuxta diploma Heinrici Ducis Bauariæ, quod Patauiæ extat de Anno Dñi 1262. 18. Calendas Iunij; Testes, Fridericus Burggrauuius Nürnbergeñ. Albertus de Halls, Heinricus de Rorbach, Otto de Fraunberch, Heinricus de Pholing, Grimoldus de Preising, Heinricus de Ror, VVinmatus Asinus, Hartliebus de VVintzer, Richerus de Ahaim, Heinricus de Harthaim, Otto de Trunna, &c.

Fromb Esel.

Hic Episcopus donabat fructus primi anni beneficiorum omnium suæ collationis ad fabricandam Ecclesiam Patauiensem, strenuè animaduertebat in Monasticos cœtus, &, si quos à regula discessisse moribus & vita intelligebat, seuera reformatione in meliorem vitam reduxit, Abbatem Rudolphum Monasterij Cremiphanensis, non admodum Monasticè viuentem exauthorauit, Monasterium Cellę Meraniæ in Austria, non procul à S. Crucis Cœnobio situm, ac alia minora Templa plurima consecrauit. Interfuit coronationi Othochari, Bohemorum Regis, quæ Pragæ celebrata est, Mense Aprili, Anno 1261. Obüt Anno 1265. sepelitur in Ecclesia Cathedrali ante altare S. Bartholomæi, cum tali inscriptione: Anno Dñi 1265. 5. Iduum Aprilis, obüt Otto de Lonstorf, Patauiensis Episcopus.

51. PETRVS, Artium & Philosophiæ Magister, vir in diuinis & humanis literis apprimè eruditus, Vlasdilai Poloniæ Ducis in Paduano gymnasio Pedagogus, Viennensisq; Ecclesię primariæ Parochus, Patauiensi Ecclesiæ Episcopus, tali occasione præfectus esse legitur; Electus erat vnanimi Canonicorum consensu, statim post obitum domini Otronis prædictus Vladislaus, Heinrici Silesiorum Ducis filius, quem Patauienses Catalogi Poloniæ Ducem vocant; sed is Princeps mira virtute & humanitate præditus, cùm paucis Mensibus Patauij sedisset, concordibus Canonicorum Salisburgensium suffragiis, ad vacantem eodem tempore S. Ruperti Ecclesiam Metropolitanam gubernandam accersitus est: Cùm verò mitterentur Legati Romam, Pontificis cōfirmationem petituri, Vladislaus, data ad Romanum Pontificem Epistola, pro domino Petro Pædagogo olim suo intercessit; Pontifex Clemens quartus vtrique petitioni annuens, Vladislaum Metropolitanæ Ecclesię Salisburgensi; Petrum verò Patauiensi sedi præfecit, Anno 1266. Præfuit iste Petrus annis penè 14. quietis & pacis custos, & de Episcopatu benè meritus; sed cui cum ci-

nibus Pataujensibus non perinde conueniebat, à quibus inclementer tractatus legi-tur, etsi causæ reticeantur.

INTERFVIT Viennensi Concilio, cum aliis Bauariæ Episcopis, Anno 1267. In quo actum est de pace inter Othocarum, Bohemiæ Regem, & Heinricum Ducem Bauariæ.

RVODOLPHVS, Romanorum Rex, confirmat huic Petro Episcopo Mutam in Obernberg, à claræ memoriæ Friderico Rom. Imp. cōcessam, Testes, &c. Anno 1276. Patauiæ in castris. Ruodolphus Rex pmittit huic Petro Episcopo villas suas, S. Hippolytum, Euerding, Amstettn, munire fossis mœniis vt vult. Viennæ, in cuius obsidione atque occupatione cum Rudolpho erat, Idus Decembris, Anno 1276. regni quarto. Cùm eidem Ruodolpho Rom. Regi, sumptus militiæ in Austria desecissent, inter cætera fidelia obsequia Frid. Archiepiscopus Saltzburgeñ. Berchtoldus Bambergeñ. Leo Ratisboneñ. Petrus Patauieñ. Dietricus Gurceñ. Ioan. Chiemensis, VVernhardus Seccouieñ. Episcopi, consensère de prædiis eorum Monasteriorum, Templorum, Austriæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Marchiæ, subsidium, tollerabile donarium sola liberalitate: nullū igitur postulare debere. Extat diploma Ruodolphi Regis. Datum Viennæ 5. Calend. Iunij, Anno 1277. regni quarto.

IDEM Ruodolphus hunc Petrum Episcopum laudat à fide & obsequio, & ait, quòd feuda Austriæ contulerit filiis suis, Alberto, Hartmanno, Ruodolpho: Testes, Episcopi, Berchtoldus Bambergensis, Ioan. Chiemēsis, VVernhardus Secouiensis, Albertus Dux Saxoniæ, genernōster, Albertus & Hartmannus, filij nostri, Comites de Habspurg, Fridericus Burggrauius de Nūrnberch, Eberhardus Comes de Katzenelenbogen, Marchio de Hochberg, Philippus de Bolandia, Vlricus de Tanvers, Magister Gotfridus, Præpositus Sabioneñ. Prothonotarius, Otto de Berchtoltstorf, Camerarius Austriæ, Vlricus de Pylichdorf, Dapifer Austriæ. Datum in noua ciuitate 8. Idus Decembris, Anno 1277. regni quarto.

PETRVS Episcopus Pontificalia munera ipse omnia obiuit diligenter, consecrans plurima Templa; inter præcipua verò, Monialium portæ cœli, ac S. Nicolai Viennæ. Obiit Calendis Maij, Anno 1280. Tulnæ in Austria. Sepelitur in meditullio Patauiensis Templi ante aram S. Valentini, sub lapide inscripto: Anno 1280. 10. Calend. Maij, obiit dominus Petrus, Episcopus Ecclesiæ Patauieñ.

VVEICARDVS, aliis Bicardus, Heinrici Nobilis viri à Polhaym filius, Ma- 52.
tre domina Geuta, Diethericí à VVeissenburg filia, prognatus Austrius, morienti in Tulna Petro substituitur Anno 1280. Consecratur Viennæ vnà cum Conrado Hindbergero, Chiemensi Episcopo, 3. Non. Maij à fratre Paulo Minorita, Episcopo Tripolitano, ac ad Rudolphum Habspurgium Imperatorem legato Pontificio. Præfuit fœliciter annis tribus. Testis introducitur in fundatione Monasterij Tulnensis, quod Anno 1280. sancti Dominici sororibus ac fratribus construxit Rudolphus Habspurgius, vt Deo gratus esset, pro præstito sibi auxilio contra Othocarum seditiosum, Bohemiæ Regem, vt verba diplomatis sonant. Confirmauit hoc eodem anno Cœnobiolum in VVeelsensi patrio suo oppido Franciscanis Monachis ad Trunam amnem, eo ipso loco à se & fratre suo Alberone constructum, vbi antea fuerat Sacellum quoddam à Sigmaro quarto, Abbate Lambaceñ. circiter Annum 1080. erectum. Consecrauit hic quoque Ranshoueñ. de integro; Auentin. lib. 7. fol. 716. Hic quoq; vnà cum Heinrico, Ratisbonensi Episcopo, inter Albertum Ducem Austriæ, & Heinricum Ducem inferioris Bauariæ pacem facit; Ibidē obiit VVeicardus, Anno 1283. sepelitur Patauiæ ad S. Stephanum, ante aram S. Mariæ Magdalenæ, cum inscriptione: Anno 1282. obiit VVichardus, Episcopus Patauieñ. 16. Calend. Ianuarij.

53. GODEFRIDVS primus, natione VVestphalus, vir doctrina & prudentia clarus, Rudolphi Habspurgij Secretarius, vt fidei suæ ac laborum pro regno & Rege toleratorum haberet iustam remunerationem, Senatui Patauiensium Canonicorum à Rege commendatus, eorundem vnanimi consensu ad Episcopatus gubernationem electus est Anno 1283. Præfuit, vt Episcopum decet, piè & fideliter per biennij spatium. Eius anniuersaria peragũtur ante altare S. Bartholomæi, circa festum Tyburtij, expulit seditiosos Monachos ex inferiori Altachio, qui, conspiratione in Abbatem suum Volcmarum facta, cognatis suis trucidandi ipsius autores fuerunt, Auent. lib. 7. fol. 716.

54. BERNHARDVS, Nobilis vir de Prambach, Austriacus, Canonicus Patauiẽsis, ac Viennæ ad S. Stephanum, ante restitutum ibi Episcopatum Parochus, ab Alberto Austriæ Duce, Rudolphi Habspurgij filio, Patauiẽsi Ecclesiæ commendatus, eidem præficitur Anno 1285. Præfuit laudabiliter annis 30. vir admodũ mitis & mansuetus, &, qui erga omnium ordinum & conditionum homines humanitate vteretur singulari, Angelorũ Cellæ Cistertiensis Monasterij, tribus infra Patauiã miliaribus, in dextra Danubij, & in ipsius Austriæ initio siti, fundator, Anno 1293. Huic Monasterio omne suum patrimonium impẽdit; in quo volebat & Monachos Bernhardinos Deo seruituros ali, & pauperes viatores ex Euerdingo Schaumburgẽsium Comitum, percelebri oppido, per loca parum tuta Patauiam ascẽdentes, hospitio excipi, ciboq; ac potu refocillari. Sic enim fundationis diploma habet, in summa Basilica Patauiensi chorum, vnà cum subterranea testudine, cryptam vocant, ruinã minitante præclarè renouauit & illustrauit.

OPPOSVERVNT sese huic Antistiti ciues Patauienses, iugum Episcopale excutere volentes, & ab omnibus tributis liberi esse cupientes, campanamq; ad conuocandam plebem, & sigillum more imperialium ciuitatum sibi fecerant: Episcopus igitur ex vrbe discessit cum omnibus Canonicis & toto Clero, suspensisq; sacris ad arma coactus, Machinis bellicis è monte S. Georgij ciues impugnauit, & grauissimè afflixit; res ad Albertum Austriacum, tum Romanorum Regem, ab vtraq; contendentium parte delata, composita & transacta est, vt nimirum ciues sigillum & campanam Episcopo traderent, & domino suo obtemperarent. Episcopus illis ignouit hac vice; ita tamen, vt pro satisfactione 2000. libras Patauiẽ. monetæ ei soluerent, alibi quòd sanctarum Virginum Cœnobio, &c. Extat diploma Alberti Regis. Datum Nuenberg Anno 1298. prid. Calend. Decembris, regni primo.

Auentinus habet 300. libras, libro 7. folio 715.

HIC EPISCOPVS corpora sanctorum, Maximi & Valentini, in eum sublimiorem Ecclesiæ Cathedralis locum collocauit; in quo adhuc hodie eorum visitur sepulchrum. Idem quoq; pro reparatione ac sustentatione pontis Oeni, necnon leprosis in S. Egidio ibidem habitantibus de consensu Capituli, ex suis proprietatibus, certos redditus, bona, Ecclesias cum suis dotibus ac decimis &c. donauit ac tradidit, Anno Dñi 1292. Extat diploma huius traditionis ibi, &c. Interfuit Conuentui Principum Bauariæ, Austriæ, Carinthiæ, item Conradi Archiepiscopi Salisburgẽ. ac aliquorum Comitum, Pataulæ, vbi post diuturnum bellum plurima accepta & data damna reconciliati sunt, Anno 1312. Auent. fol. 741. Obiit Anno 1314. 5. Calendas Augusti, sepelitur in Templo S. Stephani ante aram S. Iodoci sub lapide inscripto: Anno Dñi 1314. in die S. Panthaleonis Martyris, obiit dñs Bernhardus de Prambach, Episcopus Patauiensis, Anno sui Pontificatus 30.

55. ALBERTVS secundus, Saxoniæ Dux, Alberti Ducis, ex filia Rudolphi Habspurgij, domina Agnete, Austriæ Ducissa, filius, Alberti primi Austriæ Ducis ac Rom. Regis è Sorore Nepos, Alberti Claudi ac sapientis consobrinus, ex homine laico Patauiensis Ecclesiæ Antistes lectus est, Anno 1322. Ioanne XXII. Pont. Max.

etiam

etiam annuente. Mortuo enim BERNHARDO, diu vacauit Sedes Epiſcopalis, propter diſſidenres Canonicorum ſententias. Maior enim pars GEBHARDVM quendam de VValſee poſcebat; (erat hæc admodum potens tum temporis apud Auſtrios familia) Minore ALBERTVM Auſtriæ Ducem, eiusnominis ſecundum, ALBERTI Regis filium, qui ſapiens & claudus vocatus eſt, poſcente. Cùm itaque non poſſent in electione conuenire, ad Romanum Pontificem, tanquàm arbitrum prouocatum eſt: Adquem cùm Gebhardus dominus de VValſee ipſe Romam proficiſceretur, & pro clauo Patauienſis Eccleſiæ per biennium contenderet, morte ſibi ſublatus eſt. Obtinuerat iam Epiſcopatum Patauienſem prædictus ALBERTVS Auſtrius, ex Viennenſi Parocho factus Epiſcopus; ſed videns ille fratres ſuos ſine prole rebus humanis exemptos, partim etiam ſterilia Coniugia conſequutos eſſe, vxorem ducere decreuit: Et ob id Canonicis Patauienſibus pro oblato ſibi honore gratias agens, Amitinum ſuum, Saxoniæ Ducem Albertum, ex Agnete Patris ſui Sorore natum, iiſdem ſtudiosè commendat, &, quod orauit, fœliciter etiam obtinuit. Ipſe ex diſpenſatione Summi Pontificis, Vlrici Phirretarum, vltimi Comitis filiam Iohannam, vltimam huius familiæ, vxorem duxit, cum qua totius eius Comitatus, qui Heluetiis vicinus eſt, factus eſt ex aſſe hæres. Albertus Saxo autem à Pontifice Maximo, vt ſuprà dictum, confirmatus, à Salisburgenſi item Archiepiſcopo, Friderico à Leibnitz, conſecratus; paulò pòſt Viennæ in Cœnobio Prædicatorum, præſentibus, Friderico, Alberto, Heinrico & Ottone, fratribus, Auſtriæ Ducibus, ſed & Regina & omnibus Aulæ Magnatibus, primum ſacrum magna cum laude fecit. Sedit ad gubernaculum annis 22. magnamque Nobilium frequentiam non ſine detrimento Eccleſiæ Patauienſis aluit, conflauit æs alienum grande; vnde moriens reliquit Epiſcopatum obæratum. Obiit ipſa die Pentecoſtes, Anno 1342. ſepelitur in ſummo Templo Patauino, ante altare ſancti Bartholomæi. Ioannes Cuſpinianus in vita Friderici competitoris, Ludouici quarti Imperat. ſcribit hunc Albertum in electione Roman. Regis votum ſuum dediſſe Friderico Auſtriaco. At Ioannes Dux Saxoniæ, Elector, votum ſuum Ludouico dedit, quę pars quoque præualuit, &c. Hic enim electioni Francfordię pręſens interfuit, ac ius eligendi ad ipſum pertinuit, non ad Albertum, &c.

GODEFRIDVS de VVeiſſeneck, natione Styrius, frater Ortolphi, Archiepi- 55.
ſcopi Salisburgenſis, Alberto ſucceſſit. Præfuit nō ſine laude annis 20. & menſibus quatuor, rerum politicarum quàm ſacrarum peritior. Deceſſit ex hac lachrymarum valle, Anno 1362. ſepelitur Patauij in Templi ſuperioris abſide Septentrionali, ante altare Corporis Chriſti, cum hac inſcriptione: Anno Domini 1362. obiit dominus Godefridus de VVeiſſeneck, Epiſcopus Eccleſiæ Patauienſis. Is prudenti gubernatione Eccleſiam Patauienſem plurimùm promouit & auxit, pluribus inſignibus & regalibus ædificiis erigendis præcipuè deditus. Epiſcopales enim curias, Patauienſem, quæ in Oenum, Viennēſem, quę in Danubium proſpicit, Schuadorfenſem & Vinckenſtainenſem renouauit, ac ampliores auguſtioreſque fecit; arces Tannbergēſem & Rennariedl ad Rhenaui in Danubium exitum, vulgò Ramriedl dictam, ipſe primus emit Anno 1343. reliqua Epiſcopatus Caſtra omnia inſtaurauit de nouo, & præclariùs, quàm antea fuerant, muniuit.

SVB EIVS gubernatione magnus legitur eſſe factus terræmotus, Anno Domini 1348. quo Patauienſis etiam vrbs quaſſata, & ſancti Nicolai antemuranum Oratorium concuſſum, ex parte corruit. Sub eodem Antiſtite inferior ciuitatis Patauienſis pars (quam nouum forum vulgò appellant) incendio periit, Anno Domini 1354.

57. ALBERTVS tertius, Baro de VVinckl, Austrius, ex Nobili & peruetei familia natus, in Patauiensem Episcopum eligitur, Anno 1362. Præfuit annis 17. In hunc Patauieñ. ciuitas insurrexit; sed, quæ causæ fuerint motę seditionis, non extat, res vtrinque exacerbata summè eò deducta est, vt in aciem ambæ partes, Martis aleam experiri volentes, egrederentur, pugnatum est acerrimè & atrocissimè, intra Patauiam & figulinæ Cellæ Episcopale oppidum, eo ipso loco, vbi Ehrlachius fluuiolus, è Bohemico nemore profluens, Danubio sociatur. Cumque diu ancipiti Marte dimicatum esset, & vtrinque plurimi cecidissent, quorum sanguine vterque fluuius tinctus esse scribitur; tandem victoria etsi cruentissima Episcopo cessit, S. P. Q. Patauiensis ab Imperatore Carolo, per diffinitiuam Imperialis iudicij sententiam, 3000. Marcis argenti puri Episcopo in motæ seditionis mulctam persoluendis condemnatus est, Anno 1267. Sequente anno Albertus & Leopoldus, fratres, Duces Austriæ, rem composuerunt. Obiit Anno 1380. sepelitur in S. Stephani Templo summo, vbi marmoreum eius monumentum Septentrionali parieti insertum est.

58. IOANNES, Nobilis Baro de Scherffenberg, hodie paululũ mutata voce Schaffenberg vocant, Austrius, factus est Episcopus Patauieñ. Anno 1381. Præfuit annis 6. magna virtute. Celeberrimi Viennensis Gymnasij, ea ferè ætate, Anno scilicet 1362. ab Austriæ Archiducibus, Alberto cõtracto, ac Rudolpho ingenioso, Viennensis Turris autore, laudabiliter erecti priuilegia & dignitates, vnà cum Pilegrino, Salisburgensi Archipræsule, cõfirmauit: Qua vna re immortalitatem nominis & laudem nullo æuo abolendam sibi comparauit. Obiit Anno 1387. postridie Blasij, sepelitur apud S. Stephanum in pariete Meridionali.

59. GEORGIVS, Comes de Altaflamma, vulgò Hohenlohe, ex percelebri apud Ostrofrancos familia natus, ab Alberto, eius nominis tertio, Austrię Duce, adiutus & promotus, ab aliquibus & tamen paucioribus Canonicis Patauiensis Episcopus designatur Anno 1388. et ad eiusdem Austriaci Ducis preces & commendationem ab Vrbano sexto, Pont. Max. illicò confirmatur. Cùm tamen à maiore Capitularium parte electus esset, magna virtute præditus iuuenis Rupertus, VVilhelmi, Ducis de Monte primogenitus filius, orta est ex hac discordi electione magna cõtrouersia. Sed Austrius Georgium à se commendatum promouere cupiens, post multam contentionem tandem ad arma confugit, Patauiamq; obsidione cingens, eò rem breui deduxit, vt Georgius Pontificia autoritate cõfirmatus, neglecto Ruperto susciperetur à Patauieñ. Canonicis & ciuibus.

RVPERTVS verò Padebornam VVestphalię Episcopatum accersitus est, Anno 1390. Meminit eius in Metropoli sua Albertus Crantzius, Saxonum Chronographus, à quo plurimùm commendatur. Præfuit Georgius Patauiensi Ecclesiæ annis 35. & mensibus quatuor. vindictæ admodum cupidus & iniuriarum illatarum tenax fuisse legitur.

INTERFVIT Anno 1415. Concilio Constantiensi, vbi Sigismundo Imperatori familiarissimus fuit, à quo Cancellarius imperij constitutus est: Mortuo autem Ioanne, Strigoniensi Archiepiscopo, Imperatoris beneficio suffectus est eidem sedi; cui cùm paucis annis præfuisset, ætate iam ad senium vergẽte, febre correptus obiit, funus ex inferiori Pannonia Viennam, & inde lugubri pompa Patauiam deductum, apud S. Stephanũ sepulturæ traditum est, Anno 1424. in abside ante altare S. Mauritij extra Chorum. Grauauit Ecclesiã Patauinam ære alieno, & insignes possessiones distraxit, vendidit Caspàro & Gundackaro, fratribus & Baronibus de Starhenberg, Castrum Bellicollis, vulgò Schönpühel dictum, & arcem Teresburgensem liberæ ciuitati vicinam; vendidit etiam aliis quibusdam Ministerialibus suis arces,

Riedeck, Item castrum ac dominium Mathsee Pilegrino Archiepiscopo Salisburgensi cum pertinentiis, Anno 1396.

HIC EPISCOPVS autor fuit noui Chori ędificandi versus curiam Episcopalem, vti inscriptio illius habet, & primũ lapidem posuit, Anno 1407. præsentibus, Ottone de Layming, Pręposito, Decano, totoq; Capitulo, mandauit item S. Stephanum singulis septimanis cantionibus quibusdã peculiaribus salutandum, habebat Symbolon, quod parietibus plerumq; inscribere solebat, O Welt O Welt / cui aliquãdo momus aliquis non iniustè subiecit, wie vbel verzehrst S. Stephans Gelt / reprehendens in illo nimium luxum, & à Maiorũ virtute prorsus degenerẽ profusionem.

LEONHARDVS à Layming, patre Erasmo Laymingero, viro Nobili apud Bauaros; Matre verò Chunegũda de Schonstet natus, vnà cum Heinrico Flogkelio, Decretorũ quodam Doctore, & Ecclesię Patauiẽsis Decano, per discordem electionem, à minori tãtùm Canonicorum parte nominatus: sed quia maior & potior pars neutri suffragari vellet, idcirco Eberhardo, Salisburgensi Archiepiscopo, res commissa est, vt is Episcopus esset, quemcunq; ille sua autoritate nominaret: Heinricus, quia Albertum, Austriæ Ducem, clementem promotorem habebat, & Salisburgensem, veluti singularẽ suę fœlicitatis fautorem, in spem optimam veniebat, se fore Episcopum. Sed Leõhardus per Heinrici Bauarię Ducis intercessionem à Salisburgensi Antistes Patauiensis declaratus, etsi Canonici, non admodũ illi propitij, sese fortiter opponebant, sententiamq; suam retractabant, beneuolẽtia & largitionibus fauorem ciuium Patauiẽs. sibi cõparabat; Ita vt ab his in vrbem sine controuersia intromissus, plenissimè iam illic dominaretur: Quod ægrè ferentes Canonici, Viennam cõcedunt, patrocinio prædicti Alberti, Austriaci Ducis, Episcopales prouentus intercipiunt, & ad sese pertrahunt. Mittuntur Legati insuper ad Romanum Pontificem, quibus Laymingerũ apud Pontificem Max. criminantur grauiter, hos Legatos Leonhardus, interceptis, lectis & discerptis literis, custodiæ tradit. Ipse Romam è vestigio profectus, rem omnem Pontifici Martino quinto exponit, à quo cùm confirmationem facilè impetrãsset, mox in Germaniam reuersus, à Salisburgensi, quatuor post electionem annis, consecratur, Anno 1428. Dux Austriæ Albertus à Canonicis inflammatus, Leonhardo ex Italia redeũti sese fortiter opponir, sed & Vniuersitas Viennensis ei aduersatur, resq; variis modis iam Viennæ iam Romæ agitata, eò tandem deducta est à Salisburgeñ. Archiepiscopo, vt vtrinq; reconciliatis animis Canonici Patauiam redirẽt, & Leonhardus Episcopus maneret. Pręfuit, annis à primæ electionis tempore 27. De huius laudibus prolixa extat Epistola 170. Æneæ Syluij, tunc temporis Imperialis Secretarij in eiusdem Epistolari volumine, ad Ioannem Campisium, pręstãtem Philosophum, scripta, Anno 1444. Fuit homo satis parcus & tenax, auriq; auidus, emit à dño Georgio de Fraunberg in Messenhausen castrum Ratzmanstorf, Anno 1449. Item redemit granarium in Zeiselmuro; rursum ciuitatem S. Hippolyti ad Traysimam Austriæ amnem sitã, & perueteri admodum & opulento Cœnobio conspicuam 25000. aureorum, sub redemptionis titulo, Dño Reinberto de VValsee vendidit, ruinas quorundam castrorum refecit, splendidè sese vestiuit, splendidè etiam in mensa vixit, morionibus, mimis & ludionibus plurimùm delectatus; paucis ante mortem annis nouam monetam excudi iussit, sed parum iustam, & propterea repudiatam; armatorum stiparorum ac Equitum Satellitium frequẽs habuit; Patauiensibus ciuibus admodum charus fuit, qui naturalem eum dominum ac Principem suum (quod Antecessoribus semper negatum fuerat) vnanimi consensu ac apertè fatebãtur, adeò sibi poterat singulari quadam morum suauitate & beneuolẽtia animos ipsorum deuincire. Sub hoc Episcopo inferior Regia Patauię, dum Episcopi ministri seu tribuni sulphureum puluerẽ nimis incautè contrectant, conflagrat, Anno 1434. vel 35. Auent. fol. 824. Celebrauit 60.

N Synodos

Synodos bis iuxta Decretum Basiliensis Concilij; in quibus de reformando quidem Clero disputatum est, sed nil actum. Extat ad hunc Æneæ Syluij de rebus Vngariæ scripta Epistola, octuagesima nimirum prima, & alia Eucharistica pro acceptis beneficiis 98. Obiit podagricus, ipsa die Corporis Christi, Anno 1451. sepelitur Patauij apud S. Stephanum sub marmore, quod sibi primo suæ gubernationis anno eleganter & affabrè incidi ipse curârat. Inscriptio marmoris est talis: Anno Domini 1451. obiit Reuerendus in Christo Pater & Dominus, D. Leonhardus de Layming natus, huius Ecclesiæ Præsul benè meritus, & Castri & Ecclesiæ munificus reparator, die S. Ioannis Baptistæ.

61. VDALRICVS tertius, ex celebri familia à Nusdorf natus, Canonicus Pataujensis, & Frisingensis Ecclesiæ Præpositus, doctrina & virtute præditus neutiquam vulgari, vnanimibus suffragiis eligitur Episcopus Patauiensis, in ipso S. Margarethæ profesto, Anno 1451. Habuit diu malè propitium Fridericum tertiũ Imperatorem, quòd is apud Canonicos pro Alberto Comite à Schaunberg, Præposito Viennense, egregio adolescente frustra intercesserat; huc accessit, quòd nec Pontificiam confirmationem Romæ impetrare posset, nisi esset priùs Friderico Imperatori reconciliatus; cuius tandem fauorem emeritus est per Æneam Syluium, Poëtã & Secretarium Imperatoris, etsi satis difficulter. De qua re, qui plurima scire velit, legat Epistolam centesimam, quadragesimam octauam, in Æneæ Syluij Epistolari. Fuit hæc Imperatoris inclemẽtia, qua impeditus est Nusdorfius, & coactus triennio cedere Ecclesiæ Patauiensi, admodum perniciosa; Canonicis interim ad rerum gubernacula sedentibus, & bona Ecclesiastica ad sese rapientibus. Præfuit à prima sua electione vsq; ad finem vitæ annis 28. vir honestę & laudabilis vitæ Princeps placidissimus & affabilis, qui impuros magno persequebatur odio, ac de reformãdo Clero sæpius diligẽter cogitauit, sed ciuilib. Austriæ bellis impeditus est. Magnis exactionibus & grauaminibus suos onerauit; ita vt pleriq; Presbyteri è Diœcesi discederent; quidam etiam vitæ genus mutarent. Missus est Anno 1457. à Serenissimo Hungariæ & Bohemię Rege Vladislao, Alberti secundi, Romanorum Imperatoris, & Elisabethę, Sigismũdi Imperatoris filię, posthumo filio, cum aliis Legatis, insigni quingentorum Equitum comitatu, cùm ipse equos albos ducentos per se haberet, cum magna item inauratarum quadrigarum caterua, pro Regia sponsa Magdalena, Caroli Francorum Regis pulcherrima filia adducenda. Cùm verò in Remensi vrbe dẽ dote, aliisque rebus ad Regni statum pertinentibus, prolixè tractaretur, Rex, decẽ & octo annorũ incomparabilis formæ iuuenis, in veteris vrbis Pragẽ. Regia curia, vulgò Königshof / immatura & misera morte interiit: Qua de re Vlricus & cæteri Legati in Galliis certiores facti, posthabito negotio Matrimoniali, tristes ad sua reuertuntur, Anno 1458.

IDEM ISTE Antistes venerabilis Iudæos, qui in Illicensi oppido crudele facinus in Eucharistię Sacramentum designauerãt, tristibus quęstionum formulis ad commissi sceleris confessionem adegit, eosque variis tormentorum generibus è medio sustulit, reliquos funesti negotij ignaros perpetuo exilio damnauit: In locum verò, vbi horrendum illud facinus perpetratum fuit, Reuerendissimus Princeps Vlricus collegiatam S. Saluatoris Ecclesiam perelegantem sanè in forma sphærica erexit, suisque manibus consecrauit, Anno 1478. Obiit Anno 1479. quarto Nonarum Septembris, sepelitur in septentrionali principalis Templi Patauiensis abside ante altare S. Ioannis, vbi adhuc hodie insigne & sumptuosum marmor, honoris ac memoriæ ergò, ei positum & parieti insertum est, cum tali inscriptione: Anno 1479. 4. Non. Septembris, obiit Reuerendissimus in Christo Pater & Dominus, D. Vdalricus de Nusdorff, Patauiensis Episcopus.

Post

Post huius Antistitis toti Reipub. lugubrem obitum, Canonici alterius Episcopi electionem celebraturi, potentum precibus ita omnes distracti fuerűt, vt neque libera ipsorum neq; rata esse potuerint suffragia. Fridericus Imperator pro familiari suo Doctore, Georgio Hæslero, Ecclesiæ Romanæ Presbytero & Cardinali: 62.
Georgius verò inclytus Boiorum Dux, pro Doctore quodā Legũ, Friderico Maurkirchero Bauaro, ac aulæ suæ Cancellario, viro de patria præclarè merito; sedulis & 63.
cum necessitate penè coniunctis precibus intercedebant. Factionibus itaq; subortis, S. P. Q. Patauiensis Friderici Imperatoris partes fouebat, & armis etiam tuebatur: Potior autem Canonicorum pars Georgio Boiorum Duci adhærebat, & Cancellarium eius, suffragiis ac quibuscunque rationibus poterat, strenuè pariter & officiosè iuuabat; præualuit initio Cæsaris, ciuiumque pro Cardinali conatus: Qua re Canonici adducti, cùm se non satis tutò inter ciues versari posse viderent, vrbe excesserunt, & Scherdingum emigrārunt, vbi integrum annum manserunt: Cùm verò negotium paulatim ad arma descenderet, Georgius Bauariæ Dux superiori arce Patauiensi potitus, subiacentem inde ciuitatem, tùm saxa rotando, tùm machinas bellicas exonerando, miris tonitruis concussit; ciues itidem, quantùm potuerűt, iniuriam arci intulerunt. Durauit hæc tempestas toto biennio, quo nunquàm ab armis cessatum est, quoad Cardinalis Hæslerus in viuis fuit, qui Episcopales ditiones in Austria circumquaq; occupans, ac vicinis Præpositis & Abbatibus sua etiam intercipiens, in Canonicos Patauienses, in Bauaros item & sancti Nicolai antemuranum Præpositum, Leonhardum Calouuinum, fulmen excommunicationis iaciebat: Sub tanto rerum turbine, Anno 1482. Cardinalis Pataujam 170. Equitum comitatu (quorum Duces erant, Bernhardus Scherffenbergius & Christophorus Hochenfelder) ingressus, & à S. P. Q. Patauiensi receptus est: Perpetuis autem tormentorum globis ex arce in ciuitatem emissis, ita exterritus est, vt subinde locum vix occupatum mutare cogeretur. Reuersus itaque in Austriam, paucis diebus pòst è viuis excessit; aliqui eum in aquis propè Melicum periisse annotārunt. Sepelitur Viēnæ ad beatam Virginem in ripa. Hæslero Cardinali rebus humanis exempto, omnis bellorum motus cœpit conquiescere, grataq; Reipub. pax est reddita; Canonici è Scherdingo Patauiam redierunt, de competitoris fato & Friderico legitimo electo triumphantes: Fridericus autem post Pontificiam confirmationem non diu superfuit, vix tribus nimirum annis, rarò in vrbe Patauiensi versatus est. Obiit in oppido Bauarico Branavv ad Oenum sito, Anno 1485. 3. Calend. Decembris. sepultura ipsius nescitur.

FRIDERICVS, Comes Oetingensis ex Riæsa, quæ Sueuię particula est natus, 64.
Guilielmi Comitis ex domina Beatrice Veronensi Scaligera filius, factus Episcopus Patauiensis, Anno 1486. Iuuenis statura corporis & formæ elegantia præstantissimus, & qui in bonam spem erigebat Ecclesię proceres; sed paulò pòst nouis honoribus immutatus, dissolutissimè vixit. Pręfuit annis quatuor, more sæcularium Principum sacris initiatus non est. Dum verò Anno 1490. apud Fridericum Imperatorem, pro regalium collatione & inuestitura nimis laborat, in oppido Linzensi, præter omnem spem, profluuio ventris fatis concessit initio Quadragesimę, corpus Patauiam reuectum, multorum luctu è porticu Danubij ad sancti Stephani Basilicam deductum & terrę redditum est, tertio Martij, iuxta altare sancti Georgij, cum tali inscriptione: Anno 1490. tertia die Martij, obiit Reuerēdus D. Fridericus ex Comitibus de Oetingen, postulatus & confirmatus Ecclesię Patauiensis, hic sepultus.

CHRISTOPHORVS, cognomento Schachnerus, ex Nobili apud Bauaros 65.
familia, honestis Parentibus natus, vnanimi tandem post tot discordes ele-

ctiones, Canonicorum omnium consensu, ex Decano Episcopus designatur, in ipsa Quadragesima XI. nimirum Martij, Anno 1490. Festinabāt Ecclesię proceres, hanc electionem, imperiosas potentum preces praeuenire cupientes, ne iterum in diuersas sententias, cum magna Episcopatus rerū iactura & pernicie, distraherentur. Electus Episcopus confirmationem ab Innocentio octauo, Pont. Max. Romam profectus, absq; difficultate obtinuit. Pataviam itaque reuersus, munere suo diligenter & studiosè functus est, vir non tantùm eleganti & procera corporis statura, vultuq; Heroico praeditus, sed & moribus compositissimis, & caeteris virtutibus egregiis ornatissimus, frugalitatis & sobrietatis perquàm studiosus, qui superfluas pompas, nimiosq; sumptus miro psequebatur odio, & tanquàm pestes animi & corporis summè detestabatur. Idem Antistes Episcopatum & prouinciam suam ab aere alieno liberauit, pristinaeque dignitati, quantum in ipso fuit, restituit, exiguam omninò familiam aluit, hypothecata & oppignorata redemit multa, ruinosa refecit & illustrauit plurima: Inprimis verò B. Mariae ornatissimum Sacellum, Episcopali curiae contiguum, ac Ducalē in S. Georgij arce domum, quae vrbem respicit, Symmetria omni ingeniosè & eleganter more Italico institutā, ex imis fundamentis laudabiliter erexit, instituit festum D. Leopoldi Austriae Marchionis, nuper in numerum indigetum Diuorum relati. Praefuit annis decem, charus Clero & populo suo omni, tactus Apoplexia rebus humanis exemptus est, tertio Nonarum Ianuarij, Anno sesquimillesimo, in ipso Iubilaeo, sepelitur eū omnium subditorū plāctu & lachrymis, honesta pompa funebri, in gloriosae Virginis Matris Sacello à se constructo, in quo suam antea genitricem quoq; honestè humari iusserat, lapis ipsius Christophori Episcopitalem habet inscriptionē: Anno 1500. Reuerendus in Christo pater & Dñs, D. Christophorus Schachnetus, Epus Patauieñ. instaurator huius Capellae obiit.

66. VVIGILEVS, de Nobili apud Bauaros Froscheliorum familia prognatus 19. Calend. Februarij anni Iubilaei, è summi templi Decano Patauiensis Antistes, vnanimi totius superioris Cleri suffragio lectus & pronunciatus est, statimq; Romā profectus, ab Alexandro VI. Pont. in Iubilaeo confirmatus est, cum hac insup praerogatiua: Vt quicunq; mortales primo eius sacro interessent, verè poenitentes, scirent sese plenariam omnium criminū indulgentiam ac remissionem cōsecuturos. Erat is magnis negotiis praeclarè exercitatus, ac maximę experientię, qui antea etiam in bello Hasleriano legatus aliquoties Romae fuerat, coēgit Synodos in Patauiensi ciuitate, & in oppido suo Austriaco Mauttern, sub Cōmageno; in quibus & Ecclesiasticam libertatē ab Austrię quibusdam Regulis penè oppressam asseruit, & Cleri reformationem incepit quidē, sed nō perfecit, tantae rerum moli impar; Maximiliano Caesari inprimis charus erat, cuius nomine aliquādiu Ratisbonę tribunal imperiale Iudex Cęsareus administrauit magna cum laude, aluit amplā ex viris Nobilibus familiam, bonus alioqui & pbus Pater, qui nulla nunquā suos subditos aut ciues exactione grauare voluit: Vniuersis itaq; & singulis mirè charus. Pręfuit annis 17. mensibus 6. aliquandiu valetudinarius, ingrauescente tandē morbo plenus dierum obiit 8. Iduū Nouēbris, Anno 1517. magna cum deuotione & pietate erga Deum, sepelitur apud S. Stephanum prope aram S. Valentini & Maximiliani, versus Septentrionalē parietem, cui marmoreum eius monumentum insertū est. Sub hoc Epo Anno 1517. feria 6. magna, cùm populus frequens cōcioni de passione Dñi interesset, subitaneū incendiū 300. ędes et penè totū nouum forū Patauinū absumpsit, perierūt multi homines cū iumētis, rē planè flebilē Iacob. Philomusus carmine elegiaco deplorauit.

67. ERNESTVS, Alberti Boiorum Principis, ex Domina Chunegunda, Friderici tertij Rom. Impe. filia, Illustris filius, VVilhelmi & Ludouici, Ducum Bauarię, germanus frater, Imperatoris Maximiliani è Sorore Nepos, Patauiensis Episcopus eligitur, Anno 1517. impetrata à Pont. Max. Leone X. primū aetatis venia; posteà vt à

factorum

sacrorum ordinnm initiatione abstinere posset, indulgentia accepta. Præfuit annis 23. vsque ad Annum 1540. Quo ampliss. Salisburgensium Archiepiscopus, Matthæus Langus, Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, vitæ huic exemptus est; post cuius obitum mox à Canonicorum Collegio omni hic Ernestus Salisburgensis Ecclesię Archipræsul renunciatus fuit. Administrante autem eo Patauiensem Ecclesiam tanta cura in rem familiarem incubuit, vt, quãquàm in sacris nihil pt̃ermitteret, multis plus æquo visus fuerit diligẽs & industrius; ditiones & prædia à superioribus Episcopis abalienata redemit atq; Ecclesiæ tribuit; ciues suos beneuolentia singulari prosecutus est, eorumq; commoda studiosè promouit, atq; necessitates tùm publicè, tum priuatim subleuauit: Quę res adeò charum acceptumq; illis reddidit, vt lites, quas cum decurionibus, Senatuq; vrbis Patauiẽsis, de priuilegiis quibusdam perpetuas, acresq; habuit, eò ęquioribus animis vulgò ferrẽtur. Vrbana ædificia magnificè construi curauit, in iisq; instaurandis splendidissimus fuit, sicut in Episcopali Palatio & arce Georgiana, alibiq; passim apparet: Arces autem iuri dicendo in agro Patauiensi dispositas, atq; alia subvrbana & rusticana ædificia neglexit; in quibus est Haypachia & Tanneberga. In Catabaptistarum factionis hæreticos, aliosq;, qui passim eo tempore odio Cleri suboriebantur, grauissimè animaduertit, quàm plurimos vltimo ignis supplicio eremandos viuos tradidit, atq; demum supra triginta à Liechrensteinio Regulo in exilium missos, soliq; mutandi causa Patauiam cõfluentes, in carceres coniecit, donec toto triennio morerẽtur partim, partim custodum incuria elaberentur; Princeps fuit natura sagax, vsu rerum prudens admodum, ęqui iustique amantissimus, parsimoniam & frugalitatem ignobili luxui longè anteferens. Quomodo Salisburgij præfuerit, dicitur in eius vrbis Episcoporũ Catalogo.

VVOLFGANGVS, Illustris & Generosus Comes à Salm, Nicolai Comitis 68.
victoriosi, qui & Regem Galliarum Franciscum cepit, & Pannoniarum aduersus Turcicas irruptiones murus diu fuit, ex pientissima domina Elisabetha, Rogendorfensi Baronissa filius, Anno ætatis suę 26. ex Præposito Ecclesiæ Patauiensis factus est Episcopus, mense Nouembris, circa festum Martini, Anno 1540. commendatus Canonicis à Serenissimo Romanorum, Hungarię & Bohemiæ Rege, Diuo Ferdinando: Princeps corporis quidem statura breui, sed animo verè Heroico; ita vt illud de eo possit dici:

Maior in exiguo regnabat corpore virtus.

FVIT vtriusq; linguę Græcę & Latinę peritissimus, nullius veterũ Philosophorum professionis ignarus aut rudis; ab incunabilis literas amauit, sine quibus nullã vitæ partem exegit, nullo non tempore in Bibliotheca, quam instructissimam habuit, incredibili studio sedens, Doctorum colloquiis familiaritate & amicitia plurimùm delectatus est. Quamobrem præter Consiliarios & Ministeriales, quos plerunque habuit literatos, alios etiam subinde fouit, non paucos eruditione claros; inter quos fuerunt Iacobus Zieglerus Landouianus, Cosmographus insignis, alter veluti Germanię Ptolemęus, D. Sebastianus Gleiss, Medicus excellẽs, & Gręcarum literarum cognitione nemini in tota Bauaria & Austria cedens, Ioãnes Dugo Philonius, vir trium linguarũ peritia clarus, Christophorus Collatinus Pannonius, venerãdus Senex, Mathematicę disciplinę peritissimus, omnisq; antiquitatis admodum gnarus. Dicendi verò facultas tanta in hoc Principe fuit, vt videretur à natura ipsa ad eloquentiam natus; calluit linguam Gallicam & Italicam expeditè. Habuit inter Concionatores pietate, doctrina & virtute pręstantissimum iuuenẽ, D. Sebastianum Sachsteterum Austriacum, anno ætatis suę tertio, in obsidione Viennensi à Turcis captum, sed mirabiliter liberatum; ciues & subditos suos singulari beneuolentia sibi deuinxit, vt eum mira pietate & obseruantia reuereri sint. Instaurauit

collapsas penè arces, Eberspergēsem ad Trunam amnē infra Linzium sitam, Obernbergensem ad Oenum, quatuor supra Patauiam miliaribus, à VVolfgero Episcopo conditam. Heckelbergi verò (qui locus in sinistra Danubij est, paulò supet Patauiam) amœnissimos hortos cum variis labyrinthis, viuariis, & planè regia habitatione, magnis sumptibus adornari fecit: Quo animi causa subinde expatiari, & ingenium, continuis studiis defatigatum, illic tanquàm in Tusculano recreare solebat. Erexit ipse sibi in Meridionali Cathedralis Templi pariete monumentum eruditum, Propheticis & Apostolicis ornatum sententiis ex eleganti & ingeniosissimè sculpto marmore. Matrem, insigni virtute & pietate præstantem Matronam, cuius erat obseruantissimus, penes se vitæ & gloriæ suæ spectatricem habuit. Parentem heroa clarissimum amisit natus annis 16. Habuit fratrem germanum, & nomine & virtute militari parrem referentem, Camerarium D. Ferdinandi, generalem Capitaneum Hungariæ & Austriç, qui Agriç in Vngaria obiit Anno 1550. 20. Decembris, Ex hoc fratre tres habuit Episcopus fratres Nepotes, Eckium, Regiç Maiestatis Cōsiliarium ac Ministerialem, Iulium, qui item in Regia aula versatus est, & Nicolaum tertium, qui cùm Patauiæ literis operam daret, Reuerendissimus iste Princeps, studiorum ipsius non modò inspector, sed etiam Rector indefessus fuit; Ita vt etiam Epistolas aliquot Nobilium adolescentum, qui tunc vnà studebant, emendare subinde non erubesceret. Præfuit annis magna cum laude 15. Obiit Anno 1555. die quinto Decembris.

69. VVOLFGANGVS secundus, antiqua Nobili ac primaria familia Bauariæ de Klosen natus, Canonicus Patauiensis, successit VVolfgango, Comiti Salmensi, eodem mēse Decembri in Vigilia S. Thomæ Apostoli electus. Fuit hic antea Canonicus Ratisbonensis, iuuenis comis & benignus; ita vt mox ad Capellam Episcopalem promoueretur; deinde ob morum humanitatem etiam ad Decanatum & Sacerdotium ordinatus est, in quibus intem perātius viuens, ad grauiores functiones minùs idoneus factus est, articulari morbo per totum corpus contracto.

Impetrata autem Pontificia confirmatione, consecratus est Patauiæ à Reuerendissimo D. Michaële, Archiepiscopo Salisburgensi, 5. Iduum Octobris; Dominica die sequenti, S. Maximiliano Patauiēsis Ecclesiæ Patrono sacra, ipsemet, magna clarorum hominum corona circumstante, sub Infula Liturgiam perfecit, Anno Domini 1556. Porrò deinceps rarissimè functiones Episcopales in propria persona peregit, eò quòd Chiragra, Podagraq; subinde recurrentes, morbosum corpus lectulo prorsus affigerēt; proinde rerum omnium cura in alios reiecta, remissior subinde redditus est, sed & in Confratres suos, Canonicos Capitulares rectà monentes, proteruior factus, cum illis simultates exercuit: Visus enim illis est priuilegiis & compactatis eorum nonnihil derogare velle, in amicis & propinquis suis euehendis intentior esse, mors gliscentem simultatem sopiuit. Obiit septimo Idus Augusti, Anno 1561. sepultus in Templo Dominico versus Austrum, sub lapide ita inscripto: Anno Domini 1561. die Iouis, septimo Augusti, obiit Reuerendus in Christo Pater ac Dominus, D. VVolffgangus ex familia à Klosn, Episcopus Ecclesiç Patauiensis, cuius anima Deo viuat, Amen. Quo loco Successor suus, post annum vnum fermè, ingens marmor peristylio proximo affixit, cum eadem ferè inscriptione, quæ suprà.

70. VRBANVS à Trenbach, Canonicus & Præpositus Ecclesiæ Patauiensis, subrogatus est VVolfgango, eius nominis secundo, eodem obitus sui Mense 15. Calend. Septembris, qui fuit 18. dies Mensis Augusti. Hic iam antea, ob insignem eruditionem & rerum agendarum prudentiam, asscriptus erat in Ratisbonēsem & Salisburgensem Canonicum; &, quoniā ipse Italiam & Romanam vrbem iam antea erudi-

eruditionis & linguarum capessendarum gratia perlustrârat, VVolfgangus à Klosen, Antecessor suus, propter electionis suæ confirmationem eum iteratò Romam misit, vbi in quorundam Cardinalium amicitiam peruenit. Negotio itaq; gnauiter expedito, accidit, vt post Reuerendissimi Domini Michaëlis, Archiepiscopi Salisburgensis obitum Ioannes Iacobus Kuen, Decanus Brixinensis & Canonicus Salisburgē. illi in Episcopatu substitueretur. Hic electus Archipræsul hunc eundē Dominum Trenbeckium, suum confratrē, pro sui confirmatione Romā etiā tertiò transmisit, vbi pro sua sedulitate in quorundā Prælatorum summorū familiaritatē receptus est. Quare cùm iam hic electus in Antistitem Patauien. suos Oratores Romam pro suæ electionis confirmatione misisset, illic iam antea probè cognitus, suæ petitionis faciliorem expeditionem sortitus est. Cùm autem confirmatio nondum in vrbe fuisset absoluta, & Tridentinū Conciliū à Pont. Romano protinus vrgeretur, ideoq; Ferdinandus Imperator suos Episcopos & Legatos esset ad idem Concilium Tridentinum ablegaturus, hunc electum Dominum Trenbeckium semel atq; iterum tùm literis tum orationibus appetiuit, vt & ipse inter suos Oratores Tridentū mittendos, Principem legationis locum susciperet: Quod ipse Dominus Vrbanus electus pro sua modestia reuerenter recusauit, tempus suę confirmationis domi expectans tantisper, dum & ordines sacros plenè susciperet, & tandem consecrationis munus ab ipso suo Metropolitano, Reuerēdissimo Domino, Ioanne Iacobo, Salisburgensi Archiepiscopo, Patauiæ in sua residentia consequeretur, Anno Domini M.D.LXII. Nonis Aprilibus in octaua Pascæ, quæ tū fuit quinta dies Aprilis, magna festiuitate & populorum concursu, celebrata, propter Episcopi recentis initiationem. His sic peractis, Episcopus Vrbanus ad domum aulæ suæ disponendam animū conuertit, &, quia domus aulica satis angusta erat, eam aliquibus necessariis habitationum extructionibus laxauit, sed & Bibliothecam ab Episcopo Salmensi, magnis laboribus & impensis instructam, & à prædecessore suo neglectā, ipse magno studio recollegit, distinctius ordinauit, & nouis libris, per emptionē, aut etiā laboriosam transscriptionem locupletauit. Porrò cùm sub finem Anni 1562. Metropolitica Synodus, quam Archiepiscopus Salisburgen. cum suis Coëpiscopis & Duce Boiariorū Alberto celebrârat, post multiplices ac longas tractationes, tādem finiisset, Episcopus Vrbanus, ne postremus aliorum Episcoporum foret, sedulò dedit operam, vt notula illa reformationis omnibus præscripta, per suam ciuitatem & Diœcesim Patauiensem, Clero quàm citissimè publicaretur. Præest adhuc hoc 1581. Anno, non minori laude, quàm Ecclesiæ suæ vtilitate, tam in secularibus quàm spiritualibus negociis. Pleraq; Castra seu arces reparauit, quasdam quasi nouiter construxit, præsertim vetus ac nouum Palatium Episcopale in vrbe Patauiensi; Item arcem Ratzmanstorff, quatuor miliaribus supra Patauiā iuxta Danubium, parte septentrionali sitam, nouam Bibliothecam construxit, magnisq; impensis adornauit; pariter quoque in summi Templi claustro Sacellum S. Trinitatis, quod annuis censibus dotauit, ac ibidem sibi sepulchrum marmoreum locauit. Omnipotens Deus ipsum ad gloriam nominis sui, ad vtilitatem Ecclesiæ tam Catholicæ quàm suæ, ad suam & communem omnium salutem quàm diutissimè conseruare velit incolumem. Amen.

SVMMI TEMPLI PATAVIENSIS PRAEPOSITORVM INDEX.

1. VVIZIMAN.
2. LEMBERTVS.
3. RVDMARVS.
4. LVITOLPHVS.
5. VVILLICHINDVS.
6. MEGILO.
7. ALTMANNVS.
8. VTACKAR *Præpositus & Archipresbyter.*
9. CADALOCHVS *præfuit Anno 1047.*
10. AZILO *præfuit Anno 1048.*
11. ENGELBERTVS *Præpositus restitit Episcopo Patauiensi Altmanno, proferenti decretum Pontificis Gregorij de restaurando cœlibatu, factus Archiepiscopus Treuirorum Anno 1078. hîc desunt aliqui.*
12. ALBONO *designatur ab Imperatore Friderico Barbarossa ex Præposito Episcopus Patauien. Anno 1160. Præfuit tribus annis. Et exauthoratus, propter enormes quasdã actiones, ad pristinum locum ex Episcopalis dignitatis fastigio relapsus, iterum ad Præpositura clauum Anno 1163. sedisse, & eodem anno ex hac vita emigrâsse legitur.*
13. OTTO *Albononi vel Albano successit Anno 1164. Is S. Stephano & aureum calicem & auream crucem dono dedit.*
14. HEINRICVS *sedit ad Præposituram Anno Domini 1182.*
15. MENIGOTVS *Anno Domini 1193.*
16. EBERHARDVS, *Anno 1212. & Anno Domini 1216.*
17. HARTINDVS, *alibi Heinricus Anno 1222. & 1227. Heinricus dicitur in donat. Castri Viechtenstain 1226.*
18. MEINGOTVS, *Nobilis de VValdeck, præfuit Anno 1251. & adhuc 1268.*
19. VVICHERVS *præfuit Anno 1276. aliàs VVichardus de Pertolfstorf, Austriacus Camerarij Prouinciæ in causa decimarum in Absteten. Anno 1270.*
20. GVILIELMVS, *Anno Christi 1278.*
21. GODEFRIDVS *de VVeissenegk, Anno 1289. & adhuc 1313.*
GOTFRIDVS *Comes de Kirchperg, Præpositus Patauien. erat iam mortuus Anno 1318.*
22. MENIGOTVS *tertius, Anno 1319. & adhuc Anno Domini 1324. Menigos* võ Waldegk/Chorherr vnd Thumbprobst zu Passaw/ *Anno, &c. 1320.*
23. ALBERTVS *de Moerspach, Anno 1326.*
24. VVOLFHARDVS *Anno Domini 1333.*
25. ALBERTVS *secundus de Morspach, Anno 1337.*
26. GVILELMVS *de VVinsberg, Anno Domini 1347.*
27. OTTO *præfuit Anno 1352. Albertus reperitur Anno 1358.*
28. IOANNES *de Scharfenberg præsedit Anno 1374.*
29. OTTO *de Laiming, Anno 1397. & adhuc Anno 1413.*
30. VVENCESLAVS *Thiem, Anno Domini 1415. reperitur Anno 1424.*
31. HEINRICVS *de Ahausen.*
32. PAVLVS *Baro de Polheim Anno 1429. Obiit Anno 1440.*
33. VLRICVS *Comes de Ortenburg successit, præfuit adhuc Anno 1454.*
34. SIFRIDVS *Nothafft, Anno Domini 1455. successit, præfuit adhuc Anno 1476. quo obiit.*
35. VVILHELMVS *de Ahaim obiit Anno 1495.*
36. GEORGIVS *Bernbeggius præfuit Anno 1498. Obiit Anno 1502.*
37. IOHANNES *Gumpenbergius, Anno 1504. Obiit.*

38. VVIL-

38. VVILHELMVS Nothafft præfuit Anno 1504.
39. IOHANNES Koler Augustanus præfuit Anno 1508. & adhuc 1517.
40. IOHANNES Reslerus Augustanus, Anno 1532.
41. VVOLFGANGVS Comes à Salm præfuit Anno 1534. designatus Pataniensis Episcopus, Anno 1540.
42. ERHARDVS à Leonrod successit Anno 1541.
43. CHRISTOPHORVS à Trenbach, successit Anno 1542. Obiit Anno Christi 1553.
VACAT Præpositura triennio, quam tum Tituloitnus possedit quidam curialis Otto à VVachtentung Doctor, quo Romæ mortuo, successit Vrbanus.
44. VRBANVS à Trenbach frater Germanus præfati Christophori, successit Anno 1556. electus Episcopus Anno 1561.
45. VITVS à Fraunberg in Poxau, successit Trenbachio, & paulò pòst eligitur Episcopus Ratisbonensis.
46. IVLIVS Auer de Tobel & Cleberg successit Vito à Fraunberg. Obiit Anno.
47. MARTINVS Eisengrein, Theologiæ Doctor, Anno 1568. Obiit 1579.
48. CHRISTOPHORVS Pettinger de VVasen.

SVMMI TEMPLI PATAVIENSIS DECANORVM INDEX.

1. VVILLIBERTVS.
2. RACCO præfuit Anno 1048. hic desunt aliqui.
3. RVDBERTVS Anno 1164.
4. SIGEHARDVS Anno 1167.
5. FRIDERICVS, Anno 1172.
6. TAGENO, Anno 1190. vnà cum Diepoldo Episcopo Asiaticæ expeditioni interfuit, & eandem descripsit.
7. HEINRICVS, Anno 1193. & adhuc Anno 1216.
8. OTTO præfuit Anno 1222.
9. CHVNRADVS, Anno 1224, & adhuc Anno 1245.
10. ALBERTVS Bohemus, seditiosus (sic enim nuncupatur) Anno 1250. & adhuc Anno Domini 1262.
11. POPPO, Anno 1264.
12. VVICHARDVS, Anno 1268.
13. VVERNHERVS ex Decano Pataniensi designatur Episcopus Seccouiēsis, Anno 1268. Præfuit ibi adhuc Anno 1277.
14. OTTO secundus, Anno 1276.
15. VVOLFGERVS de Aistersheim præfuit Anno 1281. & Anno 1320.
MEINGOTVS reperitur Anno 1318.
16. ALBERTVS de VVinckl, aliàs de Marspach, Anno 1321. Decanus, præfuit Anno 1321. & Anno 1324. tandem Episcopus Pataniensis.
17. VVOLFGERVS secundus præfuit Anno 1327. & 1332.
18. IACOBVS Anno Christi 1333.
19. OTTO de Lonstorf, Anno 1341.
20. GVNDACHERVS, Anno 1352.
21. HERMANNVS digni, Anno 1374. & 1389.
22. IOHANNES de Senging, Anno Domini 1392.
23. FRIDERICVS, Anno 1400.
VVENCESLAVS (fortè per vnum diem) inuenitur Decanus Patauien. Anno 1412.

24. HEINRI-

24. HEINRICVS *Flockelius de Kützpuhel, Decretorũ Doctor, præfuit Anno 1418. It Anno 1424. in discordi Episcopi electione contra Leonhardum Laimingerum Pataviensi Antistes nominatus quidem est, sed ad gubernaculum admissus non est.*

25. SYLVESTER *Flieger præfuit Decanatui Anno Domini 1433. fit Episcopus Chiemensis Anno Christi 1439.*

26. BVRCKHARDVS, *cognomento Krebs, ex Herrnberga VVirtenbergen. Ducatus oppido natus, vir literis clarus, fundator bursæ liliorum & quorundam stipendiorum pro Sueuis Viennæ. Præfuit Anno 1438. Obiit Anno 1462. Statuit de recipiendis Canonicis expectantibus.*

27. HAMRICVS *præfuit Anno 1463.*

28. VALENTINVS *Bernbegius, Decretorũ Doctor, præfuit Anno 1469. Obiit Anno 1485.*

29. CHRISTOPHORVS *Schachnerus Bauarus successit, fit Episcopus Pataviensis, Anno salutis 1490.*

30. VVIGVLEVS *Froschelius successit Schachnero, ut in Decanatu Anno 1490. sic post decennium, Anno 1500. etiam in Episcopatu Pataviensi.*

31 VVOLFGANG *à Tannberg fit Decanus Anno 1500. Præfuit adhuc Anno 1522. & obiit.*

32. RVPERTVS *à Moshaim, I.V. Doctor, successit Tannbergio; præfuit usq; ad annum Christi 1539. Obiit in carcere Anno 1545. De eius scriptis videatur Bibliotheca Gesneri.*

33. BERNHARDVS *Schauuarzius, patria VVeissenhornanus, è Sueuiæ oppido natus, I.V. Doct. & aliquamdiu in Gymnasio Ingolstadiano Professor, fit Decanus Anno 1539. posteà Præpositus in Matsee Collegiata Ecclesia, & Anno 1555. Oenanæ civitatis Parochus. Obiit Anno 1580.*

SABIO-

SABIONENSIS NVNC BRIXINENSIS EPISCOPATVS.

SABIONA Noricorum, in Tyrolensi Comitatu sita, inter Oenipontem & Bozanum, vbi olim fuit sedes Episcopalis; translata posteà Brixinam per sanctum Albuinum Episcopum, licet Iohannes Auentinus lib. annalium 5. folio 516. ponat, Anno Domini 1038. Heruicum, Sabonæ Noricorum Episcopū Brixinam, quæ inde decem millia passuum distat, migrâsse, id oppidū mœnibus cinxisse; posthac Brixinensem Episcopum dictum, qui antea fuerat Sabionensis, Sabionā, Germanicè Seben. Huius nominis fuit aliquando in Comitatu Tyrolensi antiquissima, Nobilis ac celebris familia de Seben/ sine dubio à Sabiona ortum ducens. Nam & huius Episcopatus Pincernæ fuerunt, qui in Osvvaldo vltimo, Anno domini 1465. defecerunt, vt infrà dicetur.

EXTARE horum Episcoporum Catalogum pluribus in locis mancum & parum integrum testatur Christophorus VVilhelmus Putschius, Guilielmi Putschij olim apud Oenipontem regij Secretarij filius, vir historiarum, præsertim Tyrolensium valde studiosus ac diligens; cuius extat opus Oeniponti manu scriptum de annalibus Tyrolensibus, at hoc quoq; mancum & imperfectum, vt puto, ob immaturum eius obitum, & ideo non publicatum; quo tamen hisce in Episcopis multùm sum adiutus. Postquàm verò hos Brixinen. Episcopos planè iā absoluerā, venit in manus meas prædictus Catalogus Brixinæ à Donato Fetio, Collegiatæ Ecclesiæ ibi Canonico collectus ac nuperrimè ęditus; ex quo, quæ magis digna ac necessaria sunt visa, infrà putaui inserenda. Iuditium sit penes lectorem in his, quæ non concordant.

EPISCOPATVM hunc primo sub Cassiano circa Annum 360. cœptum; posteà verò secundariò ac titè institutum inuenio à Theodone tertio, Duce Bauariæ, qui primus cum filio Theodoperto ac fratribus, Diepoldo & Ottone, Christianam religionē accepit, & cum iisdē à S. Ruperto baptizatus est, circà Annū Domini 550. vel 560.

TVNC enim per Principes Bauariæ, autore diuo Ruperto, plæraq; Templa, Monasteria ac Episcopia instituta sunt, inter quæ etiam Sabionē. cùm eo tēpore tota illa Montana regio, ad Athesim ac Oenum sita, ad Ducatum Bauariæ pertineret.

SANCTVS CASSIANVS in diuinis literis ègregiè versatus, ac vitæ sanctitate 1.
conspicuus, Sabionam vrbem Germaniæ in Alpibus Tyrolensibus iuxta Hisacū fluuium veniens, expulsa ibidem gentilitate, homines ad Christi fidem conuertit, sacro fonte abluit, ac ędificata ibi in honorem Dei, Matrisq; virginis Marię Ecclesia, primus ibi Episcopus à Metropolitano suo Fortunatiano seu Fortunato, Patriarcha Aquilegiensi, cui tunc temporis suberat, iam verò Salisburgensi Archiepiscopo, ordinatur ac cōsecratur ut bonus ac fidelis Pastor, & vallis illius Apostolus, & hoc circa Annum Domini 350. quàm diu præfuerit, ignoratur. At à Patriarchis Aquilegien. primordia sua hanc Ecclesiam Sabionensem accepisse satis constat. Expulsus deinde à Paganis, Romam peregrinationis causa tendit, vbi ad vrbem fori Cornelij iuxta Bononiam sitā, quæ nunc Imola dicitur, venit, fidem Christi docens, pueros vt Ludimagister instruens, ac simulachrorum cultum deuouens; tandem à persecutoribus fidei Christianæ Martyrio coronatus est, stylis discipulorum confossus sub Imp. Iuliano Apostata, qui fidem Christi docere seueriter prohibuerat, circa Annum 365. ibidem sepultus: De cuius Martyrio Prudentius in libro peristephanon

ante Annos penè 1200. elegantiſſimum Hymnum ſcripſit: Et in vetuſtiſſimo quodam manu ſcripto libro tota ipſius vita & mors luculenter deſcribitur, vt patet ex his verſibus rei non arti accommodatis:

Vox patris almiuoma Chriſtum docet in Sabiona
Immola crucifixum graphiis ſic immolat ipſum.
Nam quem Sabiona primum prædicatorem recepit,
Hunc Im̃ola diris vulneribus Chriſti Martyrem fecit.

De hoc item ſcripſit librum Petrus Damianus, Card. Hoſtien. circa Annum 1055. Teſte Trithemio, Item Petrus de natalibus Venetus, Epiſcopus Aquilegien. in vitis Sanctorum.

Meminit quoq; Volateranus in Antropologia. obiit idibus Auguſti, quo die feſtum ipſius per totam Diœceſim Brixinen. ſolemniter peragitur.

2. S. INGENVINVS, ſecundus Epiſcopus Sabionen. vixit circa Annũ 595. Nam ciuitas Sabionen. poſt diſceſſum S. Caſſiani à gentilibus depopulata, deinde per Hunnorum incurſiones ſub Attila Rege funditus exciſa & ſolo æquata, medio tempore vſq; ad hunc Ingenuinum ſine Rectore ac Epiſcopo fuit. Meminit huius Epiſcopi Auent. lib. 3. fol. 266. qui eum contemporaneum S. Ruperti dicit, ac in ſua vulgari interpretatione **Genawein** vocat. Reſtaurata itaq; & vrbe & Eccleſia Sabionẽ. per Ingenuinum, aſſenſu ac ope Theodonis 3. Ducis Boiorum primi, ad fidem Chriſti per S. Rupertum conuerſi, factus eſt Epiſcopus ac Paſtor huius Eccleſiæ ſecundus, ab Helia Patriarcha Aquilegien. Metropolitano tum temporis conſecratus.

Interfuit hic Epiſcopus Synodo Mariana, in qua ſeuerus Patriarcha Aquilegien. reuocato errore Manichæorũ, receptus eſt in gremium Catholicæ Eccleſiæ. De quo Paulus Diaconus de geſtis Longobardorum, lib. 3. cap. 12. latiùs; Iohañ. Candidus in commentariis Aquilegien. lib. tertio; frater Leander in deſcriptione Italiæ ſub foro Iulio, &c.

Hic Ingenuinus Epiſcopus vir ſanctus obiit, Non. Feb. Sabionæ, ibidem ſepultus in Eccleſia à S. Caſſiano conſtructa. Tranſlato autem poſteà Epiſcopatu Brixinã, vnà & oſſa diui Ingenuini Epiſcopi ac Confeſſoris illuc tranſlata, vbi in hodiernum diem miraculis clarus quieſcit, in numerum Sanctorum relatus, cuius memoria eodem die obitus ſui in Eccleſia celebratur, vnà cum ſuo poſt multa ſecula Succeſſore, diuo Albuino Epiſcopo.

3. S. CONSTANTIVS & Præconius, aliàs Procopius, Sabionenſi populo verbum Dei prædicârunt, eo tempore, quo diuus Haymeranus Ratisbonenſibus circa Annum 645. Auent. in prædicto lib. fol. 276. Catalogus prædictus S. Conſtantio ſubiungit alium S. Conſtantium quartum in ordine, & Præconium facit quintũ.

6.7. VRSVS & Pigencius, aliàs Piennius, Epiſcopi Sabionen. & verbi Dei Prædicatores, circa Annum Domini 650. vſq; ad Annum 700. Auent. fol. 281. Poſt hos ponit Catalogus impreſſus in ordine:

8. *PROIECHVS.*
9. *MATVRNINVS.*
10. *MARCELLVS.*
11. *VALERIANVS.*
12. *AGNELLVS.*
13. *ANRIHANVS.*

ANTHO-

ANTHONIVS. 14.
LAVRENTIVS. 15.
IOHANNES. 16.

MASTVLO Episcopus Sabionen. circa Annum 700. Auentinus folio 283. Horum Episcoporum tempora, successiones ac gesta propter vetustatem ignorantur, verisimile est non diu ipsos præfuisse. Hinc à tempore S. Ingenuini vsque ad S. Albonium 25. Episcoporum successiones traduntur secundùm Catalogum. 17.

ALMVS, aliàs Alim, Episcopus Sabionen. 18. interfuit Synodo Boiorum Dingelfingij, per Tassilonem Ducem conuocatę, Anno 764. aliàs 773. vel 775. Decreta aliqua huius Synodi Auentinus libro tertio annal. folio 302. breuiter, sed suo Paraphrastico more mutatis verbis refert, cùm tam hoc quàm pluribus aliis in locis meo iudicio consultius fuisset, veterum diplomatum, epistolarum ac decretorum verba genuina ac autentica vtcunq; parum elegantia, prout seculum illud tulit, ponere. Nam mutatio verborum sæpenumero sensum quoque ac ipsam sententiam peruertere videtur, quòd plærosque doctos viros ac Auentini aliàs studiosos in ipso desiderare audio. 18.

Hvivs Alim fit mentio, & quidē primo loco in diplomate Leonis tertij, S. Pont. scripto ad Episcopos Bauariæ super translatione sedis Archiepiscopalis, Salisburgum, ad ipsorum instantiam facta, Anno Domini 798. de quo suprà sub Arnone primo, Archiepiscopo Salisburgen.

HEINRICVS 19. Sabionen. Episcopus interfuit Synodo Salisburgen. Iussu Caroli Magni, sub Arnone Archiepiscopo celebratæ, Anno Domini 807. Eius decreta de diuidendis Ecclesiarū decimis, censibus ac redditibus refert idem Auent. lib. 4. fol. 356. 19.

ARIBO.	*de his nihil præter nuda nomina extat.*	20.
LENTFRIDVS.		21.
ZERITO.		22.

ZACHARIAS XXIII. Sabionē. Episcopus sub Ludouico Cæsare, Arnulphi filio, ac Iohanne IX. Pont. circa Annum 902. magna nominis celebritate vixit; interfuit expeditioni prædicti Ludouici Imp. contra Vngaros, in qua apud Anaspurgium cum Dietmaro, Archiepiscopo Salisburgen. Ottone Frisingensi Episcopo & Leopoldo Marchione Austriæ occubuit, Anno Domini 907. secundùm Auctinum in annal. libro quarto, folio 480. Ampliùs de eo nihil compertum est, nisi quòd cum aliis quinque Episcopis Boiariæ, nempe Diethmaro, Iuuauiensi Archiepiscopo, VValdone Frisingen. Erckhanbaldo Eichstetensi, Tutone Ratisbonen. Richario Patauien. ipse tertius in ordine, ad prædictum Iohannem S. Pont. Epistolam scripsit, conquerentes in ea de defectione Episcoporum Morauiæ ac Sclauorum à sua Diœcesi, Episcopo videlicet Patauien. &c. & licet nihil obtinuerint; tamen hæc Epistola, quia rara & antiqua Ecclesiastici status in Boiaria cognitione referta, lectu non indigna; cuius copia in archiuis prædictarum Ecclesiarum adhuc extat, & apud VVolfgangum Lazium in lib. 12. commentariorum Reip. Rom. hîc breuitatis causa omissa. 23.

MAIENBERTVS, Episcopus Sabionen. XXIIII. Huic cōfirmat prædictus Ludouicus tertius Imp. priuilegia sua, Anno 909. secundùm Putschium. 23.

25. NITHARDVS Episcopus Sabionen. interfuit alteri Synodo siue Conuentui, Dingolfingij ad Isaram per Arnoldum Ducem Bauariæ habito atque indicto, circa Annum Domini 920. Qui Episcopi huic Conuentui interfuerint, & quid ibi actum sit, refert Auent. lib. 4. fol. 487.

26. VVISVNDVS, siue Bisunbertus, XXVI. Episcopus Sabionen. vir doctrina & pietate insignis, tempore Ottonis primi Imp. & Leonis Papæ VII. circa Annum 938.

Extat ad hunc & cæteros Bauariæ Episcopos Epistola Leonis Papæ septimi, cuius tenorem refert Auentinus, libro quarto, folio 490. aliis tamen verbis ac sententiis, quibus in Episcopos ac Clerum pro suo more acerbè inuehitur, cùm tamen verba illius Epistolæ autentica, quæ in annalibus Pataniensibus extant, longè aliter sonent, præsertim circa finem, &c. Ibi postremò in eadem Epistola hortatur, vt Episcopi Gerardo Archimystæ Boiorum pareant, atque Eberhardo, Regulo Boiorum, officium suum delegat, præcipit vt vicem Pontificis Max. defungatur, Gerardo fautor, adiutor, consultor pro viribus in omnibus adsit, &c. Ita Auentinus. Cùm hæc sint Epistolæ verba, nempe Gerardo pareant, cui Vicem nostram in cunctis finibus vestris cõmisimus, in omnibus, quæ ad Ecclesiasticum statum pertinent, ei obedientes & adiutores sint. Prærer hæc Eberhardo, Duci Boiorum, nostra autoritate iniungimus, vt præfato Gerardo Archiepiscopo in omnibus auxilium præstet, vt suæ Ecclesiæ status & rectitudo, ac proprius vigor ad integrum culmen & priscum decorem valeat peruenire, &c. Alia sunt hæc verba ac alius sensus, &c.

SVB hoc, siue sequentibus Episcopis, Iohannes tertius, Pont. Rom. nempe Anno Domini 967. Ecclesiæ Brixinen. prærogatiuas quasdam & Apostolicas donationes fecit; quas anno sequenti Otto Magnus Imp. interuentu Adlhaidæ Coniugis, ac Ottonis Imp. filij sui, imperiali autoritate confirmauit, &c. Extant diplomata.

CONRADVS quoq; Imp. Salicus dictus, pio zelo Volabrico, Episcopo Tridẽtino, Comitatum Tridentinen. obtulit ac dono dedit Anno 1027.

SEQVENTI anno adhuc alios duos Comitatus addens, nempe vallem Vennonicam, quam Venustam vocant, & ditionem Bulsanen. in perpetuum tenendos.

27. RIPRECHTVS secundùm Catalogum impressum.

28. SALBVINVS. De hoc sancto viro dicuntur pleraq; extare verùm mutila ac in nullum ordinem redacta. Miraculis clarus obiit Nonis Febr. Hic primus sedem Episcopalem à Sabiona Brixinam transtulit.

29. ADALBERO secundùm Catalogum.

30. HERBARDVS Episcopus Sabionen. ciuitatem Brixinam primò muris parum muniuit. Quotus hic numero Episcopus fuerit non constat, sed quinquenio tantùm præsedit.

31. HARTVVICVS post S. Cassianum primum, Episcopum Sabionen. XXXI. Episcopus, vir plenus omni sapientia & virtutibus. Hic, vt suprà dictum est, relicta Sabiona, Brixinã migrauit, quam totam, vt nunc cernitur, mœnibus cinxit, Ecclesiã S. Michaëlis ædificauit & dedicauit, factus Episcopus Anno 1038. Ibidem mortuus ac sepultus infra tumulum beati Hartmanni Episcopi.

ANNO Domini 1041. per totam Boiariam ac Tyrolen. Comitatum ventus vehemẽtissimus in arboribus ac ædificiis maxima damna fecit; hinc magna frugum penuria

penuria secuta, Ysacus quoque & Athesis subitò inundantes, irrecuperabilia penè damna accolis intulerunt, domos, iumenta subito impetu opprimentes, voragines ingentes factæ, viæ publicè ruptæ, vineæ denudatæ vsq; ad saxa, &c.

PVTSCHIVS dicit hunc Hartvvicum fuisse Comitem Goricensem, cuius Pater Otvvinus, Co. Goricẽsis, Mater VVickburg, fratres Engelbertus & Volkoldus Leuita, qui fuit fundator Monasterij Monial. in Sunnenberg prope Brunckham ciuitatem, in valle Pustrina ord. S. Benedicti, Soror VVickburg, ac alia VVickburg Sororis filia, quæ prima Abbatissa in Sunnenberg fuit, Anno 1018.

POPPO fit Anno Domini 1046. Episcopus Brixinensis, posteà Patriarcha Aquilegien. vir sapiens ac pictatis studiosus, quem Otto Frisingensis libro sexto cap. 33. & post eum Gotfridus Viterbien. libro 17. Popionem vocant, post S. Cassianum primum, Episcopum Sabionen. 32. per Heinricum tertium Imp. ex consilij decreto fit Pont. Max. Damasus secundus nuncupatus, Anno 1048. Auentinus lib. quinto, folio 533. Hunc Platina Bauarum, cognomento Baginarium vel Pepon vocatum, ac sedem Apostolicam, nullo Cleri populiuè consensu, vt quidam volunt, vi occupâsse; Ideo diuina vltione tribus ac viginti diebus tantùm præfuisse, atq; à nonnullis inter Pontifices non numerari scribit. 32.

IDEM Sabellicus & quidã alius. Sed Hermannus cõtractus de eo ita scribit: Sequẽti Iulio, Anno nempe 1048. Poppo Brixinensis Episcopus, ab Imperatore electus, Romã mittitur & honorificè susceptus, Apostolicæ Sedis 152. Papa ordinatus, mutato nomine, Damasus secundus vocatur: Sed paucis diebus exactis defunctus, ad sanctum Laurentiũ extra vrbẽ sepultus est, &c. Meminit eius Palmerius Florentinus in supplemento Chronicorum Eusebianorum, &c. Hic ad Pontificatum summum euectus, donauit Ecclesiæ Brixinen. Caput S. Agnetis virginis & Martyris. Vide ipsum Platinam & Leandrum in descriptione Italiæ, sub foro Iulio 18. regione.

HVIC Popponi, dum adhuc Brixinæ præsideret, prædictus Heinricus tertius Imper. potestatem dedit in foresto intra certos suos terminos venandi. Extat diploma, cuius Datum Vlmæ Anno Domini 1048. quo etiam summus Pont. factus est.

ADOVVINVS, aliàs Altvvinus Boiarius, Sablonen. seu Brixinen. Episcopus, qui antea fuerat Veronensis Episcopus, creatus est Cardinalis à prædicto Damaso, secundo huius nominis, Rom. Pont. prædecessore suo in Episcopatu Brixinen. Anno 1048. In prædicto Catalogo habetur, hunc Altvvinum ab Heinrico Seniore Imper. Episcopum Brixinensem factum, à Guelphone Duce patria pulsũ, ac in eius locum Burckhardum Marchionem 34. Episcopum substitutum; qui cùm octo annis præfuisset, ab Ecclesię ministris occisus fuerit cuius rei Putschius nõ meminit. 33.

INTERFVIT Altvvinus Conuentui Boiorum, per Heinricum tertium Imp. Norinbergæ habito, circa Annum 1049. vbi de bello Vngaris inferendo cõsultatum est, Auent. lib. 5. fol. 534.

ANNO Domini 1080. sub hoc Altvvino Episcopo Heinricus quartus Imper. Brixinę ciuitate Boiarię, vt Otto Frisingen. scribit, Comitia habuit, vbi 30. Episcopi ex Italia, Gallia & Germania, vnà cum Optimatum exercitu conuenêre, contra Gregorium septimum Pont. De quo Otto Frisingen. lib. primo cap. 1. De gestis Friderici Imper. Abbas Vrspergen. Sub illo anno nouissimè Iohan. Auentinus lib. 5. annal. fol. 579.

ANNO Domini 1090. Altvvinus Episcopus Brixinen. de nouo dedicauit & consecrauit Monasterium Sunnenburgen. in prouincia Carinthiæ, nunc autem Ty-

rolen.Brixinen. Diœcesis, ad instantiam Hildegardis, Abbatissæ ibi in ordine quartæ, in præsentia Domini Adalberonis, Episcopi Tridentini, eiusdem Monast. legitimi Aduocati, &c.

34. HVGO Episcopus Brixinen. de curia Imper. electus, acà Berdone Schismatico consecratus, per Conradum Archiepiscopum Salisburgensem deponitur, quòd Heinrico quinto Imper. adhærebat, & in eius locum Reinpertus Monachus S.Petri Salisburgi sufficitur, Auent. lib.6.fol.617.

35. REINBERTVS siue Reginbertus, Episcopus Brixinen.

Svb hoc Almannus, Episcopus Tridentinus, Capellam in Eppan ad Athesim consecrauit, Anno 1131. Hic Reinbertus concessit atque dono dedit Abbati seu Præposito VVilthinen. Monasterij omnem nostram iudiciariam potestatem, ab Antecessoribus nostris Episcopis vsque ad nos in territorio VVilthinen. vel Houemarcha deuolutam, scilicet à termino, &c. Ita sonant verba concessionis, &c. Testes per aurem tracti, Arnoldus Comes & Aduocatus in Murich, Hugo & filius suus Hugo in Tauffers, VVilhelmus de Vtenhaim, Landfridus Maginez, Adelhalmus, &c. Actum Anno Dòmini 1140. Subscriptio Episcopi: Ego Reinpertus Brixinen. Seruus, &c.

Idem Reinbertus Episcopus distinxit Parochiam VVilthinen. de aliis vicinis Parochiis ac Ecclesiis, pro vitandis altercationibus. Extat ibi diploma: In quo Reinbertus Episcopus ponit, VVilthinen. Ecclesiam à se vtcunque plantatam, tradens ei quicquid iuris Ecclesia Brixinen. ante hoc intra illos præfinitos terminos in decimis maioribus ac minoribus, in syluis, campis, villis & vicis habuit, &c. ad Monasterij perpetuos vsus, &c. Actum Anno 1141.

Idem quoque, pro meliori sustentatione fratrum ibi, de consensu Capituli ac Ministerialium suorum dedit montem Alpium Senders, Item montem Malusinders: Testes Reinpertus Archidiaconus, VVolfherus Decanus, VViso Archipresbyter, Canonici Brixinen. Arnolphus Aduocatus de Morich, Reinbertus de Velles, Burckhardus de Sebone, Fridericus & Arnoldus de Rodandis, Rupertus de Reiffenstain, Gotscalcus, VVernherus, VVolftrigel Tageno, Ministeriales Brixinen. Actum Anno 1142.

Confirmantvr superiores traditiones Reinberti Episcopi, per successorem suum, Hartmannum Episcopum. Obiit hic Reinbertus, Monasteriorum S. Georgij ac VVilthinensis in valle Oeni fundator ac restaurator, eodem Anno 1142. Sept: ibidem.

36. S. HARTMANNVS in territorio Patauiensi ortus honestis, sed mediocris fortunę Parentibus, primò Canonicus S.Augustini ibi, posteà à Cůrado Archiepiscopo Salisburgen. Monasterio ibidem præfectus; tertiò ad petitionem Leopoldi, Marchionis Austriæ, nouam ipsius plantationem Monast. Neuburgen. in ripa danubij regendam suscepit.

Postremo ob vitæ sanctimoniam in defuncti Reinberti, Episcopi Brixinen. locum postulatus ac suffectus est, Anno 1142. consecratus à Conrado, primo huius nominis, Archiepiscopo Salisburgen.

Interfvit Comitiis Ratisbonensibus, quibus discordia super Ducatu Bauariæ inter vtrumque Heinricum Vitricum ac priuignum, per Fridericum primum Imp. decisa & composita est, Anno Domini 1156. Auent. fol.633.

Hic Harmannus tutatus est partes Alexand. Sum. Pont. in schismate cõtra Victorem Pont. De quo extant Epistolæ Frid. primi Imp. ad hunc Harmannum in li.4. Radeuici continuatoris Ottonis, Frisingensis Episcopi, vbi plura de hoc schismate Auent.

Auent. lib. 6. annal. fol. 637. & fol. 643. Meminit idem Radeuicus de pietate ac sanctitate huius Episcopi, cuius consilio in grauioribus ac secretioribus negotiis Frid. Imp. vti consueuerit, lib. 1. cap. 14. quem vide.

Hvivs Hartmanni Episcopi consiliis Nobilis vir, Reinbertus Castellanus Sabionen. & Brixinē. palatij Ministerialis, vir diues ac pius, diuino spiritu ductus, cum vxore sua Christina, nobili Boiariç, (familię nomen ignotum est) Monasteriū Noucellēse prope Brixinam, ord. Canonicorum regularium S. Augustini, cuius ordinis & ipse Hartmannus Episcopus in adolescentia fuerat, à primis fundamentis extruxit, nomen ad gratiam S. Mariæ indidit, cēsibus & redditibus annuis copiosè ditauit, Anno Domini 1142.

Praefvit hic beatus Hartmannus Ecclesiæ Brixinen. per annos 23. castissimè ac sanctissimè. Obiit 10. Calend. Ianuarij, Anno 1165. multis miraculis post mortem claruit, pręcipuus patronus grauidarum mulierū, sepultus ibidem in medio Cathedralis templi, &c. Catalogus impressus in numero annorum non concordat.

OTTO Comes, frater Berchtoldi Comitis, secundùm Catalogum surrogatus est Hartmanno per Frid. I. Imp. Anno 1165 Auent. ibidem. Catalogus ponit hunc post quinquennium abdicâsse Episcopatum. 37.

HEINRICVS, huius nominis secundus, Episcopus successit Ottoni, qui Anno Domini 1173. obiit, cui Richerus successit. 38.

RICHERVS Episcopus Brixinen. huius meminit Auent. libro 6. folio 645. & 647. Sub hoc Episcopo, nempe Anno 1174. in vigilia Paschæ, penè tota ciuitas Brixinensis igne conflagrauit, quæ vnà cum Templo Cathedrali ab ipsis fundamentis strui cœpta est. Obiit autē hic Richerus Episcopus 11. Iunij, Anno 1178. anno regiminis sui quinto, sepultus in hospitali inferiori, quod ipse viuus fundauit. 39.

HEINRICVS, huius nominis tertius, Episcopus Brixinensis hunc sæpe citatus Catalogus impressus ponit, ex Præpositura in Betehtolsgaden, suasu Antecessoris sui Richeri, qui spontè resignârit, ad Episcopatū Brixinen. postulatum; deinde consensu Cleri, populiq́; Salisburgen. nec non Friderici Imper. in schismate, repudiato Alberto, ad Archiepiscopatum Salisburgen. vocatum, ei tribus annis præfuisse liberè, deinde, cessione facta, ad Brixinensem Ecclesiā rediisse, eidem 18. annis præfuisse, Templum incendio collapsum restaurâsse, Canonicorum reddituslibera liter auxisse, eleemosynis ac orationibus indisinenter institisse, ac demū in Domino obdormiisse. Hæc ex præd. Catalogo, de qua re vide latiùs suprà, sub Alberto Archiepiscopo Salisburgen. Huius Episcopi fit mentiò in diplomate priuilegij Berchtoldi, Marchionis Andecen. & Berchtoldi Ducis de Meran filij sui, VVilthinensi Monasterio dati super translatione fori vltra pontem (nunc vrbs Inspruckh) in fundum Monasterij eiusq́; permutatione, autoritate Domini Heinrici, Brixinensis Episcopi, cum consensu & fauore tam Ministerialium quàm Canonicorum eiusdem Ecclesiæ facta, Item super exemptione telonei ibi, aliis quoque libertatibus ac prærogatiuis eius: Testes sunt ipse Marchio & filius eius, Dominus Degenhardus, Præpositus de Diessen, & eius Capellanus Burckhardus, Dominus VVernherus, Archipresbyter, & Dominus Cōradus, Custos de Brixina, Dominus Otto, Aduocatus noster eiusdem Ecclesiæ, & Dominus Vdescalcus de Vffendorff, aliàs Vffelndorf Dominus Bernhardus de VVilhaim, Diemo & frater eius Henricus, Albus VVizi de Sliters; hi nobiles, Dominus Rupertus & frater eius, Amilricus de Risinstain, Rupertus & frater eius Herbrant de Mullen; hi Brixinenses Ministeriales, Dominus Lazarus, Gotfridus, Heinricus Snekc, Vdelricus de Bindelsdorf, Conradus Brixinensis, Rudolphus & frater eius Heberhardus de Hochenrain, Fridericus de Schönberch, 40. Reiffenstain.

berch, & Vdalricus de Friuntſperch, & frater eius Gebhardus & Conradus, & Heinricus, Sigibotho de Omras, & frater eius Conradus, Conradus de Bradellen, hi Miniſteriales Domini Marchionis, Bernhardus Pheninger Iudex, Heinricus Stötner, VVernherus Sutar, Eberhardus Albertus Cidelar, Moinhalm, Fridericus, Conradus Schöne, hi forenſes. Acta ſunt hæc Anno ab incarnatione Domini 1180. indict. 13. Sub Imperatore Friderico. Idẽ Heinricus Epiſcopus Heinrico Præpoſito VVilthinen. & Cõuentui ibidem omnem decimam noualium in nemore, quod Luitaſche vocatur, in ius perpetuum tradidit, eodem Anno 1180. indict. 13.

Anno 1181. Idem Heinricus Epiſcopus dedicauit & conſecrauit Altare S. Iacobi in Monaſterio VVilthinenſi, aſtãte Domino Vdalſcalco de Stilnes, & valle Vipiteria, qui ſingulari deuotione, inter conſecrationis ſolemnia, allodium, in loco Flons dicto, & alia quædam bona, per manus prædicti Epiſcopi, Monaſterio dono dedit, ac obtulit perpetuò tenẽda, &c. Vixit Heinricus Epiſcopus adhuc Anno 1185.

41. EBERHARDVS à Truchſen, Epiſcopus Sabionenſis, cui cùm per annos 4. benè præfuiſſet, factus eſt Archiepiſcopus Salisburgenſis, Anno 1200. de quo ſub illis Archiepiſcopis plura.

42. CONRADVS, Nobilis de Rodneck Tyrolenſis, Epiſcopus Brixinenſis; hic Conradus Epiſcopus denuò dedicauit & conſecrauit Templum Monaſterij VVilthinen. Anno 1201.

Idem poſteà Anno 1204. dedicauit & conſecrauit Monaſterium montis S. Georgij in inferiori Oeni valle, item Sacellum in oppido Cluſa ſub Caſtro Sablonenſi, quod vulgò Hoſpitale appellatur, fundator illius Sacelli, Anno 1208.

Anno 1214. Imp. Fridericus ſecundus Auguſtæ Rhetorum Comitia celebrauit, quibus inter alios multos Principes interfuerunt, Conradus Brixinenſis & Fridericus à VVangen, Tridentinen. Epiſcopi; & illuſtris Dominus Albertus, Comes Tyrolenſis. Ambo etiam prædicti Epiſcopi adfuerunt Comitiis Nornbergen. per Fridericum ſecundum, Annò 1216. celebratis. Obiit Anno 1217. vt habent annales Patauien. ac præd. Catalogus.

43. BERCHTOLDVS, Comes à Neiffen, Sueuus, poſt Conradum fit Epiſcopus. Hic impetrauit à Friderico ſecundo Imp. priuilegium & conceſſionem Argenti fodinarum, omniumq́ue venarum metallicarum & ſalis, quæ in ſuo ſunt Epiſcopatu, & de cætero reperiri poterunt, cum omnibus iuſtitiis & pertinentiis ſuis, poſſidenda & tenenda: Teſtes, Fridericus, Epiſcopus Tridentinus, Ludouicus Dux Bauariæ, Hermannus Marchio de Badẽ, Comes Eberhardus de Helfenſtain, Comes Egino de Vrach, Heinricus & Albertus, fratres de Niffen, Albero & Berchtoldus, fratres de VVangen, Anshelmus de Iuſtingen, Imperialis aulæ Marſchalcus, Eberhardus Dapifer de Tanne, Dietho Camerarius de Rauenſpurg, Iacko de Trivveſhaim. Actum hoc eſt Anno Dominicæ incarnat. 1218. Datum apud Nurnberg, 4. Calend. Ianuarij, indict. ſexta.

Hic quoq; vnà cum Ottone Magno, Co. Palat. Burgun. Duce Meraniæ, interfuit Comitiis, per Fridericum ſecundum Norinbergæ, poſt obitum Ottonis quarti Imp. habitis, eodem Anno 1218.

Hic conſecrauit Eccleſiã filialem in pago Ombras, prope Oenipontẽ, in honorẽ ſanctorũ, Pangratij Martyris, & Zenonis Epi, Anno 1221. Obiit Anno 1224. 18. Iulij.

Poſt huius obitum, nempe 22. Iulij, igne conſumpta eſt tota ciuitas Bozanã cum 150. hominibus, ſub Comite Vlrico auß Vlten / de Eſchenloe Domino ac Capitaneo tum ad Atheſim. Ita Purſchius annotauit.

HEINRICVS, Comes à Taufers, Tyrolenſis, huius nominis quartus, Epiſcopus Brixinẽſis, hunc ſæpe allegatus Catalogus planè omiſit. Hic vnà cum aliis Epiſco-

Episcopis ac Principibus pacem fecit inter Conradum Salisburgensem, & Hermannum Gurcensem, Episcopos, secundùm Auentin. lib. 6. fol. 655. Præfuit hic Episcopus Anno 1225. Quo tempore claruerunt hi Nobiles Ministeriales Brixinensis Ecclesiæ, Hugo à Tauffers, Fridericus & Arno de Rodank, VVilhelmus de Felturns, Reinpertus de Sebio, siue Sabiona, Rupertus de Castlruto, Fridericus de Schönekh, VVernherus de Schenkenberg, Reinpertus Garto, Albertus de Reischon, Heinricus de Aichach, Hartungus de Berg, tres Nobiles de Felsek, Albertus de Voithsperg, Ottocarus à Neueuburch, Fridericus Lythus, &c.

Hic Heinricvs Episcopus interfuit nuptiis Ottonis, Ducis Bauariæ, cum Agnete, Heinrici Palatini Rheni filia, Strubingæ per Ludouicum patrem magnificè habitis, Anno 1228.

Idem quoque interfuit Synodo seu Concilio Boiorum Principum, Landshuotę per prædictum Ottonem Ducem celebrato, Anno 1223. Meminit Auentin. lib. 7. fol. 667. non expresso illius nomine.

Heinricvs iste Episcopus in vrbe Rauenna, ex mandato Friderici secundi Imper. Ottoni Duci Meraniæ in feudum concessit castrum sancti Michaëlis, Burgum & Comitatum in Pustertal, Item castra seu arces Matraij, Vellenberch, cum aliis feudis, quæ Pater Episcopi in Oeni valle, ac in Pustertal tenuit, vnà cum Comitatu in inferiori Oeni valle.

E contra Dux promisit Episcopo forum Inspruckh tradere cum villa Ombras, vel 250. Marcas argenti pro his soluere, propter Aduocatiam Brixinensem, inter ipsos ac Comitem Tyrolensem decernendum esse: Testes, Tauffers, Schönekh, Felthurns, Rodnek, Sehenkenberg, Aichach, Porta, VVirtsperch, Fortza, Matraij, Elpach, VValpach, Znerenden, Räsen, Kastlrut, Seben, Aufhofen, Rischen, Berg, Vilonders, & alij. Actum Anno Domini 1232.

Anno 1233. Heinricus Episcopus consecrauit Abbatissam Sophiam electam in Sunnenburg, &c. Officiales tum, quos hæreditarios vocant, Episcopatûs Brixinensis: Arnoldvs de Rodanekh, aliàs Rodnek, summus Camerarius, Fridericus de Schönekh, Marschalcus, Nicolaus de Castelruto Dapifer, Eberhardus de Sabiona Pincerna, &c. quæ familiæ omnes posteà defecêre, ac aliæ suffectæ, vt in fine horum Episcoporum annotabimus. Sub hoc Episcopo, Anno 1234. Idib. Ianuarij ciuitas Brixineñ. in cineres redacta, cum ea parte templi Cathedralis, quã Monasterium vocant; eadem clade Sacella Diuorum circumquaq; posteà miserè corruêre.

Hoc anno Otto Dux Meranię, dictus Maior, &c. Comitia prouincialia habuit in ciuitate Inspruck, quibus interfuêre Gerhardus Trident. & Heinricus hic Brixiñ. Epi.

Hoc anno idem Otto forum Inspruck, denuò iure ac priuilegiis ciuitatis donauerat, ac exornauerat, cùm à tempore inclinantis Imperij Romani eiusmodi iura ac dignitatem penitus amisissent, vnde versus hi:

Otto, Meraniæ Princeps, cognomine Magnus,
Inspruck circumdat muris & mœnia fundat,
Tricesimo quarto post annos Mille ducentos,
A nato Christo priuilegia Dux dedit Ottö.

EGNO electus & confirmatus Brixineñ. Ecclesię Epus. Hunc Catalogus dicit 45.
natum fuisse de prosapia & sanguine Friderici Imp. ac 17. annis pfuisse. Hic Præposito VVilrhineñ. ac fratrib. suis potestatem dedit operarios salinę in Tauure, alios in Hallis cōpellendi, vt diebus festis ac sacris ab operis abstinerent, quibus hactenus ex mala consuetudine sine vlla reuerentia intentiùs instabant, ac pro absolutione, cum ipsis quomodocunq; ne impuniti permaneant, componendi, &c. Testes post Ecclesiasticos, VVilhelmus & Heinricus de Aichach, Merbotho, Fridericus Lithusi, milites, &c. Actum Anno Dñi 1244. Extat diploma.

46. BRVNO, Epiſcopus Brixineñ: Comes de Buelenſtetn & Kirchperg, filius Conradi primi familiæ ſuæ, Comes in Kirchperg & Bertha, Com. Goriceñ. & Tyroleñ. hic cõfirmauit diſtinctionem Parochiarum in VVilthin, Ampans, & valle Stubaij, quondam per Reinginbertum, Epiſcopum Brixineñ. factam, de qua ſuprà ſub illo Epiſcopo. Datum huius Diplomatis in caſtro Sabiona, Anno Dñi 1250. quarto Calend. Octobris. Sub hoc Epiſcopo vehemens ventus in multis locis Germaniæ, adeoque in Comitatu Tyroleñ. multa ædificia ſubuertit, arbores euulſit, multos homines oppreſſit, atque plurima damna dedit, Anno 1253.

Interfuit Synodo Viennenſi, Anno 1268. ſecundùm Auent. fol. 705.

Hic ex ruderibus vetuſtiſſimæ vrbis, à Brionibus olim conſtitutæ, oppidum Braunekh, in confinibus Carinthię ac Tyrolis, conſtruxiſſe, ac à ſeipſo denominâſſe dicitur; cuius Diœceſi ac iuriſdictioni in hodiernum diem ſubiicitur.

Donavit Bruno Epiſcopus, cum conſenſu Capituli ſui, Monaſt. VVilthinenſi Parochiã in Ampans, inter Inſpruck & Hall ſitam, vnà cum decimis noualium, Anno 1256. Idem eidem dat immunitatem telonei per diſtrictum ſecularis ſui dominij, Anno 1260.

Idem quoque VVilthineñ. Monaſt. confirmauit omnia priuilegia à Prædeceſſoribus ſuis data, Anno 1261. Anno 1267. fundatum eſt Monaſterium Monialium in Mariental, nuncupatum Fuldepp, per Vlricum de Freuntſperg, Luitgardam vxorem, Conradum & Fridericum, filios, &c. Ord. S. Dominici.

Idem quoque Anno 1284. conſecrauit nouum Monaſterium Stams, fundatum per Meinhardum, Com. Tyroleñ. & Goriceñ. & vxorem Eliſabetham, Ducissam Bauarię, &c. Ciſtertieñ. ord.

Bruno Epus obiit Anno 1288. regiminis 39. ſepultus ibidem in ſummo Templo, vir doctrina, morumq́; grauitate ac pietate conſpicuus. Poſt huius obitum Eccleſia Brixineñ. cum tota quaſi Diœceſi diuerſis calamitatibus ac tyrannorum iniuriis oppreſſa, & ferè ad ſummam inopiam redacta, vſq; ad tempora Melchioris à Mekhavv, Annum ſcilicet 1489. Quo ſub Epiſcopo ac Cardinale iterum reſpirare, caputq́; in altum tollere cœpit. Purſchius.

47. HEINRICVS, generoſus liber à Villach, Carinthius, huius nominis quintus, Epiſcopus Brixineñ. hic iuſſu Adolphi, Romanorum Regis, Ratisboneñ. ciuibus legem Friderici II. Imper. ſuper immunitate Eccleſiaſtica prælegit, ſecundùm quam & Rex iudicauit immunes eſſe debere Eccleſiaſticos, Anno 1295. Auentinus folio 727. Habetur hæc conſtitutio in vſibus feudorum incipiens, In die qua de manu, &c.

Sub hoc Epiſcopo, nempe Anno 1292. Inſpruck ciuitas ferè tota igne periit, cùm Meinhardus, Dux Carinthiæ, ac Comes Tyroleñ. ibidem reſideret, ac eo ipſo die Albertus Dux Auſtrię, poſteà Rom. Rex factus, gener Meinhardi, ad ipſum Oenipontem veniſſet, in vigilia Paſchæ, Auent. lib. 7. fol. 720.

48. LANDOLPHVS, Epiſcopus Brixineñ. Anno 1296. 1297. 1300. Catalogus hunc Mediolanenſem fuiſſe dicit; Medicinę apprimè expertum, à Miniſterialibus occiſum.

49. ARNOLDVS, ſecundùm Catalogum, ac quòd de hoc nihil extet aliud, &c.

50. IOANNES, huius nominis ſecundus, ex Præpoſito quondam Berchtoldsgadeñ. Epus Brixinenſis factus. Obiit Anno 1306. ſepultus in noua Cella, prope Brixinã.

51. IOANNES, huius nominis tertius, Epiſcopus Brixinenſis, Anno 1309. interfuit Conuentui Principum Bauarię, Auſtrię, Carinthię; item Conradi, Archiepiſcopi

Salis-

Salisburgeñ.& quorundam Comitum in Paſſau habito, Anno 1312. vbi inter eos pax facta & iuramento firmata eſt, Auent. fol. 741.

Hic Episcopvs, defuncta Domina Adlhaid, Abbatiſſa Monaſt. Sunnenbergẽ: Dominam Diemuot ſubſtitutam de more conſecrauit, Anno 1315. Anno 1321. grando horribilis apud Bozn, lapides proiecit, ſicuti oua gallinarũ, periit villa Rentſch, iuxta Bozn, & quædam aliæ.

ALBERTVS, Epiſcopus Brixineñ. primus huius nominis, familiæ de Enna Tyroleñ. Anno 1328. Anno ſequenti 1329. Heinricus Rex Bohemiæ, Titulotenus, aliàs Dux Carinthiæ, Comes Tyrolis, &c. fundauit hoſpitale Oeniponti, ante portam ſeu verſus VVilthineñ. Monaſter. & dotauit redditibus Marcarum decem Veroneñ. cuius Templum ſequenti anno conſecratum eſt. Catalogus ponit hũc Anno Domini 1323. Epiſcopum factum, ac 13. annis pręfuiſſe, multa bona Eccleſiæ ſuæ donâſſe, ac 1. Nouemb. obiiſſe; ſubſtituens huic 53. loco Conradum de Klingenberc Anno 1336. & ſequentem Georgium omittens. Ego Putſchio, rerum Tyrolenſium ac Brixinẽſium diligentiſſimo perſcrutatori, plus crediderim, iudicium ſit penes lectorem. 52.

GEORGIVS, huius nominis primus, Epiſcopus Brixineñ. dedicauit ſummum Altare & Chorum Eccleſiæ Hettingen, Anno Domini 1338. Hoc anno locuſtarum tanta multitudo fuit, vt ferè terram operirent; præſertim in prouincia Tyrolenſi ac Brixineñ. vbi hæc calamitas durauit diebus plus minùs 24. Auent. hoc anno priori aſſcribit, lib. 7. fol. 776. 53.

MATTHÆVS Epiſcopus Brixinenſis factus, Anno 1339. familiæ Conzman, Atheſinus Capellanus, Comes Tyroleñ. ſecundùm Catalogum. 54.

Tempore huius Epiſcopi, Anno 1340. ciuitas Oenipontana, incertum caſu ne an fraude conflagrauit igne, in pago VVilthinenſi nato, 60. homines flamma miſerè periiſſe, memoriæ literarum traditum eſt.

Cvm hoc Epiſcopo Ludouicus, Marchio Brandenburgeñ. Dux Bauariæ ac Comes Tyrolenſis, filius Ludo. quarti Imp. fecit confœderationẽ contra Meinhardum & Heinricum, Co. Görzeñ. qui ei ac vxori, Margarethæ Maultesch dictæ, litẽ mouebant, ſuper Comitatu Tyrolenſi, Anno Dñi 1348. ex regiſtraturis illius Ducis.

Hic Epiſcopus Matthęus, per Clementem VI. Summũ Pont. Auinioni cum 12. aliis grauiſſimis viris in Cardinalem creatus modeſtè renuit, neque titulo illo vnquam vſus eſt, & hoc, ipſo anno Iubilæo, Anno 1250. Putſchius.

Anno 1348. ciuitas Meranię tota incendio periit, 17. Martij, facta maxima iactura. Ambo hi Principes, nempe Ludouicus Marchio, & Matthæus Epiſcopus, compromiſerunt ſuper quibuſdam ſuis litibus in Heinricum de Pöring, Volkartum de Avv, & B. de Guſithaun, Anno Domini 1350.

LAMPERTVS, Nobilis à Burn Alſata, Abbas Gengenbacenſis, Caroli IIII. Imp. Cancellarius & Conſiliarius intimus, eius promotione fit Epiſcopus Brixinenſis; vbi cùm paucis annis præſediſſet, Annò ſcilicet 1363. fit Epiſcopus Spirenſis, poſteà Argentinenſis, poſteà Bambergenſis, vltimò ad Monaſt. ſuum reuerſus, ibi moritur. De quo latiùs Bruſchius in Metropoli Moguntineñ. Abbas Trithemius in hiſtoria Monaſt. Hirſaugieñ. ſub Anno 1363. Hunc Catalogus planè omittit. 55

IOANNES à Plazhaim, de Schlakavved Bohemus, quartus huius nominis, Epiſcopus Brixinenſis, Cancellarius inclytorum Ducum Auſtriæ, Anno 1369. Obiit Anno 1374. Brixinæ, ibidem ſepultus. Præfuit 11. annis. Hic in Catalogo loco 51. ante Albertum Epiſcopum per errorẽ eſt poſitus, cùm numerus annorum huic loco conueniat. 56.

ALBER-

57. ALBERTVS de Enna, Tyroleñ. huius nominis secundus, fit Episcopus Brixineñ. Anno 1374. Alberti primi, Episcopi Brixineñ. ex fratre Nepos, qui obiit Anno 1377. primo Nouemb. hic quoq; in Catalogo omissus est.

58. IOANNES Sehaldesman Lenzburgeñ. Sueuus, I. V. D. Rudolphi quarti, Ducis Austriæ, Cancellarius aulicus, antea Episcopus Gurcensis, fit Episcopus Brixineñsis, Anno 1377.

Eodem Anno autoritate Pontif. commutauit Episcopatum cum Friderico Burieñ. Episcopo. Obiit ibi Anno 1389. Sic Putschius, at Catalogus impressus aliter habet.

59. FRIDERICVS, antea Curieñ. Episcopus, Brixinensis Episcopus factus, Anno 1377. Catalogus ponit hunc de Erdinga natum, Leopoldi Austriaci à Svvitensibus occisi Cancellarium, multis virtutibus præclarum, amatorem Cleri, ac quasi speculum omnis pietatis ac honestatis fuisse, laudabiliter præfuisse annis 22. & 10. mensibus; tandem soli Deo vacaturum, Vdalrico de Vienna, Leopoldi iunioris Cancellario, Episcopatum resignâsse, ac Anno 1396. in die sancti Viti obiisse, sepultum iuxta altare S. Trinitatis, &c. Numerus annorum non per omnia quadrat.

60. VDALRICVS, Episcopus Brixinensis, secundus huius nominis, Leopoldi Ducis Austriæ, fratris VVilhelmi Cancellarius, Anno 1396. eidem VVilhelmus Dux Austriæ priuilegia dedit, Anno 1402. Præfuit annis 21. Clerum & alios subditos multis exactionibus oppressit, hinc etiam captiuitatem & alias calamitates passus: Econtra in eleemosynis valde largus, ædificiorum studiosus restaurator, Palatium Episcopale, quasi à fundamentis extruxit, castrum Brunekh insigni ædificio illustrauit. Putschius. Sub hoc Episcopo Leopoldus iunior, Dux Austriæ, & Comes Tyrolensis, leges seu statuta prouincialia Comitatus Tyroleñ. ad instanriam statuum restaurauit, Landsordnung vocant, Anno 1397. ipsis quoq; aliqua priuilegia suo & fratrum suorum nomine dedit, Anno 1404.

Anno 1416. pax & transactio inter hunc Episcopum Vlricum ex vna, Ernestum & Fridericum, Duces Austriæ, & Comites Tyrolenses, fratres ex altera partibus, per Eberhardum Archiepiscopum Salisburgensem, & Ludouicum Ducem Bauariç, facta est, super litibus & contentionibus suis, &c.

Eodem quoq; anno, inter prædictos duos fratres grauis contentio orta, Friderico, quòd Ioannem XXIII. Pont. per Concilium Constantiense depositum, clàm è Constantia abduxisset, per Concilium ac per Sigismundum Imper. proscripto, & omnibus prouinciis suis priuato, Ernestus per prouinciales Tyrolenses euocatus, qui neque Cæsari neque alteri extraneo iurare vellent, venit, ac Comitatum Tyrolēsem in fidem accepit; Fridericus frater, post impetratam absolutionem, domū reuersus, ægrè tulit, hoc sibi à fratre factū, Comitia prouincialia desuper habita primò Meraniç, posteà Oeniponti: Post multos tractatus, quibus etiam Vlricus hic Episcopus interfuit, cùm maior pars Nobilium cum Ernesto; ciuitates verò ac populares cum Friderico sentirent; tandem cōcordia ac noua diuisio inter fratres facta, in qua Comitatus Tyroleñ. Friderico absolutè cessit.

Obiit Vlricus Episcopus, Anno 1417. 18. Maij, sepultus ibidem ad murum Capellæ omnium Sanctorum versus Sacristiam.

61. SEBASTIANVS Stemphelius Athesinus, primus huius nominis, Decanus Brixinensis, vir deuotissimus, fit Episcopus, Anno 1417. Prçfuit vno tantùm anno fidelissimè. Obiit Anno 1418. 12. Calend. Aprilis, ibidem sepultus, sub lapide in medio templi.

62. BERCHTOLDVS, cuius tàm patria quàm familia ignoratur, fit Episcopus Brixinensis. Sub hoc Episcopo lacus iuxta Meraniam ciuitatem ad Athesim inunda-

inundatione rumpitur, partem ciuitatis, necnon hospitale extra muros cum Templo, Sacerdotibus ad Altare stantibus, vnà cum muro ac portis rapit; inter alia infantem in cunis cum insidente fele, infans prope Bozanum tribus milliaribus infra Meranum saluatus est, perierunt circiter 400. homines, factum hoc Anno 1419. die veneris post S. Mauritij, &c.

ANNO 1420. tam calida hyems fuit in Comitatu Tyrolen. vt die 20. Februarij inciperent florere arbores, die quarto mensis Martij etiam vineæ. Meminit eius dem Engelhusius, cuius Chronica hoc anno desinit, secundùm Putschium. Ego Chronicã non vidi. Prædictus Berchtoldus, Episcopus Brixinensis, obiit Anno 1427. nono sui regiminis, ibidem sepultus. Catalogus discrepat in numero annorum, ego sequor Putschium.

VDALRICVS Putschius, Suceuus ex VVerdea, tertius huius nominis, Canonic' Tridentinus & Brixinen. Friderici Ducis Austriæ & Co. Tyrolen. Cãcellarius, fit Episcopus Brixinen. Anno 1227. Consecratus per Antonium Pãncerinũ de portu Gruario, Cardinal. & Patriarcham Aquilegien. autoritate, & vice Archiepiscopi Salisburgen. Sede tunc per obitum Eberhardi Archiepiscopi vacante, &c. 63.

EODEM anno Oenipõti natus est Sigismundus, Dux Austriæ, baptizatus per prædictum Episcopum Vdalricum, Compater fuit Sigismundus Imper. cuius etiam nomen sortitus est.

FVIT hic Vdalricus vir pius, doctus, facundus, in rebus agendis prudẽs, qui optimè præfuit Ecclesię suę decem ferè annis. Dicitur in Catalogo hunc de rebus suis gestis diarium conscripsisse, eius exemplar Brixinæ adhuc extare. Obiit 29. Augusti, Anno 1437. sepultus ibidem in Basilica Cathedrali, in sacello trium Regum, à se fundato.

GEORGIVS, huius nominis secundus, ex valle Stubaij, prouincię Tyrolen. tenuis fortunæ parentibus oriundus, Præpositus Brixinen. & Canonicus B. Marię Virginis, ibidem in ambitu Alberti, Rom. Regis, ac Friderici senioris, Ducum Austrię, & Comitum Tyrolen. Cancellarius, fit Episcopus Brixinen. Anno 1437. 64.

SVB HOC Episcopo obiit Fridericus senior, Dux Austriæ, & Co. Tyrolis, Sigismundo eius filio nondum pubere, vt potè qui tum 12. annum ætatis vix attigerat, Tutorem habuit Fridericum Austriacum, seniorem dictum, pòst Rom. Imperatorem. Hic Georgius Episcopus obiit 17. Decembris, Anno 1443. Qui optimè rexit annis 6. redditus Ecclesię suæ ampliauit, magnam campanam, quę sexta dicitur fieri, ac anniuersarium Angariale in memoriam omnium Episcoporum Brixinen. instituit curauit, &c. Idem diuersis necessariis ædificiis Ecclesiam suam ornauit, tumulatus ibidem in medio Cathedralis Ecclesiæ.

GEORGIVS, huius nominis tertius, eligitur Anno 1443. Interfuit hic Georgius Comitiis, per Fridericum Romanorum Regem, Anno 1444. Norinbergæ habitis. Obiit Viennæ in Decembri, Anno 1444. morte subitanea, Pontificatus sui anno primo, sepultus ibidem in Templo S. Stephani; de cuius ortu & vita nihil præterea scriptum reperitur. 65.

MEMINIT huius Episcopi subitaneæ mortis ac status Brixinensis Episcopatus Æneas Syluius, in Epistola sua 54. vbi eum Gregorium vocat. In Catalogo horum Episcoporum fortè ꝓpter breuitatem regiminis omissus est, secũdùm Putschium.

IOANNES, huius nominis sextus, Retelius ex oppido Hellel, supra Salisburgum, Decretorum Doctor, Canonicus & Vicarius in spiritualibus Ecclesiæ Brixinensis generalis, electus in Episcopum secunda die Ianuarij, Anno 1445. Præfuit vigilantissimè sex annis. Obiit 28. seu vltima Februarij, Anno 1450. Brixinæ, ibidem sepultus. 66.

Sva

Svb hoc Episcopo, nempe Anno 1446. Fridericus Rom. Rex abdicauit tutelam Sigismundi Archiducis, eiq; omnes suas ditiones resignauit.

67. NICOLAVS Cusanus, Treuiren. Theologiæ ac I.V.D. vir doctissimus ac celeberrimus, S. Romanæ Ecclesiæ ad vincula Petri Cardinalis. Catalogus habet VVormatij obscuris ac pauperibus parentibus ortum, &c. cùm post mortem Ioannis Episcopi, Canonici concordibus votis, annuente quoque Sigismundo, Duce Austriæ, Comite Tyrolen. tanquam Aduocato Ecclesiæ, Leonhardvm VVismair Tyrolen. Decret. Doct. Canon. Brixinen. & Parochum Tyrolen. Ecclesię, prędicti Sigismundi, Ducis Austrię intimum Consiliarium ac Cancellarium, elegissent Episcopum 14. Martij, Anno 1450.

Nicolavs quintus, Summus Pont. hunc confirmare noluit, sed illis inuitis prædictum Nicolaum Cusanum Episcopum dedit ac confirmauit: Ex qua re posteà plures contentiones & dissidia grauissima inter Sigismundum & Cusanum Cardinalem exorta. Nam hicà Sigismundo Archiduce, aliquamdiu captiuus, detentus, ille rursum à Summo Pont. excommunicatus est; hæc tandem per Fridericum Cęsarem transacta & sopita sunt, & Cardinalis ille Cusanus, magnus ingenio, Episcopatum Brixinen. nihilominus, tametsi à Principe Tyrolen. grauiter infestatus, partim absens, partim præsens, ad mortem vsq; inuicto animo, Summi Pont. potissimùm ope & autoritate fretus, gubernauit.

Praedictvs verò Leonhardus electus ope & intercessione prædicti Sigismundi Archiducis, Anno 1454. ordinatus est Episcopus Gurcen. vbi cùm quinquennio præsedisset, obiit Anno 1459.

Nicolavs hic Cusanus impetrauit à Friderico tertio Imper. confirmationem supradicti priuilegij, à Friderico secundo sup argenti fodinis dati, & hoc Anno 1452.

Eodem anno idem Fridericus tertius Imper. Romæ viros nobiles, Georgium & Petrum de Latrono Tyrolen. filios domini Paridis seu Parisij de Lattono Equitis aurati Nobilisquondam ac fortiss. Herois, ob fidelia seruitia, in dignitatem, gradum atq; ordinem Comitum sublimauit, castraq; ipsorum Ladronum ac Romanum, cum suis pertinentiis in Comitatum erexit, & nomine Comitatus insigniuit, conferens ac inuestiens eos de hoc Nobili feudo, præstito tùm consueto fidelitatis iuramento, nostris, tùm & Imperij sacri, & quorūlibet aliorum in his iuribus semper saluis, &c. Datum Romæ, sexto die Aprilis, Anno 1452. Regni nostri 12. Imperij verò primo.

Sigismvndvs prædictus, Austriæ Dux, huic Nicolao de Cusa, Episcopo Brixinen. impignorauit castrum Taufers in Bustertal cum pertinentiis, cum pacto reluitionis intra certos annos, Anno 1456. summa pretij posteà Anno 1464. per transactionem aucta est.

Eodem Anno 1464. 12. Augusti in Vigilia S. Cassiani Martyris, primi Episcopi Sabionen. seu Brixinen. obiit dominus Nicolaus de Cusa Cardinalis, & Sedis Apostolicę per Alemanniam & alias quasdam prouincias Legatus de Latere, Episcopus Brixinen. Tuderti ciuitate Vmbrię, anno dignitatis Cardinalitiæ XVI. Pontificię XV. ætatis LXIII. cadauer Romam relatum, ac in titulari sua Ecclesia honorificè sepultum, cum hoc disticho:

Qui iacet ante tuas Nicolaus, Petre, cathenas,
Hoc opus erexit, cætera marmor habet.

Praefvit annis 14. vir hic doctissimus fuit, vt ipsius opera testantur, ac Æneas Syluius in lib. 1. de actis Concilij Basiliensis ferè ab initio. De eodem, qui vult, videat Ioannem Auent. in Annalibus fol. 670. 825. 827. 839.

Defvncto Nicolao Episcopo, ad instantiam ac intercessionem Fride. Imper. Summus Pont. Pius secundus, per Rudolphum Episcopum Lauentinum, Legatum Aposto

Apostolicum, Sigismundum Archiducem, ab excommunicatione, & prouinciam illam ab interdicto absoluit.

GEORGIVS Golserus Bauarus, huius nominis quartus, Canonicus Brixineñ. vita omni probatiss. Senex, communibus votis, ac cõsensu Sigismundi Archiducis, Aduocati Ecclesię, post mortem Cusani electus est; Hinc graue schisma exortum, cùm Paulus, huius nominis secundus, Summus Pont. & Imper. Frider. tertius, vnà cum coniuge sua, contra hunc Georgium electum, quendam Leonem à Burckstal in Spaur, Tyrolensem, nobilitate, genere, doctrina, morumq; grauitate spectabilem virum, Decretorũ Doctorem, Maiestatis Cæsareæ pręcipuum Consiliarium, in Episcopum Brixineñ. destinâssent, & Paulus Summus Pontifex Georgium cõfirmare nollet: Econtra Sigismundus Dux, tanquàm Aduocatus ac Princeps Tyroleñ. vnà cum Canonicis Leonem ad possessionem Episcopatus minimè admitterent. Durauit hoc schisma p septem annos cum dimidio, quibus Ecclesia Brixineñ. duos Præsules habuit. His elapsis, post multos tractatus, magnoq; pecunię interuentu Georgius, repudiato Leone, à Xisto Papa IIII. confirmationem Pontificiam obtinuit. Diuturnum ac infelix hoc schisma fœlicissimum finem sortitum est. 68.

PRAEDICTVS Leo posteà restauratæ per Fridericum tertium Imper. Cathedralis sedis Viennensis primus Episcopus constitutus, ac à Xisto Papa quarto confirmatus est, Anno 1480.

SVB HOC Epõ Georgio obiit Nobilis vir, Osvvaldus de Seben Tyroleñ. Eques auratus, Episcopatus Brixineñ. Pincerna, hæreditarius postremus suæ familiæ, Anno 1465. Quo etiam obiit Georgius Hack de Themasvvald, Silesius, Episcopus Tridentinus; in cuius locum electus est IOANNES, huius nominis Hinderbach Hessus, Decretorum Doctor, Canonicus ac Præpositus Tridentinus, Friderici Imper. Consiliarius, & apud Sedem Apostolicam Orator, vir & doctrina ac experientia conspicuus.

ANNO 1475. in die passionis Domini, Simon, infans Tridentinus, per perfidos Iudæos Martyrio affectus; Iudæi autores, ac conscij sceleris dignas pœnas luerunt, Simon inter Sanctos relatus. Erecta illi Basilica, pluribus miraculis corruscat, cuius rei plurimi scriptores fide digni meminerunt, Sabellicus, Volaterranus, Matthias Palmerius, ANDREAS Vega, qui de iustificatione super Concil. Tridentinum doctissimè scripsit, in descriptione & commendatione vrbis Tridentinæ, præfixa operi suo, & decretis illius Concilij; Philippus Bergomas in supplemento Chronicorum; Nauclerus, Munsterus in Cosmographia, omniũ verò locupletissimè Ianus Pirrhus Pincius Mantuanus, de vitis Trident. Pontificum lib. 4.

ANNO 1480. 20. Nouembris, obiit Oeniponti Domina Eleonora, Iacobi Scociæ Regis filia, Sigismundi Archiducis prima vxor, deuotissima ac piissima fœmina sine liberis, sepulta in Stams Monasterio, in superiori Oeni valle cum aliis Principibus Tyrolensibus.

ANNO 1482. 22. Aprilis, Sixtus Papa quartus Melchiorem à Meckavv, Austriacum, I. V. Doct. Præpositum Magdeburgensem, tanquàm Coadiutorem & Successorem designatum Georgij Episcopi Brixineñ. Sigismundi Archiduci recommendauit.

ANNO 1483. 14. Martij, paulò post meridiem surrexit ventus vehemens, hinc ferè tota ciuitas Botzani ad Athesim, exceptis 15 domibus ac Ecclesia, incendio periit.

ANNO 1487. incepit primum bellum Sigismundi Archiducis, contra Venetos fœliciter gestum. De cuius origine & successu, qui plura legere cupit, videat Conradum VVengerũ, Brixineñ. Canonicum, Item supplementum Chronicorum Philippi Bergomatis, lib. 15. & vltimo.

Sabellicum Æneadis 10. lib. 8. Cardinalem Bembum in historia Veneta, libro primo.

Carionem Chronicorum lib. 5. Continuatorem Chronici Eusebiani, Iacobum VVimphelingium in Epithomate rerum Germanicarum, cap. 60.

Ianum Pirrhum de vitis Episcoporum Tridentinorum, lib. 5. Lazium in Austria sua, lib. secundo.

Anno 1489. quo hic Episcopus obiit, aliàs 1490. in Quadragesima Sigismundus, Archidux Austriæ, cùm liberis careret, Comitatum Tyrolẽsem, & omnes suas prouincias superiores Maximiliano Regi Roman. cõnsensu Friderici Imperat. liberè resignauit, qui etiam ipsorum priuilegia atque libertates confirmauit, &c. prima prouincialia Comitia Meroniæ habuit, ac ibi regimen seu consilium Tyrolense renouauit.

Sigismundus autem posteà, nempe Anno 1496. quarta Martij, Oeniponti obiit, sepultus in Stambs apud suos Maiores. Princeps hic fuit liberalis, mansuetus, pacis, iustitiæ ac doctrinæ amator, ac singularis Patronus. Sub eo in Comitatu Tyrolensi fuerunt aurea secula. Nam Anno Domini 1448. principio sui regiminis famosissimæ ac opulentissimæ argenti fodinæ in villa Schvvatz im Erbstollen & Falckenstain primò inuentæ. Inde vsque ad tempora nostra vltra annos centum maximæ opes ac diuitiæ erutæ (irritamenta vt Poëta ait malorum) Vnde Comitatus iste à multis Regno alicui non immeritò comparatus est. Qui de hoc Sigismundo plura scire cupit, videat Austriam VVolfgangi Lazij.

Anno 1493. obiit Vlricus de Freuntsperg, Episcopus Tridentinus, huius nominis tertius, cui substitutus est alius Vlricus de Liechtenstain, Tyroleñ. Canonicus Trident. & Brixineñ. quartus huius nominis.

69. MELCHIOR à Meckavv, Casparià Meckavv, Austriaci, Maximiliani Romanorum Regis Consiliarij ac Cubicularij, &c. filius, designatus Coadiutor Georgij, posteà Episcopus Brixinensis ab Alexandro Papa sexto Romæ magnificis cæremoniis Cardinalis creatus est, Anno 1503. Sub hoc Episcopo, nempe Anno Domini 1500. Leonhardus, Comes Goritiæ, vltimus suæ familiæ, Testamento legauit Maximiliano Cæsari oppidum Luentz Goricensis olim Comitatus cum omni sua iurisdictione, quod hoc modo Comitatui Tyrolensi plenè accessit & incorporatum est, Anno Dñi 1511. in quo quondam Evfemia, Comitissa Goricensis, instituerat Monasterium ordinis Carmelitarum, ibidem sepulta, secundùm Putschium.

Hoc Anno in Comitatu Tyrolensi hyems asperrima, quam secuta est æstas immodicè æstuans, & arida; ita vt propter pluuiæ inopiam & nimium solis ardorem cuncta penè humi nascentia exaruerint, fœnum inprimis, parum quoque auenæ creuit, & frumenti maxima caritas secuta; vinum tamen vbique & optimum, & in maxima quantitate natum est, vt dolia deficerent. Fuit idem hic annus porcis admodum funestus, ac cæteris aliquot animalibus exitiosus.

Anno Domini 1504. 24. Aprilis obiit Dominus Gavdentivs, Aduocatus de Mätsch, siue Amasia, Comes à Kirchperg, & Dominus in Prettigovv, & Dauas, Curiensis Episcopatus Hæreditarius Dapifer, Sigismvndi quoque Archiducis, ac Maximiliani Romanorum Regis Consiliarius, Dux militaris, postremus suæ familiæ, in magnifico castro suo Churberg, in valle venusta, sepultus in vicino Monasterio sanctæ Mariae, ordinis sancti Benedicti, &c.

Anno 1505. 16. Septembris obiit Tridenti Dominus Vdalricvs à Liechtenstain, Episcopus Tridentinus, sepultus ibidem; cui successit die 24. eiusdem mensis Dñs Georgius, eius nominis à Neidekh, Austriacus, I.V. Doctor, Archiducatus Austriæ Cancellarius, & Coadiutor Tridentinus, vir doctus, ac in grauibus negotiis diu versatus.

Obiit hic Melchior Episcopus & Cardinalis Romæ, secunda die Martij, Anno 1509. in legatione pro Maximiliano Cæsare, Anno Pontificiæ dignitatis XXII. sepultus ibidem.

CHRISTOPHORVS, primus huius nominis, à Schrouenstain, filius Osvvaldi Equitis aurati, ac Praxedis, Baronissæ à VVolckenstain, &c. Coadiutor Brixineñ. & Tridentineñ. summæ Ecclesię Præpositus, &c. fit Episcopus Brixineñ. Anno 1510. vir genere, eruditione ac morum grauitate celeberrimus. Sororem habuit Fœlicitatem, Abbatissam Sunnenburgensem, & aliam sororem Barbaram, vxorẽ Dñi Pauli de Liechtenstain, Maximiliani Cæsaris intimi Consiliarij: Ambo coniuges Augustæ defuncti, ac Bozanum ad sepulturam suam translati, Anno 1513. 70.

Anno 1514. obiit dominus Georgius de Neidek, Episcopus Trident. Veronæ, ibi Vicarium Imperialem gerens, sepultus Tridẽti, successit illi D. Bernhardus de Glöss, Tyrolensis ex valle Naunum, huius nominis tertius, I.V. Doctor, factus postea Cardinalis & Administrator Episcopatus Brixinensis.

Praefvit hic Christophorus Brixinensi Ecclesię annis 12. Obiit Anno 1521. 4. Calend. Aprilis, qui fuit 29. Martij, ibidem sepultus.

SEBASTIANVS, huius nominis secũdus, Speraneius, I.V. Doctor, Consiliarius Maximil. Cæs. & Matthæi Langij Card. Præpositus Brixineñ. fit Episcopus 5. annis præfuit. Obiit in Brauneck 11. Octobris, Anno 1525. sepultus ibidem. 71.

Svb hoc Episcopo, nempe Anno Dñi 1522. diuisione facta inter Carolum V. Rom. Imper. & Ferdinand. fratrem paternorum Regnorum ac prouinciarum, Ferdinando inter cætera cessit Comitatus Tyroleñ.

GEORGIVS ab Austria, huius nominis quartus, Cæsaris Maximil. filius naturalis, postulatus est ad Episcopatum eodem anno 29. ac mense die 21. 72.

Qvarto die Iunij, Anno 1534. magnificum Palatium curiæ Oenipontanæ media nocte incendio grauissimo exustum est.

Anno 1539. 18. Ianuarij, resignauit hic Georgius Episcopatum in manus Capituli, cùm 14. annis Brixineñ. Ecclesiam gubernâsset, ordinatus in Archiepiscopum Valentinum in Hispania; vbi cùm paucis annis sedisset, relicta Archiepiscopali sede Valentina in Germania inferiori, intercessione & autoritate Caroli V. Imperat. factus est Leodiensis Episcopus, Anno Dñi 1544. cui multis annis præfuit; ibiq; mortuus & sepultus est senex, Anno 1557.

BERNHARDVS à Glöss Tyrolensis, Episcopus Tridentinus, & S.R.E. Tituli S. Stephani in Cœlio monte Presbyter Cardinalis, Anno 1539. mense Ianuario postulatus est in Administratorem Ecclesiæ Brixinensis; qui cùm possessionis capiẽdę causa venisset, inter prandendũ Apoplexia tactus interiit 29. Iulij, eodẽ anno. Vixit ab ingressu 17. dies. Corpus eius solemni funebri pompa Tridentũ relatum atque ibi sepultum est, cùm illi Ecclesię 25. annis laudabiliter præfuisset. De cuius vita, rebus, ac aliis Episcopis Tridentinis latè ac eleganter scripsit Ianus Pyrrhus Pincius Mantuanus, libris septem, suprà citatus, &c. 73.

Svccesservnt in Episcopatu Tridentino, Christophorus de Madrucio, Baro Tyrolensis, Decanus ibidem; in Brixinensi verò Christophorus Fuchsius à Fuchsperg, Tyrolensis, Decanus ibidem.

P 2 CHRISTO-

74. CHRISTOPHORVS Fuchs à Fuchſperg, in Iauffenburg Eques auratus, Capitaneus ac Præfect⁹ Regius in Kuofſtain, defuncta vxore, Catharina de Machſlrain, Nobili Bauara, ex qua tulit vnicum filium Chriſtophorum, Equitem pariter ac Succeſſorem ſuum in Kuofſtain, animum ad Eccleſiaſtica applicuit, factus Canonicus Salisburgenſis, Tridentinus, ac Decanus Brixinenſis, locum tenens Oenipontí; defuncto Bernhardo Cardinale, electus eſt Epiſcopus Brixinenſis, Anno Domini 1539. prima Septembris.

Anno ſequenti 1540. tam feruens ac arida æſtas fuit, vt pleraque agrorum ſata perirent, frumentumque exareſceret: Viciſſim magna vini generoſiſſimi copia prouenit, vt vaſa quoque deficerent; Montana quoque nemora ex nimio ſolis ardore accenſa, iuxta vrbem Oenipontanam in nemore Hetinio, 20. die Iulij, tantum hominibus terrorem incuſſerunt, vt omnia vicina loca flammarum ſæuitia conflagratura timerent. Obiit hic Epiſcopus anno tertio ſui Pontificatus, 29. Aprilis, aliàs ſecundùm Catalogum 9. Decembris, Anno 1542. ſepultus ibi in ſummo Templo. Electus eſt poſt eum in Adminiſtratorem Dominus Chriſtophorus Madrucius, Epiſcopus Trident.

75. CHRISTOPHORVS Madrucius, Epiſcopus Tridentinus, eligitur in Epiſcopum Brixinenſem, Anno 1542. factus poſteà Anno 1544. à Paulo Papa tertio Cardinalis Tituli S. Cæſarij, vir magni iudicij ac experientiæ grauis, doctus ac eloquens, cuius opera & conſilio Carolus quintus Imperator, ac filius ipſius Philippus, Rex Hiſpaniarum, nec non & ipſi Summi Pontifices in grauiſſimis negotiis ac legationibus ſæpe ac vtiliter vſi ſunt. Obiit Tiburi, Anno 1578. die 5. Iulij, ibidem iuxta Cardinalem Eſtenſem ſepultus, cùm Brixineñ. Eccleſiam 36. annis laudabiliter rexiſſet.

Anno 1545. Idibus Decembris, ſacrum ac œcumenicum Concilium Trident. à Paulo tertio, Pont. Max. Anno 1542. II. Calend. Iunij, ipſius Epiſcopi ſuaſu ac inſtinctu, legitimè indictum, iam demum publicari ac celebrari cœptum eſt, eodemq; die Tridenti ſeſſio prima habita.

76. IOANNES THOMAS, Baro à Spaur, & Valerio Tyrolenſis, Præpoſitus, & Canonicus Brixinenſis, ac prædicti Chriſtophori Madrucij Cardinalis ex Sorore Nepos, Anno Dñi 1552. Coadiutor factus; poſteà Anno 1578. defuncto Cardinale Chriſtophoro, in Epiſcopum electus, qui hoc 1582. Anno adhuc cum laude præeſt. Omnipotens Devs ipſum Eccleſiæ Brixinenſi quàm diutiſſimè incolumem conſeruare velit.

Episcopi Brixinenſes, quemadmodum etiam Tridentinenſes, tametſi iure Aduocatiæ, ac quibuſdam aliis ad Comitatum Tyrolenſem pertineant, ſunt tamen Principes Romani Imperij, Regalia ab Imperio, ſeſſionem in Comitiis Imperialibus habent, ac in contributionibus ſunt: Hinc quoq; , vt & cæteri ſacri Romani Imperij Principes, tàm Eccleſiaſtici quàm ſeculares, ab antiquis temporibus Officiales ſuos, quos hæreditarios vocant, habent; nempe hi noſtri Brixinenſes Marſchalcos, olim à Schönekh, nunc Barones à VVelſperg & Primör, Dapiferos, olim à Kaſtelruto, nunc Barones à VVolckenſtain & Rodneck, Pincernas, olim Nobiles de Seben, poſteà Nobiles de Niderthor; poſt hos Nobiles de Tunn, qui etiam Pincernæ ſunt Tridentinenſis Epiſcopatus, Camerarios, olim Nobiles de Rodneck, poſteà de Schenckenberg, poſt hos Barones à Vels, &c.

Svnt quoque quatuor alij Epiſcopi, Suffraganei, Archiepiſcopatus Salisburgeñ. nempe Gurceñ. Chiemeñ. Seccouienſis & Lauentinenſis: At hi inter Principes Imperij non cenſentur, locum aut ſeſſionem in Comitiis non habent, neque Imperio quic-

rio quicquam contribuunt. Horum Episcoporum Catalogos non habui, neque de eorum primæua institutione, vita ac gestis, alia quam quæ suprà, sub Salisburgeñ. Archiepiscopis, de quorum mensa, vt vocant instituti, breuiter annotata sunt, Gurcensis, nempe per Gebhardum Archiepiscopum, circa Annum Domini 1073. CHIEMENSIS, Seecouiensis ac Lauentinensis, per EBERHARDVM Archiepiscopum, circa Annum Domini 1214. & 1220. Qui de his præter Chiemen. plura cupit scire, VVolffgangum Lazium legat, in commentariis suis Reipub. Romanæ, lib. 12, mihi fol. 1222. 1225. & 1228.

SEQVVNTVR FVNDATIONES ET ERECTIONES MONASTERIORVM, ET ECCLESIARVM COLLEGIATARVM, &c. PER BOIARIAM, AC LOCA QVAEDAM VICINA.

ALTAICH INFERIVS.

AMPLISSIMVM ac ditissimum Monasterium Benedictini ordinis, in Bauaria inferiori ad Danubium situ. Vnde verò Altaich inferius & superius nomē ac originem habeāt, nempe à duabus vetustissimis & prodigiosæ magnitudinis quercubus, in ripa Danubij, quo frequens populus gentilis coibat, & victimas immolabat, quæ loca Boij post receptam Christianam religionem in templa, ac inde in Cœnobia commutauerūt, vide latiùs Ioannem Auentinum in Annalibus suis, libro 3. fol. 257.

FVNDATVM est hoc Monasterium sicut & Altaich superius, ac pleraq; alia consilio S. Pirminij, Episcopi Metensis, ab Vtilone Duce Bauariç, in honorē S. Mauritij, Anno 741. Sub Zacharia Pōtifice Maximo, & subinde licet ab eodem Duce Vtilone multis prædiis & possessionibus ditatum, bellis tamen & incendiis vastatum & attenuatum fuit. Instauratū verò est per Imperatores & Reges Romanos, qui illud maximis muneribus & priuilegiis auxerūt, sicuti hoc ipsum testantur Annales eiusdem Monasterij. Tassilo, filius Vtilonis, plurima prædia huic Monasterio dedit, quorum magnam partem per discordiam Principum amisit. Carolus Magnus tradidit huic Monasterio priuilegia immunitatis, & prædium in Spitz & in Bachouia in Austria, Anno 812. Chronica Monasterij Altaichen. Georgij Abbatis haber, quòd postquàm Carolus Magnus terram Auarorum siue Pannoniam, quæ nunc Austria est, octo annis perdomuisset, expulsis Auaris, totam inter Ecclesias Bauariç, Pontifices, Abbates, Comites & Barones diuiserit, & Monasterio Altaich magnam partem tradiderit, quam hodie alij occupārint. Ludouicus item, Caroli Magni Nepos, Orientalis Franciæ Rex, tradidit Ecclesiæ Altaichensi quædam priuilegia, immunitates, & in suam tutelam recepit, &c. Anno 843.

HVIVS Ludouici tempore, Gotsbaldus, Abbas Altaichen. factus est Episcopus Herbipolensis; qui ab eodem Ludouico impetrauit Monachis potestatem eligendi ex se Abbatem, huic oneri idoneum. Auentinus lib. 4. fol. 316.

ILLE IDEM Episcopus Herbipolensis impetrauit ab eodem Ludouico, vt sibi liceret, tanquàm Administratori, bona & possessiones Monasterij pro aliis commodis possessionibus permutare.

SVPRA DICTVS itē Ludouicus dedit eidē Gotsbaldo, Abbati & Cœnobio, in villa Engolstat, (cōmuniter hodie dicta Ingolstat) duas Ecclesias, vulgariter den Herrenhof/ curtim dominicatā cum ædificiis desuper positis, cum ptinentiis, agris & pratis, Item XXII. Huobis, ad curiā seu prædium illud pertinentibus; qui & Cœnobium in suam tutelā suscepit, & datis priuilegiis, illud ab omni exactione & onere exemit.

ARNOLDVS, Dux Bauariç, dictus malus, ambiens Imperiū & rebellās Conrado & Heinrico Aucupi, Rom. Regibus, pleraq; huius Monasterij bona tā in Austria, quàm in Bauaria diripuit, ac militibus suis distribuit; hinc norma monastica ibidē defecit, tamen sub regula Canonicorum vsq; ad tempora Ottonis tertij, quasi per centum annos pmansit, qui consilio S. VVolfgangi Ratisbonen. & Piligrini Patauiensis, Episcoporum, eundē locum regulę priori Benedictinorū restituit, iuxta Annales huius Monasterij. Sed Auentin⁹ hanc reformationē tam huius quàm aliorū Monasteriorū

Bauariæ

Bauariæ Henrico sancto Imperatori asscribit.fol.507.vtcunq; sit, Henricus sanctus, motus sanctitate beati Gothardi, apud Altaich inferius nati, eiusq; discipuli beati Guntheri eremitæ, quorum secretis consiliis priuatim vtebatur, largissimus ac beneficentissimus erga hoc Monasterium fuit, recipiens in suam tutelam, immunitatem dans, ac tradens decimam in Mundtichingen, & prædium in Sifhouen, Item Flinspach, & mutam & teloneum in Hengersperg, & mutam in Zvvisel, & alia, Anno 1000. quorum magnam partem à Degenbergen. occupatam Georgius Abbas Altaichen. in sua Chronica refert.

In alio diplomate, de Anno 1005. Heinricus S. Imper. reddi iubet vi ablatam villam Flinspach, in pago Svveinihgovv, Comitatu Thiemonis Comitis, & quicquid inter VVinzer & Hofakirchum, &c.

Conradvs Salicus dedit Cœnobio Alteichen. montem S. Gothardi in Kirhperg, cum adiacentibus prædiis & syluis, Anno 1040.

Henricvs tertius Imper. ob iuge seruitium Abbatis Ratemundi Altaichen. dat decem mansos Zaione, in præsidij termino Sigefridi Marchionis, in pago & Comitatu eiusdem, Anno 1045.

Idem rogatu Agnę vxoris, Gebhardi Ratisbonen. Gebhardi Aichsteten. Episcoporum, dedit Ratemundo Abbati ob fidelia seruitia tres Regias Huobas in orientali pago, iuxta fluuium Schvvarzaà termino proprietatis, quam possidet Vlricus, filius Thiemonis Comitis, &c. Anno 1048.

Idem Dietmaro Abbati in Comitatu Thiemonis Præsidis in villa Helgersperch tunicatum teloneum concedit, Anno 1049.

Henricvs tertius, Rex Romanorũ, donauit huic Monasterio apud Storph prædium in Austria, iuxta fluuium Zaia situm, villam VVissenregen & Ecclesiam in Rinichoa, cum terminis nemorum Nordvvald, Anno 1049.

Conradvs terti' Imp. Sueuus huic Monasterio etiã multa donauit, iuxta Chronicam huius Monasterij, Fridericus Dux Austriæ Abtstorf liberum aduocatia iubet esse. Datum in Castro Medlico, Anno 1243.

Carolvs quartus confirmauit priuilegia huius Monasterij, illudq; in suam tutelam recepit, vt testatur eius egregium diploma.

Spectavit itaq; hoc Monasterium Altaich inferius aliquando ad Imperium, Romanoq; Imperatori annuũ Canonem, quẽ seruitium Regale vocarunt, soluit. Tandem eò mad tãtam inopiam venisset, vt nec Monachos sustentare, nec Imperio debitum seruitium præstare posset, Fridericus primus Imperator illud cum omnibus pertinentiis & rebus, ac etiã cũ aduocatia & Ministerialibus, Eberhardo, Episcopo Bãbergen. ita tradidit, vt Abbati & Monachis sua stipẽdia intacta & indiminuta permanerent, & cẽsus Imperialis Episcopo cederet, ipseq; illud Monasterium possideret, & Abbatem quemlibet sub homagio regalibus inuestiret, ipse Aduocatum poneret & deponeret. De hac re extant duo diplomata, quorũ alterum datum est, Anno 1152. Aquisgrani, alterum Papiæ, Anno 1160.

Confirmavit hanc traditionem Eugenius Papa, nempe inuestiturã & aduocatiam Abbatię de Altach, quæ regiæ dignitati competebant, cum his, quæ fisco regio annuatim soluebantur, iuribus tamen & stipendiis eiusdem Abbatiæ, Abbati & Monachis debitis indiminutis ac saluo iure Patauiensis Episcopi, &c. Datum Signiæ 18. Calend. Iulij.

Idem Episcopus Eberhardus, inuestito deinde Abbate Boleslao, ipsum in cõfratrem & Concanonicum Ecclesiæ Bambergẽ. & collateralem ipsius & Successorum suorum recepit & statuit, vt Monachi, Clerici & Ministeriales, vnusquisq; in suo ordine maneret, vt illis inuitis nihil auferretur, aut iura ipsorum mutarentur, vt Ministeriales Monasterij iisdẽ iuribus vterentur, quibus alij Ecclesiæ Bambergensis Ministeriales, Anno 1153.

ADVOCATI huius Monasterij erant olim Comites de Pogen, qui illam aduocatiam à Rom. Imp. in feudum acceperant, vsque ad tempora Friderici primi Impet. qui Monasterium & aduocatiam Episcopo Bambergensi, vt suprà dictum est, tradidit, à quo Berchtoldus, Comes à Pogen, primò in beneficium accepit. Cùm autem inter Albertum tertium, filium Berchtoldi, ex vna, & Comites Ortĕbergenses, Rapotonem & Henricum, ex alia parte, propter hanc aduocatiam & alias quasdam causas, graue bellum exarsisset, in quo vtrinque Monasterio grauissima damna illata sunt, & Albertus quartus, filius Alberti tertij, vnà cum fratre contra iustitiam & voluntatem Episcopi hanc aduocatiam violenter tenerent, Monasterio tam per se, quàm suos Subaduocatos, grauissima damna inferrent, sicuti infrà in Catalogo Abbatum latiùs explicatur; per Eckpertum, Episcopum Bambergen. ab officio remoti sunt, & ius aduocatiæ Ludouico, Comiti Palatino Rheni, Duci Bauariæ, & Ottoni filio, & omnibus hæredibus eorũ feudalibus in feudum concessum est, nempe hoc ius, quod à Patauia ex vtraq; parte Danubij, versus Ratisbonam & vltrà protenditur; excepta villa Nesselpach, & aliis villis intermediis, vsq; ad VVintzer cũ suis attinentiis, quas Episcopus ab omni aduocatia liberas sibi reseruauit; hoc pacto, vt Duces de hoc iure nihil alienare, contentiq; esse debeant antiquo iure aduocatiæ, & quòd velint esse defensores Ecclesiæ Bambergensis, nec non omnium bonorum & iurium suorum. De hoc extat diploma Ludouici, sub sigillis ipsius & filij Ottonis, nec non serenissimi Domini Heinrici, Regis Romanorum, aliquorum Episcoporũ, ac Leopoldi Ducis Austriæ: Testes, Rupertus, Comes de Castel, Cõradus Præfectus de Nuernberch, & Hermannus, Marchio de Baden, Ruedolph, Palatinus Comes de Tubing, Vlricus & Gerhardus, Comites de Helffenstain, Eberhardus & Otto, Comites de Eberstain, Hartman Comes de Tilling, Fridericus de Truheding, Gotfridus de Hohẽloch, Dapifer de VValtpurch, Conradus Pincerna de VVintersteten, Conradus de VVinsperch. Acta Esselingi, Anno 1228.

CONFIRMAVIT hoc etiam posteà Ludouicus & Henricus, Duces Bauariæ, vt testatur Henricus Episcopus in quodam suo diplomate, quod Vidimus vocant. Datum, Anno 1254.

QVANQVAM credibile est Ottonem Ducem demùm post obitum Alberti quarti, Comitis à Pogen, cuius frater vterinus, ac proinde legitimus Successor erat, in plenariam illius aduocatiæ possessionem venisse, qui Albertus Anno 1242. vltimus illius familiæ decessit. Idẽ Otto Dux dedit priuilegiũ Althæ, vt primogenitus ex seruo Altahẽ & serua Ducis sit Monasterij, reliqui diuidãtur ęqualiter Añ0 1243. Cõfirmauit Heinricus, filius Ottonis, An. 1256. Idẽ Otto Dux dedit Althę decimas omniũ bonorũ, in cellariis & granariis Flinsperg, VVeyssenstein, Shüttenhouen An. 1246. Idem dedit decimas omniũ bonorũ, quæ illi ex morte Rapatonis Palat. Comit. obuenerunt, postquàm in cellaria & granaria collecta, Anno 1249. Sed filius eius Heinricus Dux reuocauit priuilegium patris, de exemptione mutæ, Anno 1255. qui tamen dedit decimas in Rottal & in Marchanstain, per commutationem aliquorum prædiorũ. Otto, filius huius Heinrici, Rex Vngarię, dedit priuilegiũ salis, sine muta & teloneo vehendi in Burckhausen & Schãrding, Anno 1301. Stephanus item frater Ottonis prohibuit, ne aliquis Laicorum, contra Canonica statuta, res huius Ecclesiæ, vel etiam morientium Clericorum sibi vsurpare præsumat.

ITA deinde vsq; in præsentem diem Abbates dicti Monasterij bona temporalia ab Episcopis Babenbergensibus in feudum acceperunt & soluerunt 27. libras denariorum Bambergensium, quæ faciunt 38. libras Hallensium: Aliquando Episcopo datus est equus, Marschalco, & aliis tribus Officialibus Episcopi, cuilibet vna marca Argenti, pro qua concordàrunt, Anno 1476. & soluerunt pro qualibet 6. flor. Rhenen. Item Cancellariæ 16. flor. Rhenen. Camerario & Cancellario 5. floren. Rhenen.

Anno

Anno 1491. pro vna marca soluti sunt quatuor Officialibus 7. floren. Rhenen. & vna quarta. Et nota, quòd isti Abbates iurant Episcopo & eius Successoribus Catholicis; Ande, mortuo Episcopo, non tenetur Abbas iterum homagium facere, sed mortuo Abbate tenetur Successor, & istud est de iure Canonicę veritatis, cùm glossa, extrà de iureiurando, ac etiam de consuetudine dicti Monasterij.

Maximilianvs Imperator tutelam Monasterij & ius aduocatiæ Alberto Duci Bauariæ, & omnibus eius hæredibus masculis in perpetuum tradidit, Anno 1506. Ita vt Cœnobium omne id præstet eidē Duci, quod præstare debuit Imperatori & eius Successoribus.

Sepvlti sunt in hoc Monasterio, Berchtoldus, Comes Schyren. qui rebellis fuit Ottoni II. Imp. amitino suo. Nam fuit hic filius Arnolphi primi, Co. Schyren. Nepos Arnoldi, mali Ducis Bauariæ, &c. vnà cum filio suo Heinrico, Duce Carinthiæ, qui obiit Anno 989. Teste Iohan. Auent. lib. 5. annalium, fol. 500. 503. 506. 639. quem vide.

DE FVNDATIONE MONASTERII RINICHNACH., ET QVA OCCASIONE HOC COENOBIVM ALTAICHENSI ÆDI INCORporatum fuerit.

Gvntherivs, apud Turogos nobilissima familia oriundus, contemptis rebus humanis, factus est Monachus Altaichensis, Anno 1006. inde in eremum Nardvvald concessit, Anno 1008. & permissu Heinrici sancti Imperatoris Ecclesiam ibidem ædificauit, & ordinem S. Benedicti instituit, quod Cœnobium Rinichnach vocatur. Huic Heinricus Imperator, ad intercessionē Kunegundis coniugis syluam ibi, intra quosdam terminos, dono dedit, anō eodem: Quam donationem renouauit, aliquot finibus additis, Conradus Imperator, ad intercessionem Gisalæ coniugis & filij sui Henrici, Anno 1029. Quo anno à Perengero, Episcopo Patauien. Monasterium hoc consecratum.

Hoc deinde Monasterium iam dictus Heinricus tertius Rex ad instantiam præfati Guntherij, cum omnibus possessionibus & pertinentiis, incorporauit Cœnobio Altachēsi; bona verò ista in Schvveincoua sunt sita in Comitatibus Adalberti Marchionis & Diethmari Præsidis, vt patet ex diplomate Heinrici, Anno 1040.

Gvntherivs autem iste posteà vixit 5. annos in vlteriori eremo Breznich, vbi obiit Anno 1045. Per Pradislaum Ducem ducitur ad Monasterium Bohemiæ Brevvnovve, sub Pragensi Episcopatu vbi sepultus, deinde canonizatus est. Hermānus contractus meminit, & testantur priuilegia Coroli quarti. Dominus Hartvvicus Senior de Degenberg construxit Ecclesiam, in Eremo dictam, zů vnser Frawen Aw/ beyder Fladnitz/ ex qua volebat facere Monasteriū S. Benedicti, quod ad Cœnobium Rinichnach pertinere debuit; quemadmodum hoc ad Altaichense. Ad huius instituti promotionem Imperator Ludouicus dedit ei, tamquam Præfecto aulæ suæ, fundum, supra quem Ecclesia ædificata fuit, & syluam circum circa duorū milliarium in latitudinem, trium in longitudinem, cum omni iurisdictione, proprietate, & plenaria vsurpatione, Anno 1341.

Cvm verò Hartvvicus cogitaret istam fundationem, detrimento futuram Cœnobio Rinichnach, syluam sibi à Ludouico concessam, eiusdem Ludouici Imperatoris permissu, nec non cum consensu Nepotum suorum, Ioannis Hartvvici & Ebervvini de Degenberg, Monasteriis, inferiori & superiori Altach, donauit

donauit;reseruata tamen sibi aduocatia, pro quo illi & suis hæredibus Abbas Altaichẽsis dare teneretur tunicam agninam, ein Lemmeren Herren Pelz/ & Præpositus in Rinichnach duos calceos, gefültet Schůch/ circa festum Michaëlis. Reseruauit item sibi Hartvvicus iurisdictionem capitalem in homines sceleratos, nempe propter furta, violenta stupra, rapinas, homicidia & incendia, &c. cum tamẽ certo moderamine circa bona damnatorum & iuris aduocatię, iuxta literas Ludouici Imperatoris, de Anno 1342. & ipsius Hartvvici, Anno 1352. Hanc donationem confirmauit Carolus quartus, Anno 1358. Item Sigismundus Cæsar. Idem Hartvvicus telonium in Zvvisel ab Abbate ex gratia ad dies vitæ impetrauit, Anno 1320. cuius tertiam partem Duces Bauariæ habuerunt, eo tempore, Quę Cœnobio Altaichen. vnà cum decimis in Reng & Kirchperg, cum aliis bonis ac redditibus oppignorat; sed posteà consensu Ludouici Imper. per Hartvvicum redempta, & eidem per Ludouicum Imperatorem in feudum cõcessa fuerũt, testantur literæ datæ Año 1347. Hoc ipsum fatentur in aliis literis, de Anno 1337. D. Hartvvicus, Altman, Fridericus & Obervvinus de Degẽberg & hoc amplius, quòd cum aliis redditibus, Item iurisdictione, præterquàm quæ ad teloneum pertinet, Item cum steuris in vico Zvvisel, ipsi penitus nihil negotij aut iuris habere debeant; posthabitis tamẽ his literis & donationibus, Degenbergenses sese paulatim magis ac magis intruserunt, in prædicto circuitu iuxta tenorem literarum Imperatoris Heinrici & aliorum Castella, pagos & domos, ędificare ac erigere, & non solùm telonium in Zvvisel iuxta prædictas literas, verùm etiam ius venandi, piscandi aduocatiæ, Angariarum, proangariarum, & iurisdictionem vsurpante: Hinc grauis dissensio orta à Degenbergensibus, Anno 1450. coram Duce Alberto, Com. in Vochburg, Monachij lis mota, vbi rei ad libellum respondere iussi, prouocàrunt ad Fridericum Imperatorem, qui Anno 1455. sententiã Monacensem confirmauit, & ambas partes ad priorem iudicem remisit, posteà res ad Cameram imperialem deuoluta est, tandem, 1534. Ludouicus Dux Bauariæ negotium composuit. Abbas Altaichen. omnibus iuribus, actionibus & liti propter dominatum in Zvvisel renunciauit, pro quo illi Degenbergenses 3500. florenos soluerunt; reseruato tamen, tam pro sua, quàm pro Ecclesia in Rinichnach, iure cedendi ligna: Quod si deinceps inter prædictas partes, propter hunc ipsum dominatum subditos aut prædia in Zvvisel, lis, oriretur, prædicto Duci Ludouico ac ipsius Successoribus, tãquam ordinariis causæ iudicibus decidenda relinqueretur. Actum vt suprà.

ABBATES ALTHÆ INFERIORIS.

I. EBERSVVINDVS anno sexto Tassilonis Ducis, qui est fundationis 13. Putingæ prædium datum Altach, sub hoc Abbate.

II. VVOLFBERTVS año Ducatus Thassilonis XXX. & XLII. Thassilo vir illustris, Dux Bauarorũ, tempore huius Abbatis VVolfberti, año Ducatus sui XXX. filij sui Diethonis primo recordans, maiores suos templa, Cœnobia cõstruxisse & ditâsse, ipse quoq; vnum construxit iuxta fluenta Chremisse, in honorem S. Saluatoris dedicauit, & dedicatum tradidit; Abbatem constituit cum Monachis, &c. tradens omnes homines, qui ibi habitant, & ibi cuncta culta & inculta Salmani à Sulzipach, & ibi homines sal coquentes, &c. Testes, Vergilius Episcopus, scilicet Salisburgensis, Simpertus Episcopus, scilicet Ratisbonensis, Baltherus Episcopus, scilicet

Fundatio Chremisse, seu Krembsmunster.

Pata-

Patauienſis, oportunus Abbas, VVolfbertus Abbas, videlicet Altaichen. Atto Abbas, ſcilicet Manſen. Caozich Abbas, Hrothart Abbas, Vtih Comes, Magilo Comes, Salincho Comes, Reginold, Adalger, &c. Acta in prædicto Monaſterio.

VROLPHVS, tempore Caroli Magni, aliàs Fulradus, ex diplomate Caroli Magni, qui hunc Abbatem ad Concilium in Saxonia, cum hominibus benè armatis & aliis neceſſariis vocat. III.

TEVTPALDVS, tempore Ludouici Pij Imperatoris, filij Caroli Magni. IIII.

GOZBALDVS, tempore Ludouici Regis Oſtrofranciæ & Bauariæ Nepotis Caroli filij Ludouici prędicti. Hic à Gregorio Papa accepit membra S. Fœlicis & Agapiti, qui Iſerhouen ſtabilit. V.

OTGARIVS, Idem Ludouicus Rex conſtituit eum, qui multa beneficia ac bona, tam propria quàm ſuorum fidelium, de ipſorum conſenſu huic Monaſterio contulit, iuxta diplomata ibi. VI.

VVOLFBERTVS ſecundus, tempore Caroli. VII.

EBERSVVINDVS ſecundus. VIII.

GRIMALDVS Conradus Aduocatus. IX.

OTBALDVS. X.

CHVNIPERTVS Rafoldus Aduocatus. XI.

EGELOLPHVS. XII.

AARON, pòſt defecit ordo, facti Canonici, 100. ferè annis. XIII.

ERCHANBERTVS Abbas, Ottone tertio regnante, rexit 6. annis, Anno 990. XIIII.

SGOTHARDVS, Althæ inferiori natus, patre Ratmundo, à Friderico, Archiepiſcopo Salisburgen. qui tūc Altach in beneficio habuit, fit Acolythus & Subdiaconus, & ordinatur in Præpoſitum Canonicorum, à Pilegrino Patauienſi Epiſcopo ordinatur Diaconus, à S. VVolfgango Sacerdos, ſub Erchanberto Abbate 12. Calendas Ianuarij. In hoc Cœnobio exiſtens Diaconus, Monachatū vouit, Anno 997. Fit Abbas, præſentibus, S. Heinrico Duce, quibuſdam aliis Epiſcopis & Proceribus Boiorum 6. Calendas Ianuarij ordinatur. Præeſt 26. annis. Deinde Anno 1022. fit Epiſcopus Hildeshaimenſis, cui 16. annis præeſt. Obiit Anno 1038. Canonizatur, Anno 1131. Albertus Cranz in Metropoli Hamburgen. libro 4. cap. 8. & 9. ponit S. Gothardum fuiſſe de familia Comitum Schyrenſium & VVitlſpacen. quod erroneum eſt, &c. Aduocati huius Monaſterij ſub Gothardo erant, Ripertus, Aſvvinus, Alberrus, Comites. XV.

VVOLFRAMVS annos 4. XVI.

RATMVNDVS annos 23. Obijt Anno 1048. ſub Heinrico tertio. Sub hoc Abbate Monaſterium cum omnibus ædificiis ſuis igne conſumitur, quod ab eo, auxilio S. Gothardi tunc Hildeshaimenſis Epiſcopi, & Richerij Abbatis Caſſinenſis reſtitutum eſt, Anno 1033. XVII.

RVPERTVS, Vlricus, Marquardus, Comites, Aduocati.

DIETHMARVS annos ſex, ſub Heinrico tertio. XVIII.

ADALHARDVS annos ſeptem, Meinhardus & Aſvvinius, Aduocati. XIX.

VVENZESLAVS annos ſex, annaliū Boiariæ ſcriptor, ab Heinrico quarto Imp. ad Conuentum Mantuam miſſus, Auent. lib. 5. fol. 549. 550. Obijt 557. XX.

VVALKERVS ſub Heinrico IIII. Anno 1069. 1079. aliàs VValtgerus. XXI.

VVOLFRAMVS annos duos. XXII.

RVPERTVS Anno 1100. XXIII.

LVIPOL-

xxiiii. LVIPOLDVS Albertus Aduocatus.
xxv. ADALFRIDVS, XII. Anno.
xxvi. CONRADVS sub Conrado tertio, Anno 1146.
xxvii. POLISLAVS.
xxviii. DIETERICVS. } Berchtoldus Comes Aduocatus.
xxix. GERHARDVS.

Cvm Subaduocati nimis grassarentur in Monasteria Germaniæ, Adrianus quartus, Pont. Max. tempore Boleslai, Dietrici seu Gerhardi, Abbatũ, nempe circa Annũ, 1156.7. vel 8. decreuit his verbis: Nos Eugenij Papę instituta & Cõradi & Friderici Imper. leges sequimur, qui nullum posthac in Teutonico regno Subaduocatum super aliquas Ecclesias decreuerunt, vllatenus admitti. Omnibus igitur abiudicamus ius Subaduocatis. Fridericus Imper. sententia sua iudiciali prohibuit, Subaduocatos constitui, sub pœna amissionis iuris aduocatiæ. Extat diploma in Monasterio VVessespronnen, de Anno 1155.

Ipsis Aduocatis Heinricus quartus Imperator iam antea modum præscripserat, nempe primo ad placitum Aduocati solùm anno veniant, quando præceptũ, secundo plus non exigant ibi, nisi 2. modios tritici 2. porcos, 3. cados vini vel medonis, 10 cados cereuisiæ, 5. modios auenæ in pabulum 30. equorum, &c.

xxx. VOLSGALCVS Berchtoldus Aduocatus.
xxxi. VDALRICVS rexit annos sex.
xxxii. DIETMARVS secundus, annos 23.
xxxiii. POPPO I. annos 28.

Albertvs, Comes de Pogen, in magna caritate annonæ, in prouincia sua Abbati Popponi commodato ac vi vinum, ac frumentum ad valorem 200. librarum abstulerat: Abbas ipsum coram Rege Rom. ac Duce Bauarię accusabat, Dux Conciliũ habiturus erat Straubingę, Comes arbitris Baronibus terræ antea transegit, & dedit Monasterio tres curtes, vnam Isarstorf, alteram, quam D. Otto de Ratolstarff oppignoratam tenebat, tertiam, quam Conrado de Peuzkouen, Dapifero suo, ratione officij, in beneficiũ tradiderat: Testes, Comes Rapoto, frater eius Heinricus, Co. de Ortenberch, D. Kalhochus de Kirchperg, D. Altmannus de Helingersperg, Gozbaldus de Schönenstain, Gerhochus de Fremleinsperg, Berchtoldus de Stainberg, Cõradus Dapifer, Heinricus Pfolinger, Heinricus Polmer, Ebo de Palude, aliàs de Mos, Heinricus Iudex & frater suus Radolphus, Berchtoldus de Mitterfels, Anno 1207. indictione 10. concurrentibus septem existentibus, regnante Rege Philippo fœliciter. Amen.

Altmannvs de Helingersperg arcẽ suam Helingersperg Testamẽto Monasterio huic legat. Abbas cum Conuentu, eam, ne ab alio occuparetur, solo æquare volẽs, ab Alberto Co. à Pogen fuit prohibitus, donec Poppo Abbas, data pecunia, cum in suam sententiam traxit, circa Annum 1212. Auentinus in annalibus folio 662. &c. Berchtoldus Comes de Pogen ob delicta confirmat traditionem, quam fecit huic Monasterio, iturus Romam cum Ottone. Datum Plädling, Anno 1217. regnante Friderico Imp. Testes, Rossel, Corat de Pãzenhouen, Albertus de Ovvc, VVenigoc de Puezkouen, puto esse Peüzkouen, qui fuit sub Abbate Poppone, Albertus de Haybach, &c.

Albertvs Comes de Pogen fatetur, cum Poppo Abbas, cuius ipse Aduocatus Rapotonem & Henricum, Com. de Ortenberg, fratres, Alramum & Albertum de Hals, fratres de Ahusen, pro grauibus damnis sibi illatis, apud Cæsarem, Papamque grauissimè accusaret; ipsique in inuidiam Alberti Com. satisfacere recusarent, nisi ipse polliceretur & caueret publicè, ne quicquam de prædiis, quæ daturi essent, iure aduocatię posceret, nec horum ratione ab Abbate aut Cœnobio quicquam postularet,

latet,consentit, permittit,&c. ne pax interturbetur,cædit quoque in prædiis, quæ Babo & Albero,Domini de Cecholuing contulêre Monasterio,precibus Poponis motus,quoniam,inquit,sæpius deliqui in D.Mauritium,&c.traditq; instrumētum publicum,nomina prædiorum quibus iuris Aduocati nihil habet Smidorf, Pering, Thaimersapach, VValchenstorf, Oxing, Imzing, conceditque si molestus fuerit ipse vel sui iudices, Abbas eligat alium Aduocatum, Datum Plādling, Año 1222. Testes, Heinricus de Pholing,Calhohus de VVinzer, Albertus de Nusperg.

Albertus,Abbas VVindtbergę,vendidit huic Poponi quædam,præsente Aduocato,Comite Leupoldo, Item Berchtoldo de Stainberg,aliisque Comitis ministris.

Albertus Comes de Pogen confirmat traditionem fratris sui Berchtoldi mortui,apud Damiatam,præsente Luipoldo,Duce Austriæ,vt ei morituro promiserat, de Ecclesia Emprukh, Anno 1222. confirmat Otto Dux Bauariæ, Anno 1242. Testes,Otto,Comes de Gruenpach, Alramus de Hals, Alhardus de Prising,Sifridus de Frovvenberg,&c.Idem Comes Albertus,cùm ex mandato Serenissimi Imperatoris Friderici in Apuliam iturus esset, ob scelera commissa in Altacha Luipoldi fratris,bona iustè possessa ab Auis,Proauis,Progenitoribus,&c. Poponi Abbati tradidit,qui 47.libris ipsum Comitem à creditoribus liberauit, cui hactenus nullo beneficio responderat, dedit Pebrach, cum pertinentibus scilicet Vichtaha, Gerstal, Æniprucka,& quæ intra minus ad id pertinent: Testes,Beringerus, Com.de Leonberg, Herman de Liechtenberge, Conradus de VVichs, Gerhochus de Fræmirchsperg, Albertus de Erlpach,Mengoz,& frater eius de Peuzkhouen, Anno 1225.

BERCHTOLDVS menses septem. XXXIIII.

CONRADVS annos 11. Menses septem. XXXV.

DIETMARVS tertius annos decem. Anno 1233. 10. Calend. Octobris consecratur Templum S. Mauritij in Ingolstad ab Heinrico, Episcopo Aichstetensi, Magistro Hugone, Plebano, Canonico Ratisbonen. Diethmaro Abbate regnante. XXXVI.

Hic Dietmarus benè rexit, mitram per Hermannum Monachum impetrauit à Gregorio Papa, vnde Auent. de hoc Abbate lib.7.fol.676.

HERMANNVS annos 30. Menses 10. dies 16. vir diligentissimus. Huic confirmat Otto Dux Bauariæ Eunibruckhe donationem factam à Berchtoldo, Comite de Pogen, fratre suo; ea tamen lege, si fateatur fine suo & patris sui Ludouici Ducis consensu, cam donationem nihil valuisse: Testes, Otto Comes de Gruenpach, Alramus de Hals, Alhardus de Prising, Sifridus de Frovvenberg, Chuno de Tuschndorf, Albertus Iudex de Straubing,&c. Datum Straubing, Anno 1242. Otto Dux Bauariæ commutatione recepit ab Abbate Flinsperg Castrum, quod Albertus quondam Comes de Pogen, frater suus, in prædiis Altachæ extruxit, cui ipse successerat, quod opportunum esset, ad tuendam prouinciam Monasteriumque, cum pertinentiis, villa Flinspach, Miterdorf, Satlarn,&c. dat pro illis prædia meliora, consentientibus, Ludouico & Heinrico, Elisabeth, Sophia, Agnete, liberis suis,&c. Mundriching, 11. curias, 13. Huobas, molendinum cum hominibus, agris, prædium in Otalinga, curiam vnam Ingolstat, Huobam Otling,&c. vnà cum aliis quibusdam decimis ac iuribus,&c. sigilla tum à Duce, Agnete vxore, Hermāno Abbate: Testes, Rudigerus, Episcopus Patauiensis, Hermannus Comes de Tilling, Fridericus de Trucheding, Ludouicus filius Friderici & Gebhardus Landg. de Leuchtēberg, Gebhardus Comes de Roreneck, Alramus de Hals,& Heinricus de Paumgarten, liberi. Heinricus Monasterij Præpositus,&c. Anno 1244. XXXVII.

Q Hvic

Hvic Hermanno ac Monasterio Albertus Episcopus Ratisbonensis, ob hospitalitatis obsequia, sibi & Antecessoribus exhibita, præcipuè ob religionē, de noualibus, vbi prædia habent, duas decimarum partes dat, tertiam Parocho. Datum in Stauff, Anno 1256.

Comes Albertus de Pogen iturus Hierusalem, venit Altach, dederat Abbati Dietmaro Pebrach, Gerstal, quod renouauerat Naternbergæ, Anno 1233. Sed cùm Otto Dux, frater Alberti Com. hęc & alia post mortem Alberti, sibi retinuisset in recompensationem Cambij prædiorum circa Flinsperg, & filius suus Heinricus Dux Castrum Flinsperg destruxisset, ac prædium Mundriching, cum aliis quibusdam bonis Monast. occupâsset; tandem restituit prædia circa Flinsperg, hoc est, villam Flinspach, Hermanno Abbati, Anno 1257. & 1260 Testes, Siftrid de Frauuenberch, Vlricus de Tannberg, Heinricus de Pholing, Gerhohus de Fremlinsperch, Marquardus Marschalcus de Schrofenhusen, Otto de Strubing.

Albertvs de Hals, hostis Heinrici Ducis, multa damna Monasterio dedit. Opera autem Hermanni Abbatis per Legatum Pontificium excommunicatus, coactus cum Duce in gratiam redire, arbitrio Ducis & quatuor Ministrorum eius, dedit Monasterio Harbach. Actum Deckendorf, Anno 1263. Arbitri, Seifridus de Fraunberg, Henricus de Pholing, Gerhochus de Fremleinsperg & Albero VValler: Testes, Heinricus Notarius, Otto de Fraunberg, H. de Alnkouen, Albertus de Furt, Otto de Straubing, Cyrolphus Iudex, Ortliebus de VVald.

Eodem anno Hartliebus miles de Schvvarza dictus, de Lamina, dedit vnā Huobam pro leprosis, præsentibus, Ottone Patauiensi, Leone Ratisbonen. Episcopis & Hermanno Abbate.

Isbrhova per hostes Alberti Com. de Pogen ferè desolatā, vepribus obsitā, paceq; reddita, per mortem Comitis ab Ottone Duce Hermannus Abbas obtinuit, campum diuidi per funiculos, iugera 12. Huobo iugerum habebat 12. piuangas, facta hæc partitio præsente Hermanno, Anno 1247.

Frater Albertus, miseratione diuina Ratisbonen. Ecclesię Episcopus, Parochis, Decanis, Vicariis, &c. Decimarum, quæ nouialia pendunt tertiam partem huic Hermanno Abbati, ob officia hospitalitatis tribuit. Datum Ratisbonę Pontificatus die primo, Anno 1260. Hic fuit Albertus Magnus. Auent. lib. 7. fol. 700. Hermannus hic Heinrici Ducis inferioris Bauariæ liberorum Iustricus Pater, Historiographus Flinsperg, Kurrberg Castrum, Mosam turrim solo æquat, circa Annū Domini 167. Auet. fol 705. VVilhelmus de Kirchperg, vxor Gertrud tradidère Castrū Kirchperg, Avv, Schvveinpach, &c. per Albertum de Hals, Hermaño Abbati ambo religiosam amplexi continentiam; confirmat traditionem Heinricus Dux Bauariæ: Testes, Albertus de Hals, Albero VValler, Hiltprandus de Puechperg, H. de Alnkouen. H. de Mastorf, Albertus Closner, Rinaldus de Eia, Hugo, Hartvvicus, fratres de Freimdorf, Luipoldus de Haiming, Fridericus de Romsperch, H. de Pumpfling & alij. Datum Cham, Anno 1267. Hermannus Abbas commutauit forum Regen, cum Heintico Duce, Anno 1270.

Idem Herman. Abbas redemit ius aduocatiæ à Cōrado & Rumboto de Schvvarzenburg & Heinrico Kelbelino, aliàs Vitulo, propter Colonos Althæ in VVissenregen & Hassenberge, multa ab his passos, autoritate & iussu Heinrici Ducis, qui se gratis patronum fore spondet, à Deo mercedem recepturus. Extat diploma Ducis, Datum Abach, Anno 1272.

Eodem anno, in Pogen, præsente Heinrico Duce, cessêre quoque Albertus & Heinricus Kelbelini, patrueles iuri suo:. Testes, Albertus de Hals, Albero VValler Heinri-

HeiuricusPhollinger,Alramus de Rottau,H.de Alnkouen,Conradus de Nusperg, H.de Mosdorf,Magister curiæ,Berchtoldus de Starnberg,Reinoldus de Eia,VVicklerus Iudex,& gener suus Fridericus de Viechta,H.de Ottling,Diethmarus de Puechouen de Mulhaim,Henricus de Helingersperg,Berchtoldus Iudex de Chamm,Sifridus de Grauenvvisen,Henricus de Pumphiling,Conradus Hager,Luipoldus de Hainign,Henricus de Aurbach,Diepoldus Panholz,&c. Hermannus cessit Abbatiæ,Anno 1273.

ALBINVS annos sex,obiit Anno 1279.Hic emit Aduocatiam Ecclesiæ Mundriching ab Vlrico Dapifero de Eckmül,Anno 1275.confirmat Heinricus Dux, Anno 128. XXXVIII.

VOLKMARVS annos tres.Seditione à quibusdam Monachis contra hunc Abbatem facta, Monasterium à cognatis Monachorum consciorum direptū est; Abbas Danubium in fuga traiiciens,eminus sagitta interfectus est. Heinricus Dux inferioris Bauariæ Monachos conscios expulit,sex eorum cognatos,cædis autores Strubingam ductos, vltimò supplicio affecit.Auent.lib.7.fol.716. XXXIX.

POPPO II.rexit annos sex, Heinricus Gestelinus, vxor Kunigunt, cum filio Alramo, donat Monasterio prædium Mos,sub Poppone Abbate,approbat Heinricus Dux Bauariæ:Testes,Bernhardus Co.de Leonsperg, Albertus de Hals, VVolfgerus de VVart,Pero de Anznkirchen.Datum Landau,Anno. XL.

VVERNHARDVS annos 28.obiit 1317. XLI.

FRIDERICVS annos 5. XLII.

INGERVS annos 12.obiit 1335. XLIII.

OTTO I.annos octo,obiit 1343. XLIIII.

PETRVS, hic cum conuentu cedit Ducibus Boiorum perpetuò, das Gericht Helingersperg/ May vnnd Herbst Stewr/ in dem Gericht Landaw/ Anno 1352. XLV.

OTTO secundus annos sex, obiit 1366. XLVI.

ALTMANNVS annos 35. XLVII.

IOHANN newlich Edel/annos 12. obiit 1414. vel 13. XLVIII.

IOHANN secundus,annos 20. XLIX.

ERHARDVS annos 19. L.

ALBERTVS annum vnum,periit naufragio in Isara, Anno 1453. LI.

PETRVS secundus annos 13. LII.

VVOLFGANGVS rexit annos octo,menses sex. LIII.

FRIDERICVS annos nouem,nominatus. LIIII.

HVIC coadiutor datus,Pater Gregorius Hauer,Magister artium,qui scripsit ac dicauit Georgio Duci Chronicam Anno 1478. Abbas deinde solùm autoritatem habuit sub infula cantandi. LV.

IOHANNES tertius,annos 13. LVI.

BERNHADVS 16. hebdomadas. LVII.

KILIANVS. LVIII.

Q 2 ALTAI.

ALTAICH SVPERIVS.

Auent. in annalib fo. 101. & 331.

VTILO Dux Bauariæ, instinctu S. Pirminij, Episcopi Metensis, qui tunc apud ipsum erat, sex Monasteria construxit, vnum prope Menem lacum Noricorum, quinque in inferiori Bauaria iuxta Danubium, Parauiæ Nidernburg, pro sacris Virginibus, Osterhouen, Pfaffenmünster, Altach superius & inferius, quæ S. Pirminius dedicauit ad Monasterium Althæ superioris: Eto Argentoratensis Episcopus dedit Monachos S. Benedicti, & hoc circa Annum Domini 739. Aduocati huius Monasterij Althæ superioris fuerunt Comites de Pogen, qui multa beneficia ei contulerunt. Nam Asvvinus & Fridericus, Comites à Pogen, Monasterium hoc ab Vngaris exustum ac desolatum, Anno 1102. instaurârunt: Vnde non solùm pro Aduocatis, verùm etiam pro alteris fundatoribus illius Monasterij habiti sunt.

Auent. fol. 601.

ALBERTVS Comes, primus huius nominis de Pogen, Altaich superius à Progenitoribus suis conditum, hoc est, restauratum, cum Friderico consanguineo suo immunitate donat, Monachis priuilegium dat Abbatem liberè eligendi, Anno 1125.

ALBERTVS quartus & vltimus, Comes de Pogen, iturus militatum in Asiam & Africam, legat tertiam partem bonorum & redditLuum, quos frater suus Luipoldus in foro Pogen reliquerat, ad Monasterium Altach superius: Testes, Gebhardus de Menna, aulæ præfectus, Hartvvicus de Eia, Albertus Hagenpach & Rapotho Mennius. Actum Naternperg, Anno 1220, regnante Friderico Imperatore fœliciter. Diploma ibi vel in inferiori Altaich extat.

SVB Ludouico Imperatore, circa Annum Domini 1340. Monachi Althæ superioris Danubium, quòd nimium vicinus Templo agros, prata, excederet, ab antiquo meatu, qui locus adhuc vetus Danubius dicitur, graui impendio, alio deriuant, nouum Alueum decem continuis annis effodiunt, mille amplius libras Ratisbonen. expensas retulerunt, &c. Auentinus libro septimo, folio 784.

LVDOVICVS, Marchio Brandenbergen. filius Ludouici quarti Imperatoris, & fratres sui nominant Abbatem hunc, **den Ersamen Geistlichen Fürsten**, tribuentilli Parochiam beatæ Mariæ virginis in Landau, pro remedio animæ suæ, Anno 1348.

SVNT ibi sepulti, Nicolaus, Episcopus Pataulensis, qui exul Anno Domini 1340. ibi mortuus ac sepultus est, deinde Nobiles de Satlbogen, & Stainberg.

ALDERSPACH ORDINIS
CYSTERCIEN.

ALDERSPACHENSIS Monasterij primi fundatores fuerũt, Bernardus cum filiis, Ruperto & Calocho (familiam Auentinus non ponit) circa Annũ Domini 1050. deinde expulsis popularibus mystis, instante Diuo Bernhardo, ibidẽ ordo Cistercieñsis instituitur, circa Añum 1147. Huic Monasterio tradidit Ludouicus Dux decimas ad castrũ Fraimäring pertinentes, Anno 1224. Et Otto filius Ludouici donauit eidẽ Cœno-

Cœnobio decimas in Deckhendorf & Landau, Anno 1231. Anno 1204. Nobilis Baro Cõradus ab Aist ibidem sepultus est, habet in clypeo lilium, de qua familia, & cuius nationis fuerit, nihil aliud reperio.

ALTENHOCHENAV.

HOC Cœnobium sacrarum Virginum ordinis D. Dominici, fundauit Conradus Com. VVasserburgen. vnà cum Kunegunda coniuge, qui Hofmarchiam Altenhohenau à Monasterio Rott, permutando cum Moshaim, acceperant, &c. tradentes eandem Hofmarchiam, cum omnibus suis pertinentiis Monasterio dicto, Anno 1235. Confirmauit hanc fundationem Gregorius Pontifex Max. & Fridericus Romanorum Imperator.

Haec priuilegia denuò confirmauit Stephanus, Comes Palatinus Rheni, Dux Bauariæ, Anno 1400. postridie S. Vlrici.

ALTONIS MONASTERIUM, VULGO Altenmünster, ORDINIS S. BRIGITHAE.

PRIMA fundatio & dotatio loci & Monasterij Altomünster, vt habẽt monumẽta vetera illius Monasterij, facta est per Christianissimum Regem Franciæ Pipinum, qui circa Annum Domini 750. magnam partem sylux dono dedit S. Althoni Scoto, qui tunc temporis in isto loco circa fontem vt peregrinus & eremita Deo seruiuit; cuius industria & labore magna pars syluæ extirpata, & circa fontem Ecclesia fabricata, & tandem ex Christi fidelium oblatione in Monasterium religiosorum fratrũ excreuit, quorum S. Altho primus Pater & Abbas extitit, clarus miraculis in vita & post mortem, cuius Ecclesiam vnà cum fonte S. Bonifacius, Episcopus Moguntinus Martyr cõsecrauit. Et claruit S. Altho temporibus S. Virgilij, Episcopi Salisburgensis, & S. Corbiniani, Episcopi Frisingensis, vt ex Chronica Ottonis, Episcopi Frisingensis, lib. 5. cap. 24. facilè colligitur. Auentinus in compendio impresso sub arbore VVelphonum ponit Etichonem, Comitem Licaciorum, & in Ambergau ibidem Monasterium instituisse, Heinricum filium eius, posteà Monachos inde in Altomünster transtulisse. Sed successiuis temporibus malitia temporum & aliquorum Tyrannide ac violentia, Monasterium hoc in singulis suis possessionibus spoliatur, totumque desolatum & collapsum relinquitur, vsq; ad tempora Guelphonis, Bauariæ Ducis, sub quo facta est secunda fundatio & dotatio huius Monasterij; qui instituit ibi Abbatiam ordinis S. Benedicti, magnificèq; eam dotans: Cuius posteri rursus mutârunt, transferentes Monachos ex Altomünster, in Cœnobium suum Altorfense, quod Weingarten dicitur, ac Moniales ordinis S. Benedicti, quæ ibidem commorabantur, traduxerunt in locum istum S. Althonis, quòd scilicet hic Monialibus, alter verò Monachis aptior esset. Quæ translatio facta est circa Ann: Domini 1047. aliàs 1057. & prima Abbatissa, Hiltrudis nomine, inuestituram accepit. Accessit insuper liberalis dotatio, nobilis Dominæ Ithæ, Comitissæ Tyrolis, vxoris Guelphonis, ibidem sepultæ, quæ se alteram fundatricem exhibuit in Ec- Auent. fol. 291.

Q 3 clesia

clesia S. Althonis. Et sic claruit Monasterium hoc sub ordine S. Benedicti, vsq; ad Annum Domini 1487. Quo D. Georgius, Com. Palat. Rheni, Dux Bauariç, locum istum tunc iterum malitia temporum, & negligentia aliquorũ ferè desolatũ, collapsum, vbique ruinosum, bonisque temporalibus multis alienatis, distractis & perditis destitutum, reformare & restaurare curauit: Et Monasterium hoc ordini Saluatoris, aliàs S. Brigithæ, accedente consensu summi Pontificis & ordinarij applicauit, & quasi tertium instauratorem & fundatorem præstitit, cuius negotij religiosus frater VVolfgangus Sandiceller fidelis procurator & solicitator extitit, Anno Domini 1494.

Prima Abbatissa in Brigitano Cœnobio Manigen electa est, pro Cœnobio Altomünster, Anna Huterin, quæ obiit, Anno 1527.

Alt Capell zů Regenspurg.

Ecclesia Collegiata. Heinricus sanctus Imperator, sub Gebhardo Episcopo Ratisbonen. Ecclesiam S. Mariæ virginis, ad veterem Capellam, olim à Theodone, sicut & alia Otingæ ab Ottone, eius fratre, Principibus Bauariç, constructam, in Collegium Canonicorum extulit, ampliauit, & plumbo texit, secundùm Iohannem Auentinum in annalibus, fol. 507. circa Annum Domini 1023. Altare priscum, olim à S. Rudperto dedicatum, mansit immobile, quod vsque hodie monstratur in gradibus. Hæc Ecclesia respicit Bambergensem Cathedralem, ex eoq; ab antiquo, semper habẽs Præpositum ex Bambergensibus Canonicis. Sed quod ad iurisdictionem Episcopalem, pertinet ad Ratisbonensem Ecclesiam, &c. Hæc ex Conrado de Maidenburg.

ALTMVLMVNSTER AD ALTMILAM FLVVIVM.

Domus Teuthonicorum militum ordinis S. Ioannis. Hæc fuit aliquando Ratisbonæ, apud S. Leonhardum sedes Commendatorum, quæ propter nimis tenues redditus translata est in Altmülmünster, ad Altmilam fluuium, supra vicum Rietẽburg. Pro hisce militibus institutum est istud Altmülmünster, olim per Heinricum, & fratrem eius Ottonem, Comit. de Rietenburg, Burggrauios Ratisbonẽses, De quo Auentinus lib. 7. annalium, fol. 654. Ita ponit eadem tempestate Heinricus & Otto, fratres Rietenburgen. Reguli Tyssiam atq; Alemanni Monasterium equitibus sacris, quos à Templo Palæstino cognominant, hoc est, templariis dedicauêre, quod hisce excisis Rhodiis, quos Iohannitas vocant, traditur.

ANDECHS.

MONASTERIVM ordinis sancti Benedicti, vulgò auff dem heiligen Berg Andechs. Ludouicus, Boiariæ Princeps, Pater Ludouici Imperatoris, Andechs ædem, quæ cum arce ante 50. annos diruta erat, refecit, Auentinus fol. 725. Vide Comites Andecenses, & tractatum singularem, de fundatione & sacris reliquiis Andecensibus impressum. Item Vitum Arnpeck in Chronica Bauariæ, folio 183. cum sequentibus. Anno 1388. sacra, quæ ibi diutius sub terra latuêre, hinc mons Andechs sacer appellatus, à Iacobo Dachauer Franciscano reperta, iussu Principum Monachium translata sunt, Ibidem ostensa populo, posteà ad montem sanctum Andechs relata sunt per Ernestum Ducem, qui ibi Collegium pro septem mystis instituit. Albertus Dux Bauariæ, Comes Vochburgensis, filius Ernesti, autoritate S. P. amotis, Præposito & Canonicis secularibus, ibi substituit Monachos Benedictinos. Item Vitus Arenpeck, fol. 184. Auentin. fol. 834.

ANGER.

MONASTERIVM Monialium, ordinis sancti Francisci, in Monaco fundatur per Ludouicum quartum Imperatorem, in loco, in quo Pater suus Ludouicus, Dux Bauariæ, Anno 1283. fratres Franciscanos posuerat; translatis his in eum locum, in quo hodie sunt, emptum per ciues Monacenses, dictos Sentlinger, pro VCCC. florenis, quem Ludouicus Cæsar pro Franciscanis fratribus extrui fecit, antea verò, nempe Anno 1284. quatuor sorores venerant ex Seflingen, Monaster. Monialium prope Vlmam in Monacum, vna de Chunzelsau, alia de Satlperg, duæ Sentlingerin, Patriciæ Monacenses, quæ inceptrices & quasi fundatrices fuerunt Conuentus In Anger.

ANNO Domini 1339. Domina Agnes, filia Ludouici Imperatoris annorum quatuor, cum nouem aliis Virginibus intrauit claustrum Anger, in quo vixit annos 14. in ordine, & obiit 1392. sepulta ibi in Choro.

ANNO 1404. corruit Ecclesia sancti Iacobi in Anger, noua restaurata & completa in quatuor annis, nempe Anno 1408. constitit 12000. libris denariorum Monacensibus. *Auent. lib. 7. fol. 806.*

REFORMATVM est hoc Monasterium ad instantiam Alberti Ducis Bauariæ, per Sixtum Episcopum Frisingensem, iussu Sixti quarti, S. P. cum cæteris Monasteriis sancti Francisci, ac sancti Augustini ibi, adductis ex Norinberga sororibus aliquot de obseruantia, Anno Domini 1481. secundùm Vitum Arnpeck, &c.

HABET hoc Monasterium deuotissimas & piissimas Moniales, regulam sancti Francisci orando, cantando ac ieiunando strictè seruantes, Clausæ intra Cancellos Monaster. nullorum neque virorum neque mulierum conspectum admittentes, imò neque parentum, aut coniunctorum, exceptis personis Principum, redditus habent satis amplos, cùm tamen valde parcè ac tenuiter religionis ergô viuant.

Q 4 S. AN-

S. ANDREÆ FRISINGÆ COLLEGIATA ECCLESIA CANONICORVM SECVLARIVM.

SANCTI Andreæ ędem Ellenhardus, Pontifex Frisingensis, ope & consensu Heinrici quarti Imperatoris dedicauit, cui Ellenhardo Benedicti Beurēse Templum Cęsar tradidit, hoc post mortem tamen Ellenhardi rursum immunitate donat, circa Annum 1050. Auentinus in Annalibus fol. 551.

ASPACH.

MONASTERIVM ordinis Benedictini fundatur à Christiana, vidua Geroldi Comitis, consecratur ab Ottone, Episcopo Babenbergensi, Anno 1127. alibi Auentinus in Annal. suis, fol. 622 ponit, quòd Geroldus & Christina coniunx prætorium suum Benedictinis tradiderint. Pertinebat autem hoc Monasterium iure Aduocatiæ, & aliis ad ditionem Fraunstain & Ering, quæ olim ad Ecclesiam Bambergensem spectabant. Vnde superioribus annis, tempore VVilhelmi & Ludouici, Ducum Bauariæ, Episcopi Bambergenses prætendebant nescio, quæ iura ad Monasterium hoc, volebantque vt Prælati iura temporalia ab Episcopis in feudum reciperent, annuamq; pensionem soluerent: Sed renuebant Principes, atque sub sua ditione ac protectione, sicut & sui Antecessores retinuerunt. Extant in Archiuo eius rei documenta, &c.

PRIMVS huius Monasterij Abbas dicitur fuisse ex familia Nobilium de Sigenhaim. Hoc Monasterium in eo bello, quod Manigoldus, Episcopus Patauiēsis, cum Rapothone, Comite Palatino Bauariæ, familię de Ortēberg gessit, grauissimè attritum ac deuastatum est, quâ de re apud Episcopos illos plura. Auent. lib. 7. fol. 662. pariter in bello Othocari Regis Bohemiæ, contra Duces Bauariæ, &c. vnà cum pluribus aliis Templis ad Oenum Velsam & Rotam sitis, circa Annum 1266. Auentinus folio 705.

HVIC Monasterio Leonhardus Episcopus Patauiensis cōstituit denarium, perpetuis temporibus singulis annis ab Inquilinis Parochialium Ecclesiarum in Trufflern, Puerpach, Münster, Karphaim, VVeichmerting, VVitting, Munichaim, &c. soluendum custodi Monasterij, pro officio custodiæ, & pro conseruandis & reparandis ornatibus Templi eiusdem Monasterij, Anno 1426.

ÆTL.

MONASTERIVM ordinis S. Benedicti, in ripa Oeni, super VVasserburgium, fundatur ab Arnolpho, Comite Damasiano, amicissimo Heinrici quarti Imperatoris. Ibidem eum vxore Gisala sepultus, circa Annum 1080. quod per fratrem eius Fridericum dictum Rocho, ad tādem ęgestatem redactum est, vt ægrè tres Monachos alere posset. Engelbertus Comes VVasserburgensis posteà refecit, ac collupletauit. Limpurgium arcem seu castrum suum vicinum solo æquauit, quod otio & solitariæ vitæ ac disciplinæ, strepitus ciuiles ac aulici minimè conuenirent. VVasserburgium cum toto famulitio migrauit, ac ibidem de cætero habitauit. Et hoc circa Annum Dñi 1160. Ioan. Auent. in Annalib. fol. 552. & fol. 692.

SEPVLTI sunt ibi Nobiles Zelleri de Zellereut vicini olim, &c.

AV ET GARS.

AV & Gars Monafteria fundauit iuxta Auentinum, in Annal. fol. 552. Conradus Comes à Medling & Frontenhufen, circa Annum 1050. Qui Comites plura bona his Monafteriis dederunt, & multis annis ibidem Aduocati fuerunt. De hac re nihil certi reperitur in prædictis Cœnobiis. Diplomata enim vetera in Gars igne perierunt. verifimile tamen eft, initia horum Cœnobiorum fatis tenuia fuiffe; fubinde tamen eleemofynis Nobilium & aliorum piorum, nec non frugali œconomia Prælatorum aucta effe, vt habet peruetuftus liber traditionum, vt vocant, in Gars: In quo fit mentio quarundam familiarum, quę interierunt, & noftro tempore ignotæ funt. Dubium eft Nobiles fuerint nec ne, circa Annum 1100. In antiquis Ecclefiæ Salisburgenfis monumentis reperio, principia amborum Monafteriorum ita fe habere: Cellam, quæ vocarur Garoz, fuper ripam Oeni in pago Ifanagoe, conftruxit quidam Clericus, nomine Bofo, in honore fancti Petri, Principis Apoftolorum, de licentia Teffalonis III. Ducis Bauariæ, &c. Hanc Cellam idem Dux cum pluribus aliis prædiis ac cenfibus donauit Epifcopo Salisburgenfi, commendans eundem Clericum ad fuprà dictum Monafterium, vnà cum ipfa Cella, &c. Fuit autē hic Bofo liber homo, qui cum fratre Ioanne ad prædictum Epifcopatum quoque tradidit de licentia præd. Ducis in pago Pinzgoe, loca nuncupata, Bifonzio & Salucida, quæ à Duce Bauariæ in beneficium tenebant, &c.

Cellam, quæ vocatur Avve, fuprà dicto loco fitam, conftruxerunt Baldus, Fimulus & Robertus, Presbyteri, cum licenria eiufdem Ducis, in beneficio Dominico tradidit Taffilo Dux eidem Ecclefiæ, &c.

In Monasterio Au fepulti funt quidam Nobiles, Harskircherà Zangenberg, Item quidam Helfendorfer, Anno 1400.

Anno 1068. tempore Hildeprandi Papæ, Gebhardi Epifcopi Salisburgenfis, Henrici Regis, Vvelphonis Ducis, Egilberti, vt puto, Comitis Kraiburgēfis, Cunonis Aduocati, Comitis Medlingenfis, Harvvicus Præpofirus Auenfis, fcripfit fe Archipresbyterum in quodam publico inftrumento, quod aliàs eft inauditum.

Alivd eft Monafterium in Auftria fupra Anaffum, non procul à Steyra vrbe fundatum, olim à Marchionibus Styriæ, Anno Domini 1107. Garften nomine. In Garfis fepulti funt Nobiles,

EBERSTETER,
HOLZHAVSER,
BERNPEKEN,
MAGENREVTER,
BERCKHOVER,

BETHARTING MONASTERIVM CANO. REGVLARIVM SANCTI AVGVSTINI.

MONASTERIVM fuperioris Vindelitiæ fundârunt Iudith fecundùm Auēt. fol. 622. & frater eius Megingotzus, Monachis Auguftinianis: Confecratū eft à Romano Epō Gurcenfi, iuffu Conradi Archiepifcopi Salisburgēfis, circa Annū 1130. Nam Heinricus, Epifcopus Frifingenfis, rebus Impcrijftudebat. Conradus autem autoritatem Pont. Max. fequebatur. liber manufcriptus de fundationibus aliquorum Monafteriorum Bauariæ refert, Nobilem quandam matronam, nomine Iudith, in fuo fundo propè villam Hartingen, Cœnobium in honore S. Ioan. Baptiftæ extruxiffe

extruxisse, & hoc primò Virginibus sacris dicâsse. Posteà verò autoritate Apostolica ordinem mutâsse, substitutis in locum Monialium Augustinianis Monachis, sacras autem Virgines in Monasterium Altenhoehenavv migrâsse. Ipsam fundatricem in Cœnobio suo, liberaliter à se dotato sepultam esse, & reliquisse septem filias, à quibus septem familiæ Ministerialium eiusdem Monasterij ortæ sunt, quarum tamen nomina ibidem non extant. Item hoc Cœnobium per Rudolphum & Ludouicum post Imperatorem, Bauariæ Duces, & præsertim per Stephanum iuniorem Ducem, maximis priuilegiis confirmatum esse. In fundatione huius Cœnobij mentio fit duorum Megingozorum, vnius de Milingen, alterius de Zaizering, cuius nominis duæ villulæ ibidem proximè sunt sitæ, quæ proculdubio eo tempore peculiares Dominos hoc nomine habuerunt, à quibus hæc fundatrix originem ducat.

SEPVLTI sunt in hoc Monasterio Nobiles, nūc Barones Imperij facti, de Mächselrain castro vicino, & Nobiles de Haslang.

BEVRBERG MONASTERIVM CANO. REGVL. SANCTI AVGVSTINI,

ALIAS vulgò Peilberg, ad Loysam Monasterium ædificatum est per Ottonem, Eberhardum & Conradum de Innspurg, fratres. At secundùm Auent. fol. 552. per Eberhardum & fratrē suum Albertum, qui Imperatori Heinrico quarto plurimùm acceptus fuit, vnà cum cōiuge Alberti Bertha, & filio Ottone, pro Monachis Augustinianis dicatum, circa Annum 1100. Confirmatio autem Calixti secundi Pontificis scripta ad Ottonem fundatorem, quem vocat Nobilem & Illustrem Ottonem de castro Yringi, ipsius tantùm mentionē facit, quòd ipse prædium suum in Peilberg dederit, vt ibi in honorem S. Petri & Pauli pro Regularibus fratribus Ecclesia construeretur, dans Monachis facultatem, quem velint Aduocatum liberè eligendi. Datum Laterani, Anno 1121.

SEPVLTI sunt in hoc Monasterio duo ex fratribus fundatoribus in abside meridionali, tertius in Monasterio VViltha Ordin. Præmonstratens. in Tyrolensi Comitatu. Item hîc sepulti sunt, VVeiknandus Miles iunior de Eirnspurg, Nobiles de Thor, Successores in castro Eirnspurg, cum vxoribus. Item Althamer, cum vxoribus & filiabus, habet anniuersaria decem, & decem Altaria, ac vt monumenta ibi habent, bis incendio periit.

BEVRN.

MONASTERIVM sancti Benedicti ordinis, prope Alpes, aliud Monasteriū eiusdem nominis, ac vt puto ordinis in ditione Salisburgensi, non procul à Salza fluuio, quod aliàs vocant Michel Beurn.

LANDFRIDVS, VValdramus, Elilandus, fratres, Comites ab Antorf & Loysa dicti filij Theodoberti Ducis, terrij huius nominis, ex familia primorum Ducum & Regum Bauariæ, tametsi in libello quodam de fundatione huius Monasterij ad Abbatem VVilhelmum Dieperskircher, circa Annum 1466. Germanicè scripto, ex speculo historiali Vincentij, & ex Garibaldo quodam ponatur, hos Comites fuisse filios cuiusdam VValtherij, Com. de Bliantz, ex prouincia Galliæ, famosissimi militis,

litis,qui cum Carolo Martello in Boiariam venerit, istis dominiis & terris, virtutis ergô, donatus sit, cuius rei Auent. nullibi meminit, & planè verisimilius est, hos Comites ex antiqua Bauarica familia natos, quam aduenas fuisse. Hi Comites, Anno Domini 740. indictione 8. sub Zacharia Papa, Rege Carolo, patre Pipini & Carolomanni, tempore quo sanctus Bonifacius, Moguntinensis Archiepiscopus, in Francia Orientali, Frisia, Austria, siue Austrasia & Bauaria fidem Christi seminauit, & plura Monasteria vbique construerentur, octo Monasteria prope Alpes & Lycum ædificârunt & fundârunt, quinque pro maribus, nempe Beurn, Schlechdorf, Siuerstat, Sandau, VVessenprunn, tria pro Virginibus, Polling, Staffelsee, Cocklsee, quibus præfecta est Gelouinda, soror fundatorum. Hæc omnia Monasteria S. Bonifacius Archiepiscopus Moguntinensis dicitur consecrâsse, & initiâsse regula S. Benedicti, quæ Monasteria per Vngaros deuastantur, Anno 973. Cochelsee & Staffelsee ad lacus eiusdem cognominis; Siuerstat verò & Sandau, haud longè à Lyco sita, ab Vgris excisa deletaque, penitus interierunt: Cætera verò restituta sunt, sicut in hoc libro Monasteriorum de illis annotabitur. Hoc nostrum Burense Monasterium reficitur per Richolphum, Præsulem, sub Ottone secũdo Imperatore, & S. Vlrico, Episcopo Augustano. Auent. fol. 216.

Reiectis Augustinianis Monachis, opera Adalberonis, Comitis de Sempta, Aduocati huius Monasterij, restituitur Benedictinis, per Heinricum tertium Imperatorem, qui eò Helengerionem, Abbatem Tigurinum, cum 12. Monachis transtulit, Auentinus fol 531.

Heinricus quartus Abbatiam Burensem, dictam in pago Sondergeu, in Comitatu Sigmari Comitis sitam, Elenhardo, Episcopo Frisingensi, & illius Ecclesiæ, omni iure & vtilitate, quam Imperator ibi habuit, in proprium dedit ac tradidit; ita vt liberam potestatem habeat tenendi, construendi, & quicquid ad communem illius Ecclesiæ vtilitatem voluerit faciendi, Anno 1065. Extat diploma in libro tradito Frisingensis Ecclesiæ.

Anno 1248. domestico igni totum Monasterium exuritur, sub Ottone, Duce Meraniæ, Aduocato, & Ottone Duce Bauariæ, inter quos antea grauissimum bellum fuit, in quo Monasteriũ plurima mala & deuastationes passum est, Vide Auent. lib. 7. fol. 681.

In Libro fundationis reperio Aduocatos & Abbates huius Monasterij sequẽtes.

SIGMARVS iuuenis Comes, tertius Aduocatus, cuius pater Adalbertus, filius Adalbero, vxor Sigmari Gertrudis sub Heinrco quarto.

SIGMARVS Aduocatus dedit Monasterio, pro se & anima fratris sui Adalberonis interfecti, prædia in Phrumore ex lib. tradit. ibi. De qua familia hi fuerint, an de Sempta, an verò de Husin, hoc est, Andecensi, vt Auent. in Epithomate ponit, sed in Chronica nihil, &c. non satis constat; puto autem fuisse Comit. de Sempt. Vide ibi.

BERNHARDVS Aduocatus sub Raymundo Abbate.

POPPO, Comes de Andechs, eius frater Berchtoldus & Otto.

BERCHTOLDVS, Comes de Andechs, Aduocatus sub VValthero, Abbate septimo, Anno 1140. & 43.

OTTO Comes de Andechs, frater Berchtoldi, quem aliàs Marchionem vocat, sub Adalberto Abbate, Anno 1185.

ADALBERTVS Aduocatus, Anno 1149. sub Conrado Rege.

OTTO Dux Meraniæ, sub Gebhardo Abbate.

HEINRICVS Abbas, Anno 1252. quartus ante ipsum eiusdem nominis Abbas.

ORTHOL-

ORTHOLPHVS Abbas. Huic Rudolphus Imperator regalia contulit, ac de administratione temporalium legitimè inuestiuit, vocans ipsum Principem dilectum, Anno 1275.

HEINRICVS Abbas, Anno 1286. huic quoque Rudolphus contulit regalia feuda principatus, quem obtinet, & hoc ad instantiam filiæ suæ, Ducissæ Bauariæ, Otto Abbas, Anno 1292. Idem 1308.

Ex lib. fundationum ibi. EGGEBERTVS Episcopus Bambergensis, Otto Dux Meraniæ, & Palatinus Comes Burgundiæ, & Albertus Comes de Tyrol, Anno 1228. interesserunt apud Abbatem Burensem Gebhardum, post obitum Domini Ottonis, Ducis Meraniæ, defensoris olim in temporalibus quatenus Aduocatiam illam filio Ottonis cōferret, quoniam ipse pro libitu eligendi Aduocatum potestatem & libertatem haberet, sub certis conditionibus & articulis iureiurando, & instrumentis confirmandis: Primò, ne illis detur Iudex, nisi ad petitionem Abbatis & Conuentus; secundò ne steuræ ab hominibus eorum extorqueantur; tertiò, ne aliquis infra Parochiam iudicium exequatur; quartò, ne res vel homines eorum sub iure aduocatiæ vlli in feudum concedantur; quintò ne ab hominibus ipsorum, vel ab ipsis telonium accipiatur, in VVolfratzhausen, vel in Montanis.

BENEFACTORES huius Monasterij & alij, quorum in libro fundationum ibi fit mentio.

VDALRICVS de Elsindorf, vir Nobilis, se cum coniuge & vnica prole, ac omnibus bonis suis & possessionibus, scilicet Elsindorf, Surgeloch, Mages, Rufian, Deo ac S. Benedicto obtulit, tempore Henrici quarti Imperatoris, &c. puto Tyrolensem fuisse.

ARNOLDVS de Aspach, vel de Lucilsteten, Nobilis homo, donauit Monasterio prædium Aichaim, quod à parentibus in Sueuia, iuxta Hylaram fluuium per successionem habuit, quodq; Guelpho Dux, eiecta sua matre, per vim occupārat, &c. facta est hæc traditio, Anno 1143. sub VValthero Abbate primo, & Berchtoldo Aduocato.

QVAEDAM Illustris Matrona, Gisela nomine de Asmunting, locum sibi apud S. Benedictum elegit, Marquardus maritus tertius, Agnes filia, Robertus & Gosvvinus, filij, Diethericus, frater Domini Marquardi de Dorf.

HENRICVS, Comes Andecensis, Marchio Ystriæ, fundator Missæ ibidem, circa Annum 1228.

OTTO Dux Meraniæ, Comes Palatinus Burgundiæ, eodem tempore.

BERCHTOLDVS & Heinricus, Comites de Eschenloch, fundatores luminis perpetui, ad sepulturam progenitorum suorum, circa Annum 1228.

BERCHTOLDVS, Comes de Eschenloch, filius Berchtoldi, instituit anniuersarium ibidem, pro remedio animæ suæ & progenitorum, Anno Dñi 1293.

HEINRICVS de Rotenburg, Magister curiæ Ottonis, Ducis Carinthiæ, Comit. Tyrolis, Vto de Matrey Iudex, Grifo de Matrey, milites, Heinricus de Vsenstain, fideles eiusdem Ottonis, Anno 1298.

BERNHARDVS liber de VVeilhaim, Anno 1228. D. Heinricus de VVeilhaim filius, circa Annum 1253.

D. GEBHARDVS de VVeilhaim, circa Annum 1295.

EGILOLPHVS & Gothardus de Andechs Nobiles, circa Annum 1228.

GOTSCALCVS & Ludouicus de VViderspereh.

EBERHARDVS & Lazarus de Porta.

HEINRICVS de Lechisperg, vxor Diemuet, filij eorum Philippus, Rupertus & Hermannus, tempore Heinrici Anno 1252. contuleruntaliquid Monasterio.

HENRI-

HENRICVS & Otto de Sechſenhauſen, Anno 1291. Otto dedit Huobam in Engelberting, Anno 1292.

D. DIETHERICVS de Pfluegdorf.

S. CONRADVS, & D. Engelſcalcus de VVildenrot, Anno 1303.

D. HEINRICVS de Tainingen, Anno 1295.

VERTINGVS & Heinricus de Schmiechen.

BERCHTOLDVS de Aue, ſub Heinrico Abbate, Anno 1255.

D. IOANNES Miles de Aue, Anno 1219.

D. CONRADVS der Reitter von Aw / Anno 1295.

BERCHTOLDVS de Fuozſtain.

In antiquo libro fundationis ſeu traditionis reperio circa Annum 1250. ſequentes illius Monaſterij vaſallos fuiſſe.

D. HEINRICVS de Seeueld.

D. VLRICVS de Rörmos, Vicedominus Ducis Ludouici, & filius ſuus Vlricus.

D. VVATTO de Geckenpeunt.

D. BERCHTOLDVS de Egoluingen.

D. HERMANNVS VVittolshouer.

D ENGELSCALCVS de Haldenberg.

VVIRNT de Adelungeshouen.

HEINRICVS de Seckſenhauſen.

D. DIETRICVS de Pfluegdorf.

D. HEINRICVS de Pfetten.

D. CONRADVS de Duringenueld.

Item H. TAININGER.

Item VERTINGVS de Schmiechen.

Item BERCHTOLDVS de Fuezſtain.

BERGEN.

MONASTERIVM Monialium ordinis S Benedicti, intra Neuburg & Aichſtet, oppida, fundatum eſt à domina VViltruda, filia Giſalberti, Ducis Lotharingiæ, ex Gerbirga, ſorore Ottonis primi Imperatoris, vidua Berchtoldi Ducis Bauariæ, fratris Arnoldi mali, Anno Domini 976. Bruſchius in ſua centuria Monaſteriorum de hoc Monaſterio latiùs, licet idem Bruſchius in Metropoli Moguntinēſi, ſub Reginaldo Aichſtetenſi Epiſcopo, aliter ſcribat, nempe quòd à Guta, vxore Berchtoldi, Comitis de Lechſmund, hoc Monaſterium inſtitutum ſit: Sed errat ibi Bruſchius. Auentinus in Annalibus ſuis impreſſis, fol. 491. Vxorem Ducis Berchtoldi vocar, Neptem Ottonis primi, ex ſorore Gerbirgam; ſed Autographum habet ex ſorore Gerbirga. Fuit namque fundatrix ſeu vidua Berchtoldi Ducis, nomine VViltrudis, euius mater Gerbirga, ſoror Ottonis primi. Vide Ioannem Cuſpinianum in vita Ottonis primi.

BERNFRIED.

MONASTERIVM Canon. Regularium S. Augustini, ad stagnum VVirmsee, Fundauit in honorem S. Martini Episcopi Comes Otto de Vallay, cum coniuge sua Adlhaide, Auent. fol. 552.

HVIVS Monasterij prima confirmatio facta est à Ioanne XXII. Anno 1120. secunda ab Eugenio tertio.

SEPVLTI sunt ibi Otto fundator, cum fratre Ottone iuniore, Mechtilde sorore amborum, & Adlhaid, vxore Ottonis, senioris in Capitulo, vt ibi habetur. Sed Auentin. neq; fratris, neq; sororis meminit.

IBI Herlucæ sacratę fœminæ sepulchrũ ostenditur, Ioan. Auent. lib. 5. fol. 591.

BERCHTOLSGADEN

MONASTERIVM Canonicorũ Regularium S. Augustini Ioannes Auentinus in hac fundatiõe variat. Nam in lib. 5. Annal. fol. 552. ponit: Chuno à Medling & Frontenhausen, Satrapes Comes Gars & Avv; vxor eius Irmogarda in agro Salisburgensi Berchtolsgaden, vbi sepulta est filia Adelhaidis, cum marito Beringerio, filiis, Beringerio & Conrado à Sultzpach, Comitibus, quod est oppidum Nariscorũ, ad confluentes Train & Alissi, Pamburg ibi humati perhibentur, collegia flaminibus Augustinianis instituerunt. Sed idem Auentinus in suamet translatione Germanica a liter ponit; nempe Chuno, Comes à Medling, fundat Avv, vxor sua Irmogard, filia Adelhaidis, cum marito Comite Beringerio, & filiis, Beringerio & Cunrado, Comitibus de Sultzpach, instituerunt, seu fundauerunt Berchtolsgaden & Bamburg.

Traun, Alz.

IDEM postea in Annal. lib. fol. 655. in Genealogia Comitum Sultzpacensium soli Beringario patri hæc tribuit. Idem in suo Germanico compendio. Sed in monumẽtis & diplomatibus Berchtolsgadensibus reperitur, quod & verum est, quòd Comes Beringerus, frater suus Chuno de Sultzpach, vnà cum ipsorũ matre Irmogarda instituerunt Berchtolsgadense Monasterium in honorem S. Ioannis Baptistæ & S. Petri, ac multis bonis ditârunt, Año 1108. ex quo apparet, Auẽtinum in nomine Irmogardæ errâsse. Nam Irmogarda fundatrix mater erat Comitis Beringeri non socrus. De familia huius non satis constat, nisi quòd fratrem habuit Comitem de Harburg, cuius insignia habent 6 alba lilia, in rubro clypeo: Ipsorum verò Sultzpachensium insignia habent 6. lilia in clypeo Veneto seu Plau, ex annot. D. Lucretij.

IN DIVTVRNIS & grauissimis bellis inter Albertum & Leopoldum, Duces Austriæ, Piligrinum Archiepiscopum Salisburgensem ex vna, & Principes Bauariæ altera parte, inter Capitulares Berchtolsgadenses schisma ortum est. Nam quidam Sigehardum VValler, alij Vlricum VVulpen in Præpositum elegerunt; VVallero patrocinati sunt Austriaci cum Salisburgensi, Vlrico Duces Bauariæ, in maximum illius Monasterij detrimentum. Tandem per prædictum Archiepiscopum & Bauarię Duces, nempe Stephanum, Fridericum & Ioannem, res hoc modo transacta est, vt vtrunq; in Berchtoldum Episcopum Frisingensem compromitterent; qui suo Laudo vtrũq; electum deposuit, & nouum Præpositum substituit, Conradum Thoœr, Canonicum Salisburgensem (qui posteà non adeò benè præfuit) saluo tamen Capitulo deinceps liberè eligendi iure & facultate.

IN QVO Laudo hoc quoq; expressè cautum est, vt quilibet nouus Præpositus, Archie-

Archiepiſcopo Salisburgenſi, nec non & Ducibus Auſtriæ & Bauariæ, pro vniuſcuiuſq; iure, pro more veteri fidelitatem præſtet, **Einem jeden zů ſeim Rechten / wie von alt herkommen globen ſoll.** Itē quòd duo caſtra à Ducibus Bauariæ cōtra Berchtolsgadenſes cōſtructa, nempe Hagenfels & Dornberg, illi Eccleſię minimè cōmoda rurſum deſtruerētur, cum aliis quibuſdam articulis. Hoc ita actum eſt Añō 1384. Copia iſtius Laudi eſt, in quadā veteri lacera regiſtratura, quę Friſingę depoſita fuit.

BIBVRG.

ANNO à nato Chriſto 1124. Vlricus & Gebhardus, maiores natu fratres Germani, filij Heinrici de Biburg & Berthæ ex Yſtria, patriam diuiſerunt hæreditatē, Vlricus & Gebhardus ſortiti ſunt Hilpoldſtain, Conradus autem Erbo atq; Bertha Biburg. Alij duo fratres horum Eberhardus & Meginvvardus ſacris initiati erāt: Ille Canonicus Bambergenſis, ac deinde Monachus Pruſelingenſis: Hic veteris Capellæ Ratisbonenſis Præpoſitus: quatuor alij filij, Otto, Magnus, Albertus, Hazilo, ante obitum parentū ex hac vita migrârant. Nam Henricus ille ſuperior vndecim liberos ex Bertha ſua coniuge progenuit decem mares, & vnam fœmellam Bertham.

PROXIMO deinceps anno, nimirum 1125. Cunradus Erbo, Bertha, cōſilio & auxilio ſancti Ottonis, Epiſcopi Bambergenſis, de ſuo patrimonio Benedictinis viris & fœminis Cœnobium, Item pauperibus atq; egenis Xenodochium ædificare cœperunt, & octauo anno compleuerunt, hoc eſt, Anno 1133.

QVO etiam anno, in die Simonis & Iudæ, D. Otto, Bābergenſis Epiſcopus, & Hēricus Comes de VVolffratshauſen, cognatus Berthæ vxoris, Henrici ſuperioris Pontifex Ratisbonēſis, templum Biburgēn. cōſecrârunt, Eberhardus, Monachus Pruſelingenſis, eo tempore frater fundatorum fit Abbas, frater eius Vlricus de Stain, Aduocatus, qui cum vxore Halica & filio Burckhardo villam Perchach dono dedit Monaſterio. Innocentius ſecundus, Pont. Max. comprobauit hanc fundationem, & diplomate confirmauit.

D. EBERHARDVS, primus Abbas, Canonicus Bambergenſis, deinde Monachus ibidem apud S. Michaëlem, à D. Ottone, Epiſcopo Bambergenſe, tranſlatus in Prüfeling, ibi manſit vſq; ad conſecrationem Monaſterij à fratribus ſuis conditi, cui ipſe prēfuit annis 13. Deinde Cunrado I. Archiepiſcopo Salisburgenſi, de Abenſperg oriūdo, cognato ac vicino ſuo in Epiſcopatu ſucceſſit, electus Anno 1147. Prēfuit ibi annis 17. Obiit Anno 1164. ſepultus in maiori Eccleſia, vbi adhuc religioſè colitur.

HAEC ITA referuntur, prout ſunt annotata in Cœnobio Biburgenſi, quamquā aliter quodammodo in veteri fundationis libro reperiantur, & ipſe liber fundationis ſibi non conſentit ex omni parte.

AVENT. item in Chronico, lib. 6. fol. 623. Item in ſua trāſlatione & epitome fundationis huius Monaſterij, ſibi ipſi cōtrarius eſt, in eo quod ponit, Henricum & Bertham, fundatores, cùm tamen fuerint fundatorum parentes. Ponit etiam Grimoldum tanquam fratrem fundatorum & vnà fundatorem, cuius in Biburgenſi Cœnobio nulla fit mentio, ſed ſolùm Grimoldi Burckhardi ſuperioris de Stain filij, hæc annotatio Monaſterij magis veriſimilis eſt, ac Biburgenſi Genealogiæ conueniens. In hoc præterea liber fundationis à ſuperioribus diſcrepat, quod dicit Ottonem Bambergēſem Epiſcopum contuliſſe ad ædificationem huius Monaſterij 516. libras ſtructuram annis ſex abſolutam, Ottonem anno 7. obiiſſe, eidem Engelbertum ſucceſſiſſe, cuius regiminis anno ſecundo, Eccleſia per Henricum, Epiſcopum Ratiſponenſem, ad inſtantiam Eberhardi, Archiepiſcopi Salisburgenſis, tunc adhuc Abbatis Biburgenſis ſit conſecrata, Anno 1133.

Coadivtores huius fundationis fuerunt propinqui & amici fundatorum, qui se ipsos & bona sua eidē Ecclesiæ dicauerūt, nempe Ludolphus de Grietzpach, qui dedit totam illam villam Grietzpach, Burckardus de Panzingen, Rahevvinus de VViehs, aliàs de VVeiehs, &c. Eberhardus Episcopus Bambergensis (quē Bruschius in Catalogo Episcoporum dicit fuisse Ducem Bauariæ. &c quod alibi legisse nō recordor, & obiisse Año 1172.) dedit fratris sui Riginoldi bona Machtfridesdarff. Suprà dicta villa Grietzpach ad Barrium amnem sita, data est in permutationē Domino VViguleo de VVeichs equiti, pro duabus partibus Hoffmarchiæ in Leutenpach, vnà cum duabus curiis in Nozenhausen, Anno 1468. posteà Abbates Biburgenses totam illam villam Nozenhausen ab eo sunt adepti.

Gebhardvs Comes de Hintenburch, qui fuit frater fundatorū, dedit Capellā Adlungestorff, quæ aliàs ad Parochiam Gecking spectabat, Monasterio in Biburg, dotis nomine. Confirmat hāc donationē Henricus Eр̄us, ipso die cōsecrationis illius Monasterij, Anno 1133. Testes, ipse Gebhardus pater, Vlricus & Burckhardus de Lapide, filij eius. Comitissa de Hohenburg quædam mancipia sui iuris per manū Ottonis, filij Vdalrici de Lapide, tradidit huic Monasterio; ea conditione, vt omnes, qui sunt virilis sexus ab 15. annis, soluerent annuatim 10. denarios, fœminę ab 12. annis, 5. denarios, ad procuranda luminaria in eodem Monasterio. Quod si verò aliqui debitum cēsum sua culpa ad annum tertium distulerint, vt quotidianę seruituti subiicerentur: Testes huius rei per aures tracti Vdalricus de Lapide, & frater eius Conradus, & alij, ex libro fundationis, fol. 6. Domina Irmegardis de Hohenburch delegauit quēdam virum Geroldum, per manum Grimoldi de Lapide: Testes, præd. Grimoldus, Vlricus, Heinricus, Albero de Ronseran, Vdalricus de Lengingries, Vdalscalcus de Habevvavv, Heinticus de Esting, &c. deest annus in lib. fundat. seu traditionum; ex nominibus testium puto hanc fuisse, de Hohenburg ad Ysaram, &c.

Lvipoldvs Dux Austriæ fatetur, quòd, cū post obitū cognati sui Henrici, Ratisbonensis Burggraui, beneficiū, quod ille à Bambergensi Ecclesia habuerat, plenariè obtinuerit, in quo etiam Aduocatiam bonorum Biburgēsis Cœnobij in Tangrintl, quam sine vllo emolumento solummodo pro remedio animæ suæ, Parentū & prędicti Henrici possidere velit: Proinde decimationes inibi de redditibus eorū, & quicquid reliquum iuris in bonis ipsorum habuit, vnà cum quodam nemore prædicto Monasterio donauit. Actum apud Ens, Anno 1185.

Nanzo Abbas litigauit cum Conrado, Comite de Frontenhausen, pro iure patronatus in Sandolzhausen, & vicit circa Annum 1220.

Monasterivm combustum est, Anno 1228.

Deficiente linea Dominorum primorū de Hiltpoldstain, Aduocatia huius Ecclesię, circa Annum 1250. ad Duces Bauarię peruenit, nempe ad Ludouicum, patrem Ludouici Imperatoris, quem Abbas & Conuentus vigore priuilegij Friderici primi Imperatoris, ipsis Anno 1167. concessi, liberè elegerunt. Quapropter Ludouicus Dux illis multa priuilegia dedit, vt in libro fundationis apparet, de Anno 1260. alterum 1273. Selingstadij.

Svb Henrico IIII. Abbate, aliàs sub Ifenrico, tempore Friderici primi Imper. & Henrici Ducis Bauariæ & Saxonię, Monasterium ad summam inopiam redactū est, propter sumptus, quos dare coactū est Leoni Episcopo Ratisbonensi, ad Concilium Gregorij Papæ X. Item ꝑpter decimas omnium rerum ad expeditionem Hierosolymitanam exactas. Obiit iste Abbas Anno 1278. Eodem anno combustum est Monasterium Monialium & domus Cameræ.

OTTO Cholner Abbas obiit Anno 1335.

HENRICVS Epstetter Abbas, obiit Anno 1371. Hic lapidem magnum posuit super ossa Abbatum extra templum, vbi 24. Abbates sepulti dicuntur.

HAYDEN-

HAYDENRICVS Startzhauser benè & sapienter præfuit, ob lepram amouetur. Obiit Anno 1407. monumentum extat.

FRIDRICVS Startzhauser, primus Abbas Infulatus, obiit Anno 1474.

VVOLFGANGVS Peffenhauser, Abbas, obiit 1507.

In Templo ibi est sepulchrum exaltatum, cum hac inscriptione: Anno Domini 1151. obiit sancta Bertha, fundatrix huius loci.

Nobiles in hoc Monasterio sepulti.

PEFFENHAVSER { Vlricus Peffenhauser obiit Anno 1260. Stephanus Peffenhauser obiit Anno 1400.

CONRADVS Eystetter, miles, obiit Anno 1363.

Item Liberi de { Aykoltinger, Leutenbecken, Hiltpoldstain, Startzhauser & Leublstorffer.

CÆSAREA, VVLGO KAYSHAIM
ORDINIS CYSTERCIENSIS.

KAYSERSHAIM, vulgò Kayshaim, Latinè Cæsarea, in Ducatu Neuburgensi & Comitatu Graifspacen. magnificum & opulentum Monasterium, Anno 1133. fundatum ab Heinrico, Com. de Lechsmund & Graifspach, & eius cōiuge, Domina Loykarda, quæ ibi cum marito in eodem tumulo sepulta est, & à filiis, Heinrico secundo & VVolgerado, &c. Auent. lib. 7. fol. 789. Qui de his Comitibus, ac de hoc Monasterio plura videre cupit, videat librum meum Genealogiarum Bauaricarum, ac Casparum Bruschium in centuria sua Monasteriorum Germaniæ. Quia ego neque diplomata, neque Annales illius Monasterij vidi, nolui ab aliis scripta cum tædio hic repetere.

Svnt autem ibi sepulti Nobiles, primò fundatores, Comites de Lechsmund & Graifspach, Com. Nyfnenses, qui defunctis Graifspacen. successerunt in illo Comitatu, Comites Helfenstain. & Otingenses, Barones à Gundelfingen, Marschalci à Pappenhaim, in Hochenreichen, Pincernæ à Geyrn, Rechenperg de Treuchtling, die Vetter mit der Lilgen / de VVembding, & alij, &c.

CARMELITARVM MONA-
STERIVM STRAVBINGAE.

CARMELITÆ fratres D. Mariæ Virginis Ratisbonæ ex æde Diui Osvvaldi, per Conradum Episcopum, quòd hunc ad viua Dei Templa construenda in concionibus liberiùs adhortarētur, pulsi Straubingam migrârunt, vbi Monasteriū hoc institutum est per Albertum Stainhauf ciuem, & Capituli beatæ Virginis Mariæ in Augusta, ad quos Parochia cum decimis pertinebat, Præpositum seu Procuratorem ibi, cum consensu Alberti, Ducis Bauariæ, Comitis Hollandiæ, Seelandiæ, Anno 1367. Auentinus lib. 7. fol. 797.

Eivs filius Albertus Dux ibidem in Choro sepultus est, qui obiit Anno 1399. quinque annis ante Patrem, qui secundùm August. Colnerum, Consiliarium ac Secretarium olim Ducum Bauariæ, Anno 1405. obiit, ibidem sepultus. Sed secundùm Flandrensem Chronicam obiit Anno 1404. sepultus Hagæ in Hollandia, vt & Auētinus in suamet translatione sentit.

Sepulti sunt etiā ibi in Choro Nobiles Nothaffti de VVernberg, qui illis Ducibus Hollandis intimi ac familiarissimi fuerunt.

CARMELITARVM MONASTERIVM IN ABENSPERG.

IOANNES Dominus in Abensperg instituit contubernium pro fratribus beatæ Mariæ Virginis, Carmelitis Monachis in suo oppido Abensperg, Anno Domini 1389. qui tamen ibi non est sepultus, sed Roræ in veteri Capella à se ædificata. Ibi tamen sepultus est Dominus Nicolaus de Abensperg, vltimus huius familiæ, occisus prope Frisingā à Christophoro, Duce Bauariæ, & eius militibus, ac ad Monasterium Abenspergense delatus, Anno Domini 1485.

CHIEMSEE MONASTERIVM ORDINIS S. AVGVSTINI CANONICORVM REGVLARIVM, Hermwerd / olim in der Aw oder Pfaffenwerd.

DE huius Monasterij fundatione scribit Auent. & adfert Arnolphi Regis diploma, quòd iste Arnolphus Rex hoc Monasterium vel Abbatiam S. Saluatoris ab Episcopo Metensi, cui ab antiquis Principibus Bauariæ datum erat, pro Abbatia Luxouium dicta, commutauerit, & Archiepiscopo Salisburgensi Diethmaro tradiderit, vt illic pro anima beatissimi Genitoris sui Karolomāni, suaq; annuatim per omne tempus anniuersarij commemoratio in eleemosynarum largitate & pauperum cura pagatur, Anno 891. Ratisbonæ, Otto deinde Imperator plenariè tradidit hanc Abbatiam Friderico, Archiepiscopo Salisburgensi, qui fuit Comes à Kiemgeu, Anno 969.

Avent. in Annal. fol. 622. ita ponit: In Norico Cōradus, Iuuauiæ Episcopus, ex Abenspergensi familia oriundus, Chiminum Templum olim à Tessalono, secundo Duce Bauariæ D. Benedicto conditū, ab Vgris ad egestatem redactū, Monachis Augustinianis tradit, &c. hoc est, Canonicis regularibus ordinis S. Augustini, Archiepiscopus Eberhardus I. concessit Aduocatiam huius Abbatiæ Comiti Sybothoni de Neuburg, iuxta Mangfaldum fluuium, Anno 1158.

Idem quoque habuit Aduocatiam aliorum bonorum Ecclesiæ Salisburgeñ. iuxta Chiminum lacum sitorum, iuxta tenorem illarum literarum. Post obitum verò Comit. de Hadmasperg, eiusdem familiæ cum Neuburgeñ. Eberhardus secundus, Archiepiscopus Salisburgeñ. concessit Aduocatiam Ottoni Palatino Rheni, Duci Bauariæ, ea cōditione, qua antea Comites prædicti illa vsi sunt, Anno 1244. Et ita hæc Aduocatia peruenit ad Duces Bauariæ, iuxta Annales Chiemen: Videsi lubet, Genealogiam horum Comitum, in libro meo Genealogiarum Bauaricarum.

Ista

Iste Eberhardus secundus, familiæ de Truchsen, Episcopus antea Brixinensis, pater pauperum, erexit seu instituit tres Episcopatus, Chiemen. Seccouien. & Lauentinum, hoc tamen sine omni præiudicio Præpositi, & Monasterij Chiemen. anno 18. sui Pontificatus.

Primus Chiemensis Episcopus fuit RVDGERVS.

Archidiaconatus verò fuit ante Episcopatū, de cuius initio ibi certi nihil reperitur.

Bona præcipua huius Monasterij, per Adrianum Pontificem confirmata, Anno 1157. Eckstett, Brutting, Ruetheringen, Stumb, Saline in Hall, duæ curtes in Grassau, cum decimis illius Parochiæ.

CHIEMSEE MONIALIVM, Frawenwörd.

De fundatione huius Monasterij, ac illius progressu, vsq; ad Heinricum quartū Imperatorem, nihil certius ac planius potest scribi, quàm prædicti Heinrici Imperat. confirmatio, huic Monasterio data, continet, cuius tenor de verbo ad verbum sequitur.

In Nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Heinricus, diuina fauente clemētia, Rex. Ad notitiam, ad memoriam, ad fidem rerum, & firmamētum omne scribitur Testamētum, sub qua ratione & hoc scribi, sed vnde & quare iussimus, Notum facimus omnibus Christi fidelibus: in quo dum cautiùs perspeximus, dum diligentiùs consuluimus, eandem rem (res enim alta est) longè suprà repetere volumus. Ad solam Dei gloriam & laudem, ob salutem animæ, ob remedium peccatorum suorum, Thessalo Rex Chiemensem substituit & fundauit Ecclesiā. Substituit, inquam, prædiis his dotauit, Euenhausen, Leuchtental, Schonsteten, Tegingen, Sapienzmünster, Puech, Fraunhouen, Hofhaim, Fridlfingen, Fraundorf, Palchingen. His verò, vt dictum est, dotauit, aliisq; pluribus. Dotauit & perfectissimam libertatem digna & religiosa institutione, cum iudicio in Insula sua, quæ Nunnuerd dicitur, & in omnibus Hofmarchis suis, ritè & legitimè habendo, sicut aliud regale Cœnobium tenetur, liberè & principaliter eidem Ecclesię tradidit, & solis tantùm Regibus, in tutelam & patrocinatum decreuit. In hac libertate ad Carolum vsq; Regem Successorem suum peruenit, à Carolo vsq; ad Ludouicum Regem, qui ob eiusdem Ecclesiæ, quam sibi pro cæteris habuit specialem, filiam suam Irngardam ibidem præfecit Abbatissam. A Ludouico autem ad Heinricum, qui quoq; sororem suam Geruirgam constituit Abbatissam, ob loci nobilitatem & religionem. Ea vt diximus libertate, à Rege ad Regem descendit, & vsque ad nos eandem libertatem habuit & pertulit. Et vt hæc perfectissima regalis libertas, quam ab autore suo Tessalone Regeaccepit, firma & inconuulsa omni æuo permaneat, hanc chartam conscribi iussimus, & propria manu, vt infrà videtur, corroborauimus, nostroq; sigillo insignitam omnibus seculis, vt hæc sciant & credant, relinquimus.

Signvm Heinrici quarti, Regis inuictissimi, Gebhardus Cancellarius recognoui, Anno incarnarionis Dominicæ M. LXXVII. Indictione prima, Anno autem Domini Heinrici, Regis quarti inuictissimi, ordinationis XXIIII. regni XXII. Ratisbonæ actum fœliciter.

Heinricvs sanctus Imperator Chiemēsibus Virginibus Gerpirgam sororem, Patauiensibus Helicam amitam præfecit, Auent. fol. 507.

S. CLARÆ IN RATISPONA
MONASTERIVM MONIALIVM.

ANNO. 1286. Sorores pœnitentes ordinis S. Mariæ Magdalenæ, quæ illius templum inhabitabant, secundùm Auent. suasu fratrum minorum mutauerunt ordinem, accepta regula S. Claræ. Auent. fol. 725 & 752. ex Chronica S. Magni.

S. CRVCIS IN RATISBONA
MONASTERIVM MONIALIVM.

FVIT hîc olim Capella S. Sixti, vbi vixerunt sacræ Virgines, quibus Heinricus, Comes de Ortenberg, dedit Parochiam & decimas in Schvvartzhof, prope Neuburg ante syluam Bohemicam, vt scilicet, ex illis redditibus proxime Capellam Monasterium ædificaretur, Anno 1237. quod & factum est. Et Capella illa iam est Xenodochium sacrarum Virginum, seu infirmaria, vt vocant, ædificatum est huius ordinis Monialibus Cœnobium in Schvvartzhof, quod Hussitæ vastârunt, itaq; Moniales Ratisbonam profugerunt.

HEINRICVS Otto & Heinricus, Duces Bauariæ inferioris, instituerunt ibi anniuersarium pro sua & progenitorum salute, confirmantes prædium seu curiam in Obern Berbing, ac eximētes illam ab aduocatia, steuris, censibus, ac aliis oneribus, Anno Christi 1323. Confirmat hoc Albertus Dux Bauariæ, dictus sapiens; eatenus, quatenus regulæ suæ obseruantiam seruarent, Anno 1489. Extant ibi diplomata.

CHIEBACH MONASTERIVM
MONIALIVM, ORDINIS S. BENEDICTI.

CASPAR Bruschius in centuria sua Monasteriorū Germaniæ, de fundatione huius Monasterij quædā fabulosa scribit, ac eam Comitibus VVittelspacensibus tribuit, errans quoque in anno fundationis, quem ipse 1108. ponit, nec non in consecratione eiusdem, cùm tamen diplomata eiusdem Monasterij, quorum infrà fit mentio, aliter testificentur: Tametsi hoc verum est, quòd VVitelspacenses, extincta stirpe fundatorum, facti sunt Aduocati huius Monasterij, tanquam vicini. Kuebach Cœnobium in eiusdem nominis vico Bauarico, medio ferè itinere inter Schrobenhausen & Aicha constructum, fundatum & dotatum est, Anno 1011. secundùm Auent. & sequens diploma fundationis, ab Alberone, Comite de Sempt & Ebersperg, in honorem S. Magni Confessoris, eùmque paulò pòst incendio periisset, ab Vdescalco Comite, fratre fundatoris, eiusque coniuge VVilbirgi denuò instauratum esse ibidem legitur. Abbatissarum loci non extat integer Catalogus.

HENRICVS secundus Rex huic Monasterio priuilegium dedit, creandi sibi iuxta regulam S. Benedicti Abbatissam, & eligendi pro libitu Aduocatum; post obitum tamen Comitis prædicti Alberonis fundatoris, qui ius Aduocatiæ temporibus vitæ suæ sibi reseruauit, recipiens Monasterium hoc, cum Monachabus & omnibus bonis tam collatis, quàm deinde conferendis, in suam regiam immunitatem. Datum

Anno 1011. Anno Heinrici secundi regnantis decimo, in Regenspurg. Sequitur diploma in fine.

Henricvs tertius Rex, pro remedio animæ suę, & ad petitionē Hademot, venerabilis Abbatissæ, dedit huic Monasterio villulam, quę vocatur Brunadra, & molēdinum situm in Hochenrieden, infra Comitatum Ilsunc Comitis, cum omnibus suis pertinētiis, hoc est, vtriusq; sexus mancipiis, areis, ædificiis, terris, cultis & incultis agris, pratis, pascuis, campis, syluis, aquis, aquarumq; decursibus, piscationibus, exitibus & redditibus, viis & inuiis, quæsitis & inquirēdis, & cum omni vtilitate, quæ inde prouenire potest. Actum Vlmę, 5. Iduum Nouembris, Indictione decima, Anno 1041. Anno regni Heinrici tertij III. ordinationis verò XIII.

Hermannvs Episcopus Augustensis, diuisione decimarum in tota Parochia Chuebacensi, per Childebertum Archidiaconum nomine ipsius, cum consilio & consensu Richardis Abbatissæ, eiusq; sororum, nec non Palatini Comitis, eiusdem Ecclesiæ defensoris, ac totius populi collaudatione facta, statuit vt Parochianus Presbyter Episcopi ac etiam suam partem obtineat: Vnde in celebranda populi Synodo Archidiaconum suscipiendo honorificè pascat; reliquas partes Abbatissa habeat, vt pauperibus in hospitali fideliter distribuat. Actum 1127. Calendas Februarij, Honorio Papa præsidente, Lothario Rege secundo regnante.

Hic Hermannus, Episcopus Augustensis, de familia Comitum VVitlspacensium, dicitur fuisse magnus huius Monasterij fautor ac benefactor.

Cvm non multùm posteà lis esset orta inter Ecclesiam Aichensem & Dominam Adelhaidin Abbatissam, volentes Chuebacensem Ecclesiam, tanquàm filiam Aichensi quasi matrici subiectam esse. Abbatissa credibili testimonio comprobauit, Chuebacensem Ecclesiam liberam ac matrem per se esse; eam libertatem Conradus Episcopus Augustensis cum suo Capitulo per decretum confirmauit, ac desuper literas dedit, Anno 1154. Indictione tertia, 15. Calendas Octobris, regnante Friderico, Rege glorioso. extat ibidem.

Brvschivs meminit loco suprà dicto in Templo Chuebacensi, quod singularem præ se fert antiquitatem, in quadam parua & humili Crypta, sub Monialium Choro extare saxum, seu monumentum, cum tali inscriptione:

Continet iste locus Comitis laudabile corpus,
Albrat enim fertur flebile quod moritur.
Francia quam dederat, gaudens hac terra souebat,
Dum vixit statuit optima, quæ potuit.
Qui legis hoc carmen poscas sibi te precor ex hinc
Vnde ruit culpa, quo redeat venia.

Hanc Alberatim dicit fuisse vxorem Comitis Adalberonis, ipso in reditu ex itinere Hierosolymitano defuncto, Comitissam grauidam & partui ꝓpinquam, ex mœrore animi vnà cum infante extinctam, eius vnicam filiam VVillebırgim doloribus perculsam, se & omnia sua bona Deo dedicâsse, ac auxilio cognatorum suorum, Comitum VVitelspacensium, Cœnobium hoc construxisse; cuius ipsa prima Abbatissa designata sit, &c.

Istvc autem diplomati Heinrici sancti aduersatur, vt suprà dictum est. Auentinus in epitome ponit, Alberoni fundatori vxorem Alberadim.

Seqvvntvr diplomata fundationis & confirmationis Heinrici sancti Imperatoris.

In no-

IN NOMINE sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Henricus diuina fauente clementia Rex&c. Notum sit omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrisque fidelibus præsentibus scilicet & futuris, qualiter quidam fidelium nostrorum Comes officio, nomine Adalbero, cogitans cum transitoriis suis æterna, cum terrenis mercari cœlestia, quoddam Monasterium puellarum ad regulam S. Benedicti, in honorem verò S. Magni Confessoris, in loco nomine Chuebach, in Comitatu Herzhusa, de prædio & collaborato suo fundauit, & pro libitu Deo aspirante perfectum, sanctiq; Magni ministerio & nomini dedicatum, in nostram potestatē libertandi gratia transfudit, & suæ suorum proprietati ac potestati deinceps in futurum eo tenore abalienauit, quatenus post acceptam nostrę immunitatis chartam idem ipse præfatus Comes Adalbero ius Aduocati legitimum omnibus diebus vitæ suæ in eodem tantùm Monasterio retineat, post obitum verò suum idem Monasterium ex integro in potestatem Abbatissæ, & sanctimonialium ibidem Deo sub regula S. Benedicti comilitantium reuertatur, quatenus Abbatissa eiusdem loci, sub nostra, nostrorumque Successorum munificentia liberam habeat potestatem Aduocatum, quem sibi necessitas & vtilitas dictauerit, subrogandi. Congregatio autem Monasterij per successiones temporum liberam habeat electionē Abbatissas regulares, iuxta decretum S. Benedicti, sine omnium hominum contradictione substituendi. Hoc addito, si (quod absit) aliqua potestas iniusta idem Monasteriū vel res suas alteri Monasterio vel personæ inbeneficiare vel in proprietatem donare voluerit, & hoc ingenio effecerit, prædicti Comitis Adalberonis proximus hæres in sua potestate habeat, quousque nostro, Successorumque nostrorum adiutorio ad statum Monasterij, vnde ablatæ fuerant, iterum reducat, & in pristinam libertatem, stabilitatemque restituat. Iustis igitur prædicti Comitis petitionibus annuentes, eo quo rogauerat tenore præfatum Monasterium cum Monachabus, & omnibus ibidem in præsens collatis, vel in posterum conferendis in nostram immunitatem recepimus, & hoc regia præcepti nostri libertate donatum, & perpetuò confirmatum nostræ manus subscriptione roborauimus, & in æternæ memoriæ testimonium Sigilli nostri impresione insignire iussimus.

GVNTHERIVS Cancellarius vice Erchanbuldi Archicapellani notauit.

DATA 6. Calendas Iulij, indictione 9. Anno Dominicæ incarnationis, Millesimo vndecimo. Anno verò Dominici Henrici secundi regnantis 10. Actum Regenesburę fœliciter. Amen.

ALIA COPIA EX VERO ORIGINALI DESCRIPTA IN EODEM COENOBIO.

IN NOMINE sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Henricus, diuina fauente clementia, Rex. Si loca diuinis cultibus mancipata augere & ditare studuerimus, hoc ad præsentis nostræ vitæ statum, & ad æternæ retributionis præmium nobis profuturum esse credimus. Quapropter omnibus Christi, nostrique fidelibus tam futuris quàm & præsentibus notum fieri volumus, quod ob remedium animæ nostræ & petitionem HADEMOT venerabilis Abbatissæ, villulam, quæ vocatur BRVNADRA & molendium situm in loco Hovvenrieden infra comitatum ILSVNC Comitis, cum omnibus suis pertinentiis & adiacentiis, hoc est, vtriusque sexus mancipiis, areis, ædificiis, terris cultis & incultis, agris, pratis, pascuis, campis, syluis, aquis, aquarūq; decur-

decursibus, piscationibus, exitibus & redditibus, viis & inuiis, quæsitis, inquirēdis, & cum omni vtilitate, quæ vllo modo prouenire potest, Chuebachēsi Ecclesiæ in honorem S. Magni Confessoris constructæ & consecratæ; cui prædicta Abbatissa præest in vsum & vtilitatem sanctimonialium Deo, & sancto Magno pro tempore ibidē famulantium, per huius regalis autoritatis paginam concedimus, donamus, & de nostrò proprio iure, in eius proprium ius & potestatem transfundimus, & tradidimus, ea videlicet ratione, vt suprà nominata Ecclesia prædicta bona quietè & pacificè deinceps teneat, & habeat, & omnium hominum contradictione remota possideat. Et vt huius nostri præcepti testamentum inconuulsum, & omni tempore incorruptum permaneat, præsentem paginam inde conscriptam, manu propria, vt infrà videtur, corroborauimus, & sigilli nostri impressione insigniri iussimus.

Eberhardus, Cancellarius vice Bardonis Archicancellarij recognouit.

Data 5. Idus Nouemb. indictione 10. Anno Dominicæ incarnationis. 1041 Anno autem Domini Heinrici tertij, ordinationis eius XIIII. Regni verò III. Actum Vlmæ fœliciter. Amen.

Sigillum omnino vetustate corruptum est.

Alia copia.

IN NOMINE sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Hermannus Aug. Episcopus salutem in Domino. Quomodo summus Pastor Pastoribus præcepit pastorale officium exercere, errabundis & languidis omnibus congruam infirmitati medicinam prouidere: Ideoque ex præcepto admoniti Dominico & officij nostri cogimur debito, vt nec importuna instantia aliquos prouocemus, nec blandiente desidia aliquos perire permittamus, sed neglecta, & vbique dispersa studiosiùs colligamus, collectaque in vsū Ecclesiæ, iuxta Canonū decreta in meliùs diuidamus. Decimas igitur in Chuebachensi Parochia, in villis, in vicis, in nouialibus iamdiu iniustè subtractas, quas Childiberrus Archidiaconus nostra fungens legatione, cum quorundam virorum consilio, & cum Abbatissæ Richardis, eiusque Sororum voto, nec nō Palatini Comitis, eiusdē Ecclesiæ Defensoris, totiusque populi collaudatione, in quatuor partes diuisit, videlicet vt nostram Parochianus Presbyter, & suam partem obtineat, vnde in celebranda populi Synodo Archidiaconum suscipiendo honorificè pascat: Reliquas verò partes Abbatissa & pauperibus, in hospitali fideliter distribuat, hoc indicio sancti Spiritus affirmantes sancimus, hoc autoritate Banni nostri, nē vlla persona hoc mutare præsumat, corroboramus.

Et vt pagina huius descriptionis nota sit omnibus Christi fidelibus, tam præsentibus quàm futuris, & inconuulsa permaneat & stabilis, hanc chartam conscribi, sigillique nostri impressione iussimus insigniri.

Præterea quosdam fratres, Heinricū Decanum, Purckhardum, Etichum, Meginardum, Hartvvicum, Henricum, Dietgerū, Presbyteros, qui videre & audiere, fecimus asscribi & Laicos, Palatinum Comitem, Vdalschalchum de VVallershouen, & alios de familia quàm plurimos.

Actum est, Anno Dominicæ incarnationis 1127. indictione 5. 3. Kalendas Februarij, Honorio Papa præsidente, Lothario Rege II. regnante.

Sigillum erat omnino corruptum.

Alia

Alia copia literarum.

IN NOMINE sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Anno millesimo, centesimo, quinquagesimo quarto incarnationis Dominicæ, indictione tertia, 15. Kalend Octobris, regnante Friderico, Rege glorioso. Ego Conradus, Augustensis Ecclesiæ Episcopus, licet indignus, in generali Capitulo, cum Choro maioris Ecclesiæ, ac sex venerabilibus Abbatibus, ac vndecim regularibus Præpositis, ac innumera multitudine Clericorũ iustitiæ deuotæ fauentibus; cùm Dominus Abbas S. Vdalrici, Heleto & Palatini Comitis in hoc negotio missi Vicarij, contestata lite, per Patronos causarum, pro Ecclesia Aichina, aduersùs Dominam Abbatissam de Chuebach Adelhaidin coeperunt litigare, volentes prædictam Ecclesiam, quasi matricis Ecclesiæ Aichan filiam comprobare. Cæterùm Domina Abbatissa Ecclesiæ prædictæ libertatem ac marrem per se iustitiæ firmitate & veritatis tenore credibili testimonio comprobauit. Quorum testium nomina hæc sunt: Meinhart, Otto, Dietmar, Conrad; Vdalrich; Hi erant Presbiteri, Metboth o Laicus. Ea propter recognita iustitia S. Magni Ecclesiæ prædictæ libertatem confirmamus. Et quicunque ausu temerario Capituli nostri decretum irritare voluerit, æternæ damnationis reum excommunicationis perpetuæ vinculis eum innodamus. Signum propria manu nostra subscribimus.

DIETHRAMSZELL

IVXTA Isaram Monasterium S. Augustini Canonicorum regularium. Anno 1099. tẽpore Vrbani secundi, imperante Heinrico quarto, regni eius XLIIII. duo pij & deuoti viri, Otto & Berengerus cum quodam venerabili Sacerdote Diethramo, maioris deuotionis & pietatis causa in eremum, Eglingerfurt nomine, secesserunt. Cùm verò ibi duos annos mansissent, propter aquæ penuriam domicilia sua ad riuum eiusdem syluæ transtulerunt & Ecclesiam eodem in loco, in honore S. Martini, extruxerunt. Cùm verò inter Dominos aliquos eodem tempore de terminis & finibus eius syluæ contentio oritetur, Otto Comes de Diessen, cum duobus filiis suis, Ottone & Heinrico, Abbas Vdalscalcus de Tegernsee, cum Aduocato suo, Reinpertus de Reut, cum fratribus suis, Ruperto, Adalberto, & Liebhardo, & alij plures conuenerunt; è quorum numero duodecim huius negotij arbitros elegerunt, qui dato iuramento, limites vnicuique parti proprios designârunt, & hanc syluæ partẽ tanquam vacantem possessionem iudicârunt: cui decisioni & transactioni fratres de Reut nequaquam stare voluerunt. Interim Dei omnipotentis instinctu mutati, omnes concorditer prædictam syluam non solùm vacantem, verùm etiam cuique parti addictam ad Monasterium deputârunt, quin etiam alios vicinos fundos ac bona pro ædificatione Monasterij tradiderunt. Dominus Diethramus missus est Romam, & à Pascali Pontifice confirmationem huius rei obtinuit, Anno 1107. Ex qua intelligitur, prædictos Dominos hoc Cœnobiolum simul fundâsse, & multis donis auxisse.

In veteribus autem Tegernseensis Monasterij literis legitur, quòd Vldalscalus Abbas, cum consensu sui Conuentus & Heinrici Episcopi Frisingensis, Item Comitum, Bernhardi & Sibothonis in Neuburg, Aduocatorũ Monasterij sui; ex quorum familia & iste Abbas erat, Cænobium hoc, cella sancti Martini dictum, iuxta regulã S. Augustini, in fundo proprio, qui Eglingerfurt, aliàs Klingenreut dicitur, ædificauerit

uerit, ea lege, vt Monachis potestatem permitteret eligendi sibi Præpositum, cum consilio tamen Abbatis in Tegernsee, à quo electus possessionem temporalium acciperedebebat, eumq; propter insignia beneficia, tanquàm filia matrem venerari; cæterum in spiritualibus Episcopo subiici deberet.

ET HVIVS Monasterij primus Præpositus fuit Diethramus, à quo Cœnobium nomen Diethramszell obtinuit: Testes harum literarum citantur, Comes Sigbotho, tanquàm Aduocatus, VVernhard de Stoffe, Otto de Gruobe, Vdalscalcus & Richardus de Hochenberch, Anno Domini 1102.

ANNO 1156. Otto Episcopus Frisingensis, cum adiutore Episcopo Brixinēsi Hermanno consecrauit hoc Monasterium.

OTTO Episcopus Frisingensis confirmauit etiam hoc Cœnobium, Anno 1190. in cuius literis hi Nobiles citantur Testes, Heinricus de Brucke, Heinricus à Rhamingen, Berchtoldus de Vagen; de ministerialibus Episcopi Heinticus, fœlix puer, das seelig Kindt / Geruick de Bubenhausen, Adilold de Dormbach, Eberhardus de VVerdi, & filius eius Eberhard, Hartuicus de Richoluestorf, & filius eius Otto, Otto de Pasingen, & frater eius Heinricus, Vlricus Fertinch, Alanus de Elpach, Otto de Herberchingen, Heinticus & Sibotho de VVacharingen, Arnold de Herbrechthausen, Alanus de Reichenspuirn. Datum Frisingæ, vt suprà. Hoc Cœnobium satis iam inops est, propter incuriam quorundam Præpositorum.

DIESSEN

MONASTERIVM Canonicorum Regularium S. Augustini. Hauto, aliàs Hanto, Comes de Andechs, Episcopus Augustanus, maximus illius Episcopatus locupletator & dotator, successit S. Symperto. Præfuit adhuc Anno 840. sub Ludouico Pio: habuit fratrem religiosissimæ vitæ, Rathardum Canonicū, qui Monasterij S. Georgij Martyris, non ꝓcul à vico Diessen, vbi nunc est Ecclesia Parochialis, autor & fundator fuit: Quod posteà per Arnoldum malum desolatum & destructum est. Bruschius de Episcopis Augustanis ex Annalibus ibi. Vide Auent. fol 378. vbi dicit ex nobilissimis Bauariæ Principibus prognaros, sed familiam præterit. Deinde Anno Domini 1013. instaurata est S. Georgij Ecclesia, per quendam Adelhaimum & fratrem eius Vdalricum.

SECVNDA fundatio: Kunigunda, aliàs Kunissa, vxor Friderici Comitis Diessensis, secundi illius nominis, filia non Ottonis Comitis de Valey, vt liber Dietramzellensis per errorem habet; sed Conradi Comitis Oningensis, prope lacum Brigantinum & Richlite, quæ fuit filia magni Ottonis Imperatoris I. Ista deuotissima matrona post mortem mariti fundauit Ecclesiam sancti Stephani, in qua posuit 3. Canonicos regulares; ibidem defuncta & sepulta. Auentinus scribit in eius sepulchro nuper inuentum laterem coctum, cum inscriptione Latina: Kunegundis peccatrix, huius loci fundatrix, istam construens aulam 2. Nonis Martij, Anno 1020. Anno 1124. Hartuicus, Præpositus Monasterij S. Georgij, cum cōsensu Hermanni, Episcopi Augustensis, vnà cum suo Conuentu migrauit ad Ecclesiam S. Stephani, propter maiorem commoditatem. Ibi Hartuicus Præpositus obiit Anno 1170 qui 46. annis laudabiliter præfuit.

TERTIA fundatio facta, Anno 1132. iuxta Bullam Innocentij secundi. Nam alia fundatio non extat, per illustres Principes, Berchtoldum Comitem de Andechs, & Ottonem Comitem de VVolfrazhausen, vnà cum vxoribus, Sophia & Laurita, &

liberis earum, qui arcem suam Damasiam verterunt in Monasterium, construentes ibi Ecclesiam, in honorem B. Mariæ Virginis, dotantes eam mobilibus & prædiis, nec non pluribus priuilegiis, ratione aduocatiæ & quarumcunque exactionum, offerentes eam tutelæ B. Petri & sedis Apostolicæ, cui annuatim vnum aureum persoluerent, vt latiùs in prædicta Bulla continetur.

Auentinus in Chronica fol. 692. ita ponit: Arnolphi filij, Poppo, Berchtoldus 1. Otto VVolfrathusius & Gebhardus, hi Damasiam in templum vertêre. Otto Episcopus Bambergensis hanc Ecclesiam multis quoque beneficiis & prædiis iuuit, videlicet Kircheim, Münsing, Pierdarf, Schmiechen & Prunen Ecclesiis; qui obiit Anno 1196. Heinricus Comes, VVolfrathusius filius, secundũ Bullam Innocentij, aliàs Nepos Ottonis prioris, cùm liberos non haberet, multis donis & prædiis dotauit ac locupletauit Monasterium Diessense, Anno 1150, cuius rei extat ibidem in Calendario dicto ante veterem regulam documentum: Inter alia castrum Schönenperg in montanis, cum suis pertinentiis. Posteà Otto 1. Dux Meraniæ, Palat. Burgund. & Henricus Marchio Istriæ, fratres, circa annum Domini 1220. multa bona & prędia eidem Monasterio contulêre; inter alia Trebegast in Norico & Hermanstorf, Ita vt quatuor Canonici regulares ibi residerent, & singulis annis Præposito & Conuentui soluerent marcam auri puri, quod vltra 100. annos durauit. Posteà quidam Comes de Orlamund inuasit illa loca, & vendidit Monasterio dicto Corona cœli in Norico pro 600 libris Hallensibus: quam Summam vix tandem magnis precibus & intercessionibus extorsit Præpositus Conradus, pro qua emit iura patronatus, cum decimis in Kaufring, Vtting, & Schöndorf, Anno 1300. Hæc ex libro Diethramzellēsi. Alibi reperio, quòd Comes Orlamundanus vendidit Burggrauiis Nuernbergen. Kulmpach, Plassenburg & Trebegast Anno 1336.

VERSVS.

Diessenses Proceres & eorundem mulieres
Semet cum donis nostris tribuêre Patronis;
Interior fossa cunctorum continet ossa,
Nomina sed Procerum tenet hic locus & mulierum,
Spiritus illorum quò tendat ad alta Polorum
Hæc optent iuuenes cum pueris q; senes.
Marchio Berchtoldus, coniunx Hadvvigis & eius,
Berchtoldus Comes, atq; sua coniunx præclara Sophia,
Cunrat Canonicus Comes Henricus Otto frater & eius,
Dux & Marchio Berchtoldus, sua nobilis vxor & Agnes,
Filius illorum, Marchio Henrich, vir honorum,
In cœli porta locet hos pia virgo Maria.

Anno 1182. Indict. 12 quarta Idus Octobris dedicatũ est Monasteriũ Diessen à venerabilibus Episcopis, Hartuico August. & Ottone Bābergē. præsidēte Cathedræ Romanæ Lucio venerabili & Apostolico viro, anno Pōtificatus eius II. in honorē sāctæ & indiuiduæ Trinitatis, & S. Crucis, & S. Mariæ perpetuæ virginis, & S. Ioannis Baptistę & S. Petri & S. Ioannis Euangelistæ.

Anno Domini 1317. Monasterium cum toto vico ibidem, in die S. Clementis, sub Præposito Conrado incineratum, qui posteà per Ducem Austriæ Leopoldum captus est &c.

Ludo-

LVDOVICVS Imperator fecit permutationem cum Prępofito Dieſſen. cui dedit iuriſdictionem Straff vnd Wendl/in Parochia Dieſſen, extra maleficia, recipiens ab ipſo iuriſdictionem in vico Dieſſen, quæ antea ad Monaſterium ſpectabat, Anno 1326. &c.

HI Nobiles ſequentes ſepulti ſunt in hoc Monaſterio pter Comites Damiſianos,

THORER, cum 42. corporibus,
De GREIFFENBERG,
SMILYER,
GRONATZHOVER,
SCHONDARFFER,
PIENTZENAVER,
ZVVERGER,
VVIDERSPERGER de Rotbach,
MEYLINGER de Hornſtain,
MINSINGER,
VVITELZHOVER.

EBERSPERG MONASTERIVM SANCTI BENEDICTI.

EBERSPERG caſtrum olim inter Oenum & Sennonas, nunc Sempta amnes ſitum in ſylua, quam Ioannes Auentin. lib. 4. fol. 477. Carnodunenſem olim appellatam dicit, nunc Eberſpergenſis vocatur à Sighardo, Comite de Sempta, aduersùs Vngarorum irruptiones, admonentibus ſacris vatibus, Contado de Hevva ex Hegouia, & Gebhardo Argentinenſi, ſanctiſſimis ac facundiſſimis eius temporis viris, conditur. Ab Apro, quem ibi inuenit, Eberſperg nomen accepit, circa Annum 900.

EBERHARDVS & Adalbero, Comites de Sempta, Nepotes Sighardi ex Ratholdo filio, poſt bellum Vngaricum, cui Anno Domini 955. interfuêre, cum ſorore VVilpirga Templum Diuo Sebaſtiano in arce ſua Eberſperg conſtruxerunt, Anno Domini 970. Ipſi paucis pòſt diebus mortui ſunt, & hæc ſunt principia huius Monaſterij.

VLRICVS, filius Adalberonis, cum coniuge ſua Richarda, ſorore Marquardi, Carinthiæ Marchionis, Eberſpergij Collegium pro Monachis Auguſtinianis inſtituerunt, ipſa obiit 1013. ipſe 1019. ambo ibidem ſepulti.

ADALBERO tertius, filius Vlrici, cum coniuge Richildi, ſorore VVelphonis tertij, Ducis Carinthiæ, cùm liberis carerent, Eberſperg arcem in ædem D. Benedicti commutauerunt, tradiderunt q; Monachis inter alia Peſſenhauſen. Item in Auſtria Poſenboig, & Ibs, quæ cum Monaſterio longius ſita eſſent, longo pòſt tempore, nempe Anno 1180. Ducibus Auſtriæ, pro commodioribus ac propinquioribus prædiis data & commutata ſunt.

FVNDATIONEM ſeu inſtitutionem huius Monaſterij, per Adalberonem tertium cum coniuge factam, Heinricus tertius Imperator, & idem Dux Boiorum confirmauit, Anno 1040. cuius diplomatis tenor poſteà ſequitur.

IDEM quoque Adalbero Comes Monaſterium Beurn ad radices Alpium, in ſuperiori Bauaria ſitum, ab Vngaris vaſtatum, cuius Curator ſeu Aduocatus erat, refecit, ac eiectis Auguſtinianis, Benedictinis Monachis reddidit, ac duodecim Mo-

nachos Tegernseenses eò transtulit. Obiêre isti coniuges fundatores eodem anno, nempe 1045. atque in his defecit nobilissima hæc familia Comitum à Sempta & Ebersperg.

Sequitur vidimus diplomatis Heinrici tertii Imperatoris, nec non Heinrici sexti, per Rudolphum Regem Roman.

RVDOLPHVS Dei gratia Roman. Rex, semper Augustus, vniuersis Romani Imperij fidelibus gratiam suam & omne bonum. Nouerit præsens ætas & successura posteritas, quod nos priuilegium claræ recordationis Heinrici tertij, Roman. Regis, Prædecessoris nostri nobis exhibitum vidimus & inspeximus sub hac forma:

IN NOMINE sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Heinricus diuina fauente clementia Rex, qui suis prædiis, rebus & possessionibus, licet caducis, diuino cultu Sanctorũque ob commemorationem ditauerit Ecclesias, in hac & in æterna vita speret sibi præmia permansura. Quapropter omnes sanctæ Dei Ecclesiæ fideles, tam pręsentes quàm futuri noscant, nostrique Successores æquè comperiant, qualiter quidam nobilis Comes, nomine Adalbero, consentiente vxore sua Richlinda, Christum hęreditatis suę desiderans fieri possessorem, quoddã Monasterium Monachorum ad regulam S. Benedicti, in honore verò S. Sebastiani Martyris, in loco, nomine Ebersperg, in Comitatu Steinheringa, de prędio, & de collaborato suo fundauit, & pro suo libitu, Deo aspirãte, perfectum, sanctique Sebastiani ministerio & nomini dedicatum, in nostram potestatem libertandi gratia transfudit, & suę suorumque proprietati ac potestati deinceps in futurum eo tenore abalienauit, quatenus post acceptam nostrę immunitatis chartam, Idem ipse pręfatus Adalbero, fraterque eius Eberhardus, si superuixerit ius Aduocati legitimũ omnibus diebus vitę suę in eodẽ tantùm Monasterio retineant: Post obitum verò illorum, idem Monasterium ex integro in potestatem Abbatis & Monachorũ ibidem, Deo sub regula S. Benedicti commilitantium reuertatur, quatenus Abbas eiusdem loci sub nostra, Successorumque nostrorum munificentia liberam habeat potestatem Aduocatum, quẽ sibi necessitas & vtilitas dictauerit, subrogandi. Congregatio autem Monasterij per successiones temporum liberam habeat electionem, Abbates regulares, iuxta decretum S. Benedicti, sine omni contradictione substituendi. Iustis igitur prędictorum Comitum petitionibus annuentes eo quo rogauerunt tenore, prędictum Monasterium, cum Monachis & omnibus ibidem in pręsens collatis, vel in posterum conferendis, in nostram immunitatem recepimus, & hoc regali pręcepti nostri libertate donatum & perpetuò confirmatum nostrę manus subscriptione roborauimus, & in æternę memorię testimonium, sigilli nostri impressione insigniri iussimus. Signum Domini Henrici III. Regis inuictissimi, Theodoricus, Cancellarius vice Bardonis Archicapellani recognouit. Data Calend. Ianuarij, indictione octaua, Anno Dominicę incarnationis 1040. Anno autem Domini Henrici ordinationis XII. Regni verò primo. Actum Ratisbonę fœliciter. Amen.

ITEM VIDIMVS ET AVDIVIMVS PRIVILEGIVM claræ recordationis Henrici sexti Rom. Imperatoris, sub hac forma conscriptum:

IN NOMINE S. & indiuiduę Trinitatis. Henricus sextus, diuina fauente clementia Romanorum Imper. & semper Augustus. Si ad Ecclesias & loca venerabilia benignè dirigimus aciem mentis nostræ, ac eorum profectibus intendimus diligenter, nedum ęternę retributionis merita, sed laudis pręconia consequimur temporalis. Hinc est quòd bonã ac religiosam cõsuetudinem antiquorũ Regum seu Imperatorũ imitãtes, honestis personis atq; venerabilibus locis Maiestatis nostrę defensionẽ ac pręsidium impendere debemus, quatenus & Imperij nostri sublimitas exinde clari-

clarius eniteat, & diuina gratia largiùs nobis salutem & auxilij suffragium impendat. Nos equidem ex relatione illustrium virorum & ex priuilegiis Antecessorum nostrorum liquidò compertum habemus, quòd Comes Adalbero, Nobili exortus prosapia, quoddam Monasterium, Ebersperg nomine, in Comitatu Stainharing situm, magnis atq; copiosis expensis laudabiliter condidit, diuitiis & magna gloria sublimauit, & autoritate ac priuilegiis plurimùm Antecessorum nostrorũ regalis Abbatiæ, titulo decorauit, vt in honore S. Sebastiani Martyris diuinus ibidẽ cultus perpetualiter celebretur. Cuncta quoq; ad præfatũ Cœnobium pertinẽtia, vel quæ in futuro, munificentia Regum & Imperatorum, largitione Pontificum, oblatione fideliũ, adipisci poterit, tàm quæsitis quàm inquisitis, in pratis & in Alpinis, pascuis, syluis, aquis, aquarúmue decursibus, venationibus, piscationibus, viis & inuiis, cum decimatione Abbatiæ & præsenti ac futura syluarum extirpatione, sub Abbatis potestate, loci eiusdem, absq; omni personarum contradictione perenniter esse cõstituit, & vbicunq; eorum naues & carri vel sonmarij aduenerint, absq; telonei transeant exactione, &c. Nos igitur intuitu diuinę gratiæ prædictorũ Antecessorum nostrorum vestigia sequentes, cuncta quæ illi statuerunt, & nos eadem Imperiali autoritate approbamus, Ecclesias quoq; & Basilicas in dotibus suis erectas, cum fundis & prædiis ad eas pertinentibus & plebe, dicto Monasterio confirmamus; etiam quæcunq; generantur in humo, vel quæ latent sub terra, siue sint venę salis vel ferri vel argenti vel auri, vel cuiuslibet metalli. Nouerit ergo vniuersitas fidelium, quòd iam prædictum locum sic in nostram & in omnium Successorum nostrorum Regum & Imperatorum protectionem recepimus, vt sit regalis Abbatia in perpetuũ, omnimoda libertate sublimata, & ab omni subiectionis obligatione libera, vt nullus Archiepiscoporum, Episcoporum, Ducum, Marchionum, Comitum vel aliquorum omnino persona præsumat hanc molestare, vel à iuris sui statu diminuere. Compertum etiam habens decorem & reuerentiam eiusdem Monasterij, ex Aduocatorum importunitate & praua consuetudine, valde immutatam esse, & antiquam pulchritudinem Antecessorum nostrorum diligentia decenter exornatam in eadem domo penè deletam audiuimus, quæcunque in dicta domo vitiosa consuetudo aut iniqua exactio, Aduocatorum violentia, vel cæterorum omnium negligentia emersisse videtur, iudicio ac sententia Principum penitus reprobauimus. Statuimus quoque, vt Abbas absque omni respectu Aduocati Officiales, villicos, mansionarios, in locis necessariis, prouideat & disponat; famuli etiam eiusdem domus, qualitercunque excesserint, & ex culpa pœnam meruerint, pœna talis, dimidiam libram denariorum non excedat, nisi furtum vel homicidium commissa fuerint, aut violenta oppressio mulierum; Ministerialibus exceptis, qui pro pœna sex solidos exhibebunt. Ad hæc mandato præcipimus, vt nullus de cætero Aduocatus Ministerialibus eiusdem Monasterij violentiam audeat inferre, vel iniuriam: Quod si attemptare præsumpserit nostram Maiestatem, is, qui læsus est, appellare non differat. Si quis Ministerialium extra sui Monasterij Collegium matrimonium contraxerit, omne patrimonium cum Fœdo ab eadem Ecclesia conquisito, liberè & sine omni contradictione Monasterio cedat, nullo malo ad alienandum præueniente ingenio. Nullus etiam Aduocatus ibi hæreditario iure existat, sed Abbas communicato fratrum Collegij cõsilio, iustum & idoneum defensorem licenter eligant, qui postquàm de iure & rebus Ecclesiæ conseruandis per Sacramentum certitudinem fecerit, Bannum à Rege vel Imperatore suscipiat. Quod si postmodùm Sacramenti oblitus fuerit, & iura Ecclesię violauerit, & tàm ipsos Monachos, quàm eorum homines & possessiones, hospitalibus & indebitis placitis & exactionibus vexauerit, Abbas, Regia suffultus autoritate, habeat plenam potestatem subrogandi sibi meliorem & vtiliorem. Item decernimus, sicut ex approbatione

priuilegiorum Antecessorum nostrorum cognouimus, & autoritate propria confirmamus, vt huiusmodi Aduocati zelo diuino ducti potiùs, quàm commodo temporali, de commissis sibi Ecclesiis defendendis iure Aduocatiæ nihil ampliùs exigant, quàm vnum modium auenæ vsualis mensuræ Monasterij & vnum agnum. Item decernimus, quòd Ministeriales Ecclesiæ fidelitate & homagio debito Abbati sint astricti. Prætcrea si Prælati Ecclesiæ aliqua necessitate cogente, damnum sibi vel rebus suis illatum, saluo ordine suo recuperare non valuerint, ipsos Aduocatos in competentem locum aduocent, vbi causas querimoniæ diligenter discutiant, nihilque ibi ab eis vel eorum colonis, quasi sub iustitia exigant, sed cum charitate, quod eis impensum fuerit recipiant. Sanè fratribus eiusdem Monasterij præsentibus atque futuris liberam facultatem eligendi Abbatem concedimus, & electus inuestituram à Rege vel Imperatore per sceptrum accipiat. Insuper quæcunque bona ad idem Monasterium pertinere dignoscantur, siue temporibus futuris iustis & rationabilibus modis peruenire poterint, salua & illibata eidē perpetuo iure permanere decernimus. Et ne quisquàm hominum vniuersa hæc nefario ausu præsumat inuadere, occupare, minuere, vel quolibet modo alienare, cuncta sub nostræ Maiestatis tuitione suscipimus, & præsentis scripti priuilegio communimus.

Si qvis autem contra hanc nostræ Maiestatis paginam temerè venire præsumpserit, centum libras purissimi argenti fisco nostro persoluat, & totidem suprà dicto Monasterio componat. Vt autem hæc nostræ potestatis autoritas firma futuris temporibus & inconuulsa permaneat, præsentis scripti & sigilli nostri attestatione confirmamus. Huius rei testes sunt, Henricus VVürzburgensis Episcopus, Otto Frisingensis Episcopus, Conradus Abbas de Salueld, Eroldus Abbas de VVeissenburg, B. Dux Meraniæ, Comes Al. de Pogen, Com. Fr. de Abinberch, B. Burggrauius de Hennenberg, B. de Vsdorf, Kuno de Messenberg, Seifrid Marschalcus de Hagen, & alij quàm plures. Signum Domini Heinrici sexti, Romanorum Imperatoris inuictissimi.

Acta sunt hæc Anno incarnationis Dominicæ, millesimo, septuagesimo tertio, Indictione sexta, regnante Domino Heinrico sexto, Rom. Imperatore gloriosissimo, anno regni eius XXIII. Imperij verò tertio.

Datvm apud VVirzburg 15. Kalend. Iunij. Præsente itaque & petente venerabili Henrico, Monasterij prædicti Abbate, Principe nostro dilecto, vt suprà dicta priuilegia innouare & confirmare de solita benignitate regia dignaremur, nos eius deuotis supplicationibus inclinati, prædicta priuilegia & singula, quæ continentur in eis, innouamus, & scripti præsentis patrocinio confirmamus. Nulli ergo omnino hominū liceat, hanc nostræ innouationis & cōfirmationis paginam infringere, aut ei in aliquo ausu temeratio cōtraire: Quod si facere præsumpserit, grauē nostræ Maiestatis offensam se nouerit incurrisse. Testes huius rei sunt, Hartmannus Augustensis Episcopus, H. Tridentinus Episcopus, Hilprandus Eystetensis Episcopus, Ortolphus Abbas Burensis, Henricus Præpositus de VVertsee, Alb. Præpositus Ilmūnsttensis, Henricus Præpositus Ottingensis, Ludouicus Comes Palatini Rheni, Dux Bauariæ, Philippus Dux Carinthiæ, Meinhardus Comes Tyrolensis, Fr. Burggrauius de Nürnberg, Gebhardus Comes de Hirsperg, Heinricus Comes de Furstenberg, Al. Comes de Hochenberg, Ludouicus Comes de Otingen, Hugo Comes de VVerdenberg, Theobaldus Comes de Phirreto, Heinricus Comes de Vriburch, & quàm plures alij. Signum Domini Rudolphi, Romanorum Regis inuictissimi.

Datvm apud Augustam, 15. Calendas Iulij, Indictione tertia, Anno Domini 1275. regni verò nostri secundo.

Sepvlti

Sepulti sunt in hoc Monasterio Nobiles de Pienzenau, in Capella S. Stephani, ad dexteram Chori, Otto illius familiæ, Vicedominus Ducum in superiori Bauaria, Instituit ibi anniuersarium, cum quotidiana Missa, deditque Monasterio 400. ducatos, quibus Abbas redemit Hofmatchiam Kundlin Comitatu Tyrolensi. Item vineas aliquot in Austria oppignoratas iuxta literas illius fundationis de Anno. 1391.

ESSING ECCLESIA COLLEGIATA.

IN vico seu foro Essing sub arce Randeck ad Altmülam, fundauit D. Vlricus senior de Abensperg, vnà cum filiis suis, Dietrico, Canonico Ratisbonensi, Ioanne, Vlrico, Alberto & VVilhelmo, constituitque ibi sex Canonicos, qui sunt Sacerdotes. Fundauit simul Xenodochium, in quo duodecim valetudinariæ personæ sustentētur. Ius verò præsentādi illas personas reseruauit maximo natu suę familiæ: vt testantur hac de re literæ fundationis datæ, Anno 1367. Auentinus ponit septem Canonicos & annū. 1363. Sed uerisimilior est copia literarum dictarum. D. VVeignandus primus fuit ibidem Decanus.

Ad prædictam fundationem dederunt aliqua prædia & bona VVolffhart ab Ouensteten, Berchtoldus Vlranier, & Albertus ab Erlach; vt testantur literæ datæ, Anno 1361.

Stephanus, Fridericus & Ioannes, Bauariæ Duces, fundârunt ibidem anniuersarium, ad quem dederunt Ecclesiam Empfenbach, cum aliquibus redditibus, Anno 1380.

Tam vicus Essing, quàm etiam Ecclesia Collegiata pertinent ad Dominos seu possessores dominij Randeck, qui olim erant de familia Abenspergensi, quibus deficientibus successerunt Duces Bauariæ, VVilhelmus Dux Bauariæ dedit hoc ob fidelia seruitia Leonhardo ab Eck, Doctori & Consiliario suo intimo, cuius filius Osvvaldus ob æs alienum compulsus, distraxit Domino Ottoni Heinrico, Comiti à Schvvartzenburg, qui hoc anno 1579. adhuc tenet.

ETAL MONASTERIVM ORDINIS SANCTI BENEDICTI. &c.

IMPERATOR Ludouicus quartus (vt habet historia Monasterij, sed Ioannes Auet. in Annalibus suis, lib. 7. fol. 790. non meminit historiæ sequentis, fortè non satis fide dignæ &c.) cùm propter nimias impensas, quas in Italia fecerat, ita vt ei iam necessarij sumptus pro reditu in Germaniam deficerent, admodum sollicitus esset, venienti quadam die ad sese Monacho, & spem facienti, illum ex his malis emersurum; ea conditione, si postquàm in Germaniam rediisset, Monasterium in loco suæ ditionis, quod dicatur Ampherang, in honorem Dei & beatissimæ Virginis Mariæ extrueret, fidem dedit, se illud sedulò executurum, & Cœnobium in prædicto loco sibi tunc ignoto conditurum. Quamobrem illico à quodam Regulo Italiæ, quem vnà cum ditione sua libertatis iure donauit, magnam

pecuniæ vim accepit;ita vt oppignorata omnia redimere posset. In Germaniam i. taque reuersus,in Partenkirchenà quodam suo venatore Magistro,Heinrico Vend nomine,exceptus est,ex quo de loco illo Ampherang quæsiuit; Cúque ille in vicinia iam esse diceret,eoque Imperatorem deduceret, iussit Imperator illic ligneam domunculam pro venatore ædificare, syluamque inibi olim latronum receptaculum extirpari,& ita Monasterium, quod promiserat erigi, in honorem B.Mariæ Virginis,posuitque primum lapidem,simul quoque offerens effigiem beatæ Virginis ex alabastro factam,quam illi Monachus in Italia dederat, quæ vsque hodie adhuc ibi ostenditur, in die Vitalis Martyris, Anno 1330. Instituitque Abbatiam S. Benedicti pro 20. Monachis, quorũ 14, Sacerdotes esse deberent: Primus Abbas ex Monasterio Reichenpach huc positus, nomine Fridericus Heinrichreuter, post cuius obitum Priorem in Nidernaltach, nomine Eberhardum, Abbatem huius loci fecit. Posuerat eodem loco tredecim Equites auratos emeritos; quorum vnus Magister ac superior esset, vnà cum coniugibus eorum, ac aliquot viduis, quibus æquè ac Sacerdotibus omnia ad vitæ sustentationem necessaria præberi ordinauit, atque hoc Cœnobium vocauit Etal. Durauit hæc constitutio vsque ad obitum Imperatoris; posteà filij ipsius bona illa & redditus ad se rapiebant, ita vt oporteret illos milites hinc aliò migrare. Et Abbas Eberhardus, resignatione facta, rediit ad suum Monasterium Nidernaltaich. Tertius Abbas, nomine Iodocus ab Agenvvang, fuit homo magnificus, sub quo Monasterium magnam suorum bonorum iacturam fecit. sub huius Abbatis anno quarto Marchio, scilicet Ludouicus filius Imperatoris, qui antea multa bona abstulerat, constituit Aduocatũ Monasterio nomine, Heinricum Eschilpeck, qui antea scriba Monasterij fuerat, hic magno ære alieno grauauit Cœnobium. Præfecit, deinde alium, nomine Fridericum Glockner, ciuem Monacensem, qui itidem vltra mille libras denariorum damnificauit, ac quasi totum pessundedit Monasterium.

Postea non sine miraculo factum est, vt filius Glockneri, vnà cum quodam amico suo, in die annunciationis beatæ Mariæ Virginis, quendam Eberhardum, Camerarium Marchionis, cui Marchio castrum VVildenberg donauerat, interficerent, ob id Glockneri pater & filius in exilium acti, castrum VVildenberg Monasterio restitutum est.

Ludovicus Imperator dedit huic Monasterio Comitatum Möringen, cum omnibus attinentiis, Tölz cum omnibus attinentiis suis, Aduocatiam in Lauterpach, in Hademaringen 24. librarum Monacensium, Comitatum in Pitengavv, cum omnibus attinentiis, & cum aduocatia Raitenpuch & Staingaden, Aduocatiam in Hãbach; ablata posteà per filios Ludouici & alienata: Quapropter etiam milites coacti sunt hinc migrare, vt suprà dictum est, Anno 1332. Imperator Ludouicus emit, in ipso die S. Viti, ab Vlrico de Schöneck, Episcopo Augustensi, à Præposito, Decano, totoque Capitulo castrũ Eschelohe & forum Murnau, cum omnibus attinentiis suis, cum Ecclesiis Eschenloch, Stafflsee, Hugelfingen, quæ omnia huic Monasterio dedit, Anno 1358. Confirmatum est Monasterium Etal ab Vrbano V. Pont. Max. sub Abbate Conrado Kumersprukher, qui hanc confirmationem ipse Roma reportauit, Anno 1363. Nonas Maij, Dominica post inuentionem S. Crucis, præsentibus illustrissimis Principibus, D. Stephano, Duce Bauariæ, seniore, cum coniuge sua Margaretha, necnon filiis suis, Stephano, Friderico & Iohanne, cum coniugibus eorundem. Ecclesia hæc, quam prædicti Principes largis suis muneribus prosecuti sunt, in honorem beatæ Mariæ Virginis solenniter dedicata est à venerabili in Christo D. Paulo, Frisingensi Episcopo, ad cuius Diœcesim pertinet, sub Vrbano quinto, Pont. Max. & Carolo quarto: Interfuerunt, præter suprà dictas personas, Conradus Abbas in Tegernsee, Stephanus Abbas in Ebersperg, Conradus Kumerspruckher

merspruckcr. Abbas huius loci, Vlricus Præpositus & Archidiaconus in Raitenpuch, Conradus Præpositus in Pollingen, Vlricus Præpositus in Schefflern, Vlricus Præpositus in Pfeulperg, Conradus Præpositus in Schlechdorff, & quinque Canonici Frisingenses &c. cum aliis.

Sepulti sunt ibi Nobiles de Kumerspruck, aliâs ab officio dicti, die Jägermeister.

FORMPACH,

MONASTERIVM ordinis S. Benedicti. De fundatione istius Monasterij scribit Auentin. fol. 551. quod omnino non conuenit, cum infrà scriptis monumentis & confirmatione Lotharij Imperatoris, ex quibus, quomodo se res habeat, certiùs comprobatur. Incipit commemoratio traditionum Cœnobij siue Monasterij sanctæ Mariæ, quod est ad Formpach. Ego Berengerus, Formpachensis Cœnobij primus non meis meritis Abbas, & hi, qui mecum congregati sunt fratres, animaduertimus, alternæ charitatis & debitæ esse retributionis illos describi, qui primùm, & qui deinceps suæ hæreditaris hæredem fecerũt Ecclesiam nostram, quę est ad Formpach consecrata in honore sanctæ Dei genitricis Mariæ, pariterque loca, à quibus & quomodo ad hanc tradita sint, adnotari, vt notitiam illorum, qui ea tradiderũt, Successoribus nostris relinquamus, & per hanc memoria eorum nominatim fiat & longa. Tradidit namque in primis Domina Himelrud, venerabilis Matrona, ad eandem Ecclesiam, cum manu Aduocati sui, in vsus ibidem Deo seruientium, hæc suæ proprietatis loca, quæ hic sunt nominata, villam, scilicet Chemnaten, VVineharteshemin, Machingen, Hartheim, Rischermin, Minicheimin. Accepit quidem ea ipsa materfamilias Thiemonem Comitem in Aduocatum sibi, etiam dictæ Ecclesiæ, & his omnibus, qui vel quæ ad hanc pertinent; ea ratione & complacitatione, vt nũc post illum eiusdem aduocationis curam & regimen susciperet, qui in filiis eius primus esset ætate, & sic simili modo de filiis in filios suæ posteritatis huius tutelæ procuratio transiret, quatenus eò propensiori cura susceptis in patrocinatum patrocinaretur, quo se vicem & locum Patris, Aui, etiam Proaui procurare sciret: Posteà Eckpertus Comes quarto loco à prænominato Auo suo Thiemone eiusdem procurationis debitor effectus, consilium habuit cum Abbatibus, cum Marchionibus & aliis honestioribus & religiosis viris Regionis, & maximè cum Episcopo Patauiensi Vdalrico, & ex fiducia & autoritate consilij eorum, congregatis, in eodem loco Formpach Monachis, effecit Abbatem Berngerũ, Monachum expertnm atque probatum, quem Episcopus Patauiensis ille, qui suprà, Anno incarnationis Dominicæ 1094. Indictione secunda, 16. Calend. Ianuarij, Abbatem consecrauit, et faciens sermonem pro eo ad populũm, enunciauit ea, quæ ipse Aduocatus Eckpertus, & cunctus, qui aderat, populus collaudauit, videlicet, vt ea ipsa Abbatia ad Formpach sit libera, & Monachi illi post mortem Abbatis sui liberam potestatem habeant, ad eligendum sibi Abbatem, vndecunq; huic nomini idoneum inuenire possint, siue in suo siue in alio vicino, seu longinquo Monasterio, & is, qui electus fuerit, ad designationem suæ electionis baculum ab altare sui Monasterij sumat, & si fortè Monachi illi in electione dissentiant, tunc adueniens Episcopus Patauiensis, cum Aduocato ipsorum eos suis exhortationibus coadiuuet, & vt mediator sanioris partis sententiam tenere persuadeat; moxq; idem Præsul hæc ita suo decreto, cum Clericis & Abbatibus, qui præsto erant, stabiliuit, & Episcopali Banno confirmauit. Aliunde hæc firmari non erat, propter schismata & dissensiones, quæ tunc temporis in Sede Romana erant, & in regno.

Donatio D. Himeldrudæ prima fundatricis.

PORRO

Porro Eckpertus suprà memoratus loci Patronus, à Domino instinctus & amore parentum submonitus, superaddidit prioribus datis supplementum, de sua & mulieris suæ hæreditate tradidit, namque ipse & vxor eius Mechtild, annuentibus hoc filiis eorum, ad sustentationem sæpe iam dicti loci Monachorum in eodem loco Formpach hortum & cortem vnam & molendinum, Donauit & campum quendam siue territorium siue nouale in vsus pratorum aptandum, & concessit eis potestatem saltus ibidem vel syluæ ad cedendum in quoscunque vsus & ad saginandum porcos. Dedit etiam dimidiam decimam Ecclesiæ, quæ Antesin vocatur, & dimidiam Huobam in villa, Hartheim nomine, & duas vineas in villa, quæ dicitur Eholuingen; insuper etiam dedit eis in Orientali plaga villam, nomine Neukirchen, & Ecclesias Parochiales duas, vnam sub castello Butino, Parochiā Butineñ.[a] & alteram in villa prædicta Neukirchen, cum decimis & cum cæteris omnibus ad has pertinentibus, & id quod in ea loci est mercatum & villam, nomine VVerth, & alium locum iuxta fluuiolum Glocniza, vbi modò Cella constructa est, cum pratis & sylua vsque ad Clamma, & pratum iuxta fluulum Bruna, & dimidiam Huobam, in villa, quæ dicitur Beyrbach, & dimidiam Huobam in loco, qui vocatur Smidesdorff, & dimidiam Huobam in villa, quæ dicitur Glocniza, & tres vineas, vnā in loco, qui vocatur Botschach, & duas in alio loco, qui dicitur VVirbilach. Tradidit etiam ille in idipsum, quod supra quicquid inter Enum & Enesum fluuios inueniri potest, illorum mancipiorum, quæ coniugi suæ in partem ceciderūt, de familia patrui sui Adelberonis Episcopi. Harum singularum traditionum Testes sunt isti per aurē attracti, Otachar Marchio, Dietricus Comes de Formpach, Bernhard de Ascha, Bernhard de Sehonheringen, Henderich de Cambe, Heydenreich de Erlacha, Pilgrim de Rotingen, Heinrich & Reginbrecht de Perchofen.

[a] *Nunc ad Monasteriū Reicherspergs pertinet, à Cōrado Salisburgensi Episcopo tradita, Anno 1142. iuxta diplomata ibidē, in quibus nulla mētio de Parochia seu illius iure patronatus. Sed de decimis tātum illius Parochia ac alterius in Breberg circa Butenau: de quo apud Monasteriū Reicherspergs latius.*

Sequitur diploma Lotharij Imperatoris.

In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Lotharius diuina fauente clementia tertius Romanorum Imperator Augustus. Cùm defensionis nostræ solicitudo circa omnes Ecclesias & Christi pauperes inuigilare debeat, familiarius tamen eas Ecclesias & claustra fouere & manu tenere debemus, quæ à parentibus nostris fundata sunt, in quibus quotidie nostri & ipsorum apud Deum memoria fit. Proinde tàm futurorum quàm præsentium sagax nouerit industria, qualiter nos ob remedium animæ nostræ & consortis nostræ Richniza Imperatricis Abbatiam Formpacensem, cum omnibus pertinentiis suis in nostram suscepimus tuitionem & defensionem. Quam toto deuotionis nostræ affectu amplectentes, sicut libera instituta est à Comitibus pię memorię, Eckberto & cognato suo Vdalrico, ita libertatis ipsius priuilegia nostra Imperiali autoritate confirmamus; ea videlicet lege & tenore, vt ab omnium mortalium seruitio & exactione immunis soli Matri nostræ sanctæ Romanæ Ecclesiæ suū famulatum recognoscat, & singulis annis vnius aurei debitum exhibeat. Abbas etiam ipsius per successiones à fratribus ipsius regulariter & liberè electus, non aliter nisi baculo de ipso altare accepto inuestiatur: Similiter & Aduocatus de prædictorum genere Comitum magis idoneus communi arbitrio & electione fratrum constituatur. Inter cætera autem eidem Ecclesiæ confirmamus mercatum in Neukirchen cum moneta & omnium vtilitate, quæ inde prouenire poterit, & prætérea non minùs confirmamus, quicquid iuris habere debet, ex donatione prædictorum Comitum, Eckberti, Vdalrici, nec non Hermanni fratris ipsius specialiter ligna, pastum, ædificia & quæcunque adiacentis forestiæ vtensilia. Sub nostræ itaque confirmationis autoritate comprehendentes tàm ea, quæ in præsenti habet, quàm quæ habitura est eadem Ecclesia, præcipiendo iubemus, vt nullus

Dux,

Dux, Archiepiscopus, Episcopus, Marchio, Comes, Vicecomes, nulla deniq; magna paruáue pſona in his concessis eam inquietare, molestare, diuestire pſumat. Si quis verò contra hoc (quod non credimus) præsumpserit, 40. libras auri medietatē prædictæ componat Ecclesiæ. Quod vt verius credatur, & ab omnibus diligētius custodiatur, pręsentis decreti paginā sigilli nostri impressione insigniri iussimus. Huic aūt cōfirmationi testes adhibuimus Archiepiscopos, Adalbertū Moguntinensem, Cōradum Saltzburgensem, & Conradum Magdeburgensem; Episcopos, VVirtzburgensem Embriconem, Haluerstad. Rudolphum, Megengotum Mersburgeñ. Gotebold Misneñ. Bernhardum Hildesheimensem; Marchiones, Conradum, Adalbertū Palat. Fridericum, Ottonem, cum cęteris maioribus & minoribus. Data anno incarnationis Dominicæ, millesimo, centesimo, tricesimo sexto, Indictione 14. pridie Idus Maij. Anno verò regni Regis Lotharij X. Imperij tertio. Actum Mersburg, in Christi nomine fœliciter. Amen.

PRIVILEGIA huius Monasterij, pſertim Lotharij Imperatoris confirmata sunt, per Duces Austriæ, nempe per Rudolphum, Fridericū & Albertum, fratres, de Anno 1306. 1311. & 1334. Item à Duce Alberto Anno 1431. vbi se Aduocatū huius Monasterij nominat.

FVRSTENVELD MONASTERIVM AD

Ambram fluuium, Ordinis sancti Bernhardi Cisterciensis.

FVNDAVIT hoc Monasteriū Ludouicus, Bauariæ Dux, Pater Ludouici Imperatoris, & hoc propter cædē primæ suæ coniugis Mariæ Brabantinæ, quam ob falsam adulterij suspitionem, VVerdæ ad Danubium præcoci ira percitus, Anno 1256. decollari fecerat, vbi etiā sepulta est, in Monasterio S. Crucis. Impositū illi fuit per Alexand. Pontif. vt pro pœnitentia in sua Prouincia, & de ꝓpriis suis redditibus, Monasterium pro 12. Carthusianis institueret. Cùm aūt nullum tale Monasteriū in Bauaria esset, promisit simile pro fratrib. ordinis S. Bernhardi, seu Cistercienſibus, in loco, qui Fürstenueld dicitur, ædificare: Quod illi à Clemēte Pontifice permissum est; ita tamen si nō aliquo priori voto ad hoc obligatus esset. Ita testatur diploma Conradi Frisingensis Episcopi, de Anno 1266. atq; ita facta est hæc fundatio in honorem Saluatoris Dñi nostri Iesu Christi, & gloriosæ virginis Mariæ. Hunc locum vocatum Fürstenueld, cum omnibus pertinētiis plenariè tradidit: Multa præterea alia prædia & possessiones eidem Cœnobio donauit, quarū nomina in diplomate extant. Concessit item ei ius eligendi sibi Aduocatum, quem vellet, qui tutelam Monasterij sine aliqua exactione & grauamine susciperet. Concessit etiam iurisdictionē super bona & subditos Monasterij, exceptis capitalibus criminibus; Item quæcunq; pdia fratres emerent, siue eis ꝓpter Deum darentur, quę feudali titulo ad Principes pertinerent, liberentur eo onere, vt pleno iure proprietatis Monasterio cedant. Præterea donauit immunitate telonij omnium victualium, siue terra siue aqua ad Monasteriū perferantur. Eius rei testes citātur, Conradus Episcopus Frisingeñ. Hartmannus Augusteñ. Pontifex, Conradus secundus, Affinis noster, vnser Ohaim/Hierusalem & Siciliæ Rex, Dux Sueuiæ, Meinhardus Comes Goritiæ, Gebhardus Comes de Hirsperg, Albertus supremus noster scriba, Præpositus Illmünstrensis, Eberhardus noster Vicedominus. Dietricus olim noster Vicedominus, Fridericus de Truhedingen, Albertus Leuzman, Albero de Pruckperg, Hadmar de Labar, Burckhart de VVilhaim, Nobiles, Herman de Heginberg, Conradus de Haldenberg, Berchtoldus Marschalcus de Schiltperg, Vlricus filius eius, Arnoldus de Mässenhausen, Vlricus de Camerperg, Cōradus de Chamer, VVinharr de Rorbach, Vlricus de Soumerdorf, Geruneh de Ampach, VVicknandus Vicedominus, Berchtoldus Scriba, nostri fideles, &c. aliiq; plures.

Actum

Actum Monachij, Anno 1266. die S. Petri Apostoli, Monachi ex Allerspach eiusdem ordinis huc vocati, sub primo Abbate Anshelmo.

IDEM Ludouicus posteà, Anno 1276. in testamento suo legauit Monasterio huic villam in Hettinshausen. Idem posteà in alio suo testamento Heidelbergæ facto, ante obitum suum, legat Monasterio huic pro sua & filij sui Ludouici salute, aliquid dari arbitrio coniugis suæ, Anno 1294. Confirmat hanc fundationem patris Ludouicus quartus Imperator filius, Anno 1331.

IOANNES Abbas Furstenfeldensis & Conuentus emerunt à VVicknando Aufenhouer, Mechtilde ipsius coniuge & Berchtoldo filio, vicum seu forum Brugg, cum omnibus pertinentiis propriis & feudalibus: Hunc contractum confirmat Ludouicus Imperator, ac immunitate donauit, si qua ibi sunt feudalia siue à Ducibus Bauariæ, siue ab Imperio, pro remedio animæ suæ. Extat copia sine annorum inscriptione, in qua venditores nominantur, die vesten Mann/ circa Annum 1330, vel 40.

Hoc Cœnobium habet iuxta tenorem fundationis iurisdictionem, id est, die nideren Gericht/ super omnibus bonis & prædiis suis; in qua tamen per Principum Officiales plurimùm sunt turbati & molestati, donec Albertus Dux Anno 1508. denuò Monasterio hanc iurisdictionem restitueret & confirmaret; Sed hoc tantùm in Comitatu & districtu Dachouiēsi, pro quo fratres fundos quosdam ad Zelzlhof pertinentes, per inundationem proximæ piscinæ submersos, Item ius suum piscandi in fluuio dicto der Graben/ apud Burgheim, in prædicto districtu Dachau situm, Principi liberè tradiderunt.

Sepultus est ibidem Fundator Ludouicus Dux, qui obiit Anno, 1294. vnà cum filio suo Ludouico, ex secunda coniuge Anna, Conradi Ducis Poloniæ filia nato, qui in hastiludio Nurenbergæ per Kraftonem de Hochenloe occubuerat, Anno 1271. nec non cum coniugibus suis, prædicta Anna, quæ obiit, Anno 1271. & Domina Mechtildi, Rudolphi Roman. Regis filia, quæ obiit, Anno 1304. 10. Calendas Ianuarij.

SEPVLTI NOBILES IBI,

DE DACHAVV in Lauterpach & eorum Posteri, die Hundt zu Lauterpach/
DE EISENHOLZRIED,
VVATTEN de Geckenpeunt,
KEMNATER de Tanderen, & alij.

FVRSTENZELL

CELLAM eiusdē Cisterciensis Ordinis in inferiori Bauaria, inter Oenum & Vilsum amnes, inceptam per Hartvvicum, Capellanum quondam Ottonis & Heinrici, Ducum Bauariæ, Canonicum Pataniēsem, ac ludiliterarij Magistrum, cui cùm sumptus deficerent, prædictus Henricus Dux inferioris Bauariæ perfecit, ac ominato nomine Furstenzellam nominauit, confirmauitque sequenti Anno, die Februarij in Burckhausen; Interfuère Vlricus de Abensperg, Gebhardus Comes de Ortenberg, Bernhardus Comes de Leonberg, &c.

FRAN-

SANCTI FRANCISCI MONASTERIA ET SANCTI DOMINICI.

LVDOVICVS Dux Bauariç, pater Ludouici Imperatoris, vnà cum coniuge sua Anna de Polonia, Franciscanorum ordinem primò Ingolstadium collocauit, tradens aptum fundum prope castrum, vnà cum 30. Marcis argenti, pro ædificiis construendis, Anno 1275. Et eundem post annum octauum Monachium quoque eo loco, quo nunc sacræ Virgines eiusdem ordinis Clarissæ apud Anger habitant, transtulit, nempe Anno 1283. donec Sentlingerij ciues Monacenses eum locum, cum ædificiis pro 800. florenis emerunt, ac Franciscanis tradiderunt, quem etiam nunc Monachi tenent. Successerunt Sentlingeris Gabriel Ridler, cum vxore Hailvvich, VVumim, qui dederunt 600. florenos in ædificationem nouæ domus, renouantes ferè totum Conuentum, vnde hic Gabriel quasi secundus fundator fuit.

ANNO 1294. Emicho Episcopus Frisingensis consecrauit Chorum fratrum minorum, in præsentia Rudolphi & Ludouici, Ducum Bauariæ; eodem die consecrauit cœmiterium fratrum Eremitarum S. Augustini, Templum ipsum Minorum consecratum est posteà, Anno 1375.

SEPVLTI sunt ibi in Choro Frater Bona gratia de Pergamo, qui obiit 1340. & frater Guilielmus Ockam, qui obiit Anno 1347. ambo viri doctissimi, & causæ Ludouici Imperatoris contra S. Pont. defensores acerrimi.

HEINRICVS, Dux inferioris Bauariæ, frater prædicti Ludouici Ducis, Anno Domini 1271. Dominicanos, et nono deinde anno, hoc est, 1280. Franciscanos Lanndtshuetæ recepit. Fuêre autem hæc Franciscanorum Monasteria olim arctiori regulæ non astricta, gaudentes vocant, qui etiam bona propria, census ac redditus habebant. Reformata autem posteà, expulsis prioribus ac substitutis de obseruantia fratribus, ac abdicata omni proprietate in ordinem mendicantium redacta, in quo & hodie sunt, ex liberalitate Principum Bauariæ potissimùm, deinde verò aliorum piorum hominum eleemosynis viuentes. Reformatio facta per Bullas, per Albertum Ducem Bauariæ, à Sixto quarto Pontifice impetratas, Monachij tàm fratrum quàm sororum in Anger, Anno 1480. Ingolstadij verò & Landshuetæ Anno 1466. bona ac redditus istorum fratrum autoritate Ponrificia ac Episcopali cessêre Vniuersitati ibidem. Extat diploma Ludouici Ducis Bauariæ fundatoris, ac Guilielmi Episcopi Aichsteteñ. de Anno 1471.

CONSTRVCTVM est etiam Kelhaimij ad confluentes Danubij & Altmülæ Cœnobium, pro aliquot fratribus Franciscanis, per quem, nondum comperi, fundatum & simul reformatum pro fratribus de obseruantia, sub prædicto Duce Alberto, Anno Domini 1465. Illud verò in tam sterili loco, vt vix vnus aut alter hodie se ibi alere possit.

ANNO Domini 1484. Sorores tertiæ Regulæ à domo Bütrich in Monaco expulsæ sunt, quarum octo Frisingam venerunt, quibus Sixtus Episcopus ibi domũ emit, iniungens eis, vt infirmos in extremis visitarent, &c. Vitus Arnpeck. Est ibidem Monachij adhuc alia domus harum sororum tertiæ Regulæ S. Francisci, quæ Ridlerorum dicitur, Vtraque fundata seu instituta primitus à Patriciis Monacensibus, dictis Ridler & Bütrich, censibus exiguis, quæ deinde bona œconomia ac largitionibus piorum paulatim creuerunt ac redditibus aucta sunt.

RATISBONAE Conradus Episcopus dedit Fratribus sancti Francisci, Anno 1226. quo & obiit, Ecclesiam sancti Saluatoris habitandam, quae prius pertinuit ad Ecclesiam sancti Ioannis, iuxta quam, Alberto Comite de Pogen, & Ottone Comite Palatino Rheni, Bauariae Duce, areas suas donātibus, erectum est ibi Monasterium. adhuc enim ibi iuxta portam ostenditur domus, quae olim curia fuit Comitū de Pogen. Extant diplomata ibi. Sepultus est in hoc Templo Berchtoldus, huius ordinis frater ibidem, Ratisbonae natus, clarus integritate vitae, atque Christianae eloquentiae Orator insignis. Sexaginta amplius millia hominum eius conciones frequentasse literis proditur. Eius sepulchrum adhuc non solum incolis, sed & Vngaris venerabile, circa Annum Domini 1250.

Auent. lib. 7. fol. 611.

Auen. lib. 7. fol. 669.

MONASTERIVM Dominicanorum Ratisbonae instituit Seifridus Episcopus, conferens Fratribus cum consensu Capituli sui Ecclesiam sancti Blasij; vnde postea aedificatum est hoc Monasterium per Nobiles Truckseſſios de Eckmul, fundatores, qui etiam ibidem sepulti sunt.

MONASTERIVM Augustinianorum mendicantium Ratisbonae in ponte Iudęorum ita dedicatum est: Sacerdos ad aegrotum festinans, eo loci sacram hostiam in lutum abiecerat; primum ibi ligneum Sacellum, Capella Domini vocatum, erectum. Consecratur ab Alberto Episcopo, Anno 1255. Confirmatum ab illius Successore, Leone Episcopo. Posthaec cum Altmannus, Comes de Roteneck, Praepositus Ratisbonensis, & Archidiaconus, eandem Capellam duobus Sacerdotibus concessisset, vt diuinis officiis ibi vacaret, Ratisbonēses ciues ius patronatus ad se pertinere putarunt; tandem ita conuēnit inter eos, vt ista Capella traderetur fratribus ord. S. Augustini Eremitarum, Anno 1269. quam hactenus tenent.

ALTERVM Monacense Ludouicus Imperator condidit, teste eodem Auentino, libro septimo, fol. 790. Reformatum per S. Pontificem Sixtum quartum ad instantiam Alberti Ducis, &c. executore Sixto, Episcopo Frisingensi, Anno Domini 1481. fratres ad obseruantiam astricti intra triduum omnes profugerunt, substituti sunt alij.

TERTIVM in Ramsavv, vide sub litera R.

GAINKHOVEN

Auent. fol. 726.

IN inferiori Bauaria, inter Isaram atque Oenum castrum olim Comitū de Leonberg, nunc domus Teutonicorum militum B. Marię virginis, in vico eiusdem nominis fundatur per Bernhardum Comitem de Leonberg, pro sacratis Teutonicis Equitibus, Anno 1278. Vbi ipse quinto deinde anno, nempe 1283. obiit, atque sepultus est, cum duobus filiis, Henrico & Bernhardo, qui etiam aliqua contribuerunt dictae Mariae ac ordini.

GARSS, *vide suprà Auu, &c.*

GEISEN-

GEISENVELD

MONASTERIVM Monialium S. Benedicti, Diœcesis Ratisbonen. ad Ilmum fluuium. Institutum est hoc Cœnobium per Eberhardum, Comitē de Sempta & Eberſperg, conſenſu coniugis ſuæ Adlhaid, nec non fratris ſui Adalberonis, illiusque coniugis Richlindæ ſiue Richildæ, ſororis VVelphonis tertij. Vetus liber ibidem de fundatione huius Cœnobij ſcriptus habet, fundatorem fuiſſe Albertum Comitem de Muorach, cui inſignia ibidem apponuntur, quibus hodie Nobiles de Muorach vtuntur, atque Annus ponitur 830. Concedo hos Comites tunc Comitatum Muoracen. in Norico poſſediſſe, ab eo (vti tunc mos erat, familias Nobilium à caſtris ac dominiis denominari) Comites de Muorach vocatos, ac illis inſignibus vſos, ſed erant familiæ Comitum de Sempta & Eberſperg, & erratum eſt tàm in nomine, fuit enim Eberhardus, quàm in numero annorum, qui fuit 1030. aut ſecūdùm alios 1037. vt habet Chronica Eberſpergenſis Monaſterij. Ac Ioannes Auentinus in Annalibus ſuis fol. 530. Probatur etiam hoc per confirmationem ſequentem Heinrici tertij Imperatoris, &c. Muoracenſis ille Comitatus poſteà in manus Ortenbergēſium Comitum venit, à quibus Ludouico Duci Bauariæ, Anno Domini 1285. venditus eſt, qui in fraterna diuiſione filiorum eius, Anno 1329. Palatinis Rheni ceſſit, in quorum poteſtate & nunc eſt.

VXOR fundatoris ibidem dicitur fuiſſe familiæ Auſtriacæ, cui etiam noua Auſtriæ inſignia aſſignantur, quod non conuenit. Nam tunc temporis illa nondum nota erant. Et Auent. dicit eam fuiſſe ex Saxonia oriundam. Liberaliter dotârunt fundatores hoc Monaſterium multis prædiis ac bonis, dātes nempe in Auſtria, Elſpach, Lengenpach, Alpershouen, Freinſtain & Garſpach, cum pertinentiis, & decem vineis. In Bauaria caſtrum Sinzburg, vnà cum nemore Sinzpuech; in quo adhuc extant eius veſtigia, das alt Burckſtal / Item Sanſpach & Lanquaid, cum omnimodā iuriſdictione, & iure venandi, ad caſtrum illud pertinentibus.

IN SVPERIORI Bauaria dederunt villam Geiſenueld, vnà cum proprietate, dem Aigen & foreſto, Item Gutigenhauſen, nunc Gickenhauſen, prope Meſſenhauſen, Item Menzenpach, Feilenbach, & Gamershaim, cum pertinentiis.

TESTES huius fundationis & dotationis, Babo Comes de Scheirn, Vlricus Marchio, Adalbero Marchio, Odacker frater eius, Babo, Engeldic, Arbo, Magon⁹, Sudi, Artolph, Chuno de Vochburg, VVernherus de Glana, Goteſcalcus de Marpach, VVernher de Prunn, Gerungus de Liuivenſtorf. Et poſtquàm Monialibus permiſſum pro libitu eligendi ſibi Aduocatū, elegerunt agnatum fundatoris, Com. Harruicum. Confirmauit hæc omnia Henricus tertius Imperator, Anno Domini 1040. Teſtes huius diplomatis, Vlricus Marchio vnſer Ohaim / ſcil. Imperatoris, Comes VVergādus de Moſpach, Chuno de Eſchelbach, Erchingerus de Schambach, Hartvvicus de Perckhouen, VVezl de Lintach, Adalbero de Perg, Magonus de Frickendorf, Dietmarus de Aſinekhouen, Rupertus de Operamhauſen, Chuno filius Poponis, Thiemo de Vmbelſtorf, Vdalſcalcus de Elyſendorf, Greimoldus de Mieranſperg, Erbo de Munſter, &c.

PRIMA Abbatiſſa ibi Domina Gerbirgis, filia VVichpergæ, aliàs VVillipirgæ, ſororis fundatoris, pater Gerpirgæ ignoratur.

VVICHPERGA, marer Gerpirgis primæ Abbatiſſæ, dedit huic Monaſterio, per manum Vlrici Marchionis, Eſelſpach, cum vineis in Auſtria ſitis. Auentinus aſſcribit illi adhuc alias duas filias, Hadmuet & Luickhart, cuius maritus VVergandus (vt puto ſuprà nominatus teſtis fundationis), Comes de Moſpach.

Adalbero, Eberhardus & Ernestus, Comites de Murztal, Duces Carinthia.

Adalbero & Marquardus, Duces Carinthia, filij Adalberonis.

IN SVPRADICTO vetusto traditionum libello scriptum reperio, Adalberonem Clericum cum fratre suo Marquardo, filiis Adalberonis Ducis (Nam Dux erat Charinthiæ, expulsus quidem per Conradum secundum Imperatorem, Anno 1035. Titulum tamen tam pater, quàm filij retinebãt Ducatus Charinthiæ, iuxta Auent. in annalibus suis, fol 512. 513. 540. 544. 639. Idem in Epitome) Dominę Gerpirgæ Abbatissæ, ac illius Aduocato Erchingero (fortè Superior de Schambach testis fundationis) dedisse syluam Mospach. Causa huius donationis, quòd pater eorum Adalbero, nõ ille fundatoris frater, sed qui Dux fuit Carinthiæ, ibidẽ in Geisenueld sepeliri voluit. Auent. in Autographo suæmet translationis annalium lib. 5. ponit, Adalberonẽ patrẽ cũ fratre Ernesto filios fuisse Heinrici Ducis Charinthię, Nepotes Berchtoldi, Ducis Bauarię &c. Sed in latinis annalib⁹ nihil de hac re, similiter nec in impressis vulgarib⁹, & ego alterã sententiã veriorẽ puto esse. Hæc est, quòd mater sua Hadmuet, vxor Marquardi, Marchionis Charinthię, Comitis in Murz & Murztal parentis sui, erat filia Adalberonis, Com. de Sempt & Ebersperg, soror Vlrici Com. de Sempt, qui pater fuit Eberhardi & Adalberonis, fundatorum. Expulsus igitur de Ducatu Carinthiæ, Adalbero confugit ad suos cognatos, Comites de Sempta in Bauariam, atque in Geisenfeld noua planratione ipsorum elegit sepulturam.

EBERHARDVS enim ac Adalbero fundatores erant cum illo fratres patrueles siue amitini propriùs &c.

ADALBERO, Dux Charinthię scilicet expulsus, fratres habuit, Eberhardum & Ernestum, filium Adalberonem Clericum supradictum, factum postcà Bambergensem Episcopum, qui Episcopatus illi per Hainricum tertium Imperatorem in Comitijs Otingensibus in Bauaria habitis, collatus est Anno Domini 1052. Vbi idem Henricus tertius Ducarum Bauariæ Hainrico quarto, filio suo, in beneficium contulit. Adalbero Episcopus hic obijt, Anno 1057. Bruschius in Metropoli Moguntinensi dicit, hunc Episcopum fuisse Comitem Pogensem &c. sed errat, teste Auentino, dicto fol. 512. 513.

FRIDERVNA secunda, vt puto, Abbatissa, Amita Ernesti de Hochinburg in Norico, qui contulit Monasterio prædiũ in Hausen, pro alimenratione sororum suarum, quas ibidem habuit. In suprà dicto libro traditionum ita scriptum est, Ernestus de Hochinburg de nobilissima Prosapia, hi erant Marchiones de Hochenburg in Norico.

TEMPORE huius Friderunæ Abbatissæ dedicata est Ecclesia in Gamershaim, nunc vico non procul ab Ingolstadio, per Vlricum XIX. Episcopum Aichstetẽsem, qui permutauit ac dedit Friderunæ, ac illius Aduocato Eberhardo decimam in Gamershaim, pro aliis prędiis in VVolfspucch, Anno 1087. tempore Heinrici quarti Imperatoris, Testes Nobiles auribus tracti, Arbo de Hunestat, Diethmarus de Meckẽloch, Henricus de Mulẽhart, Burckhardus de Rairenpucch (Raitenpuech est arx siue castrum ad Episcopatum Aichstetensem pertinens, vnde fortè hic testis nomen habet) VVernherus de Tann, Meginhardus de VVangenpach, Gerungus de Liuvvenstorf, Vlricus de Bozan.

PRAEDICTVS Aduocatus Monasterij Eberhardus erat filius Eberhardi, Comitis de Rãzenhouen, familiæ Abenspergensis, & Dominæ Mechtildis vxoris eius, sepultorum in Geisenueld &c. quæ etiam quoddam prædiũ dedit Monasterio, tempore Friderunæ Abbatissæ.

RICHILDA Abbatissa, cuius tẽpore Otto Palatinus de Vvitlspach erat Aduocatus Monasterij, transegit cũ Diepoldo, Marchione de Vochburg, super differẽtiis aliquib⁹, Testes, Gebhard⁹ de Hüttẽburg, Vlricus de Vvald (quod situ est prope Lãquait, nunc domus Parochialis) Amelpertus de Sechouẽ, Rocho de VVagenpach, añus non

non est asscriptus, sed Gebhardus de Hüttenburg primus testis, qui fuit ex familia Biburgensium & Abenspergeñ. Comitum, vt in illorum Genealogia latiùs habetur. Vixit Anno Domini 1133.

Sophia Abbatissa circa Annum 1233. sequuntur cæteræ Abbatissæ, ante reformationem ibidem notæ nobiles omnes.

Anna de VVolfstain, Anna Schilvvazln, Vrsula Hächsen ac Kherin, Otilia de Absperg, Margaretha Hoferina, Catharina de Münnepach, Dorothea Dürlin, Helena Prunnerin. Post reformationem, Barbara Schnecklerin Augustana, Euphemia Venedigerin Salisburgensis, Catharina de Stetten Augustana

Nobiles { Beatrix Schaltorferin de Vagn electa Anno 1520.
Hypolita Heustadlin de Ameran,
Sabina de Seibolstorf,
Anna Maria de Gumppenperg electa Anno 1575.

Monasterium hoc aliquando habuit, sicut alij Principes, suos Officiarios, seu Officiales, inter quos Nobiles de Hausen in Freinhausen & Burckstal, qui fuerunt Marschalci, redemptum est hoc officium ab Alberto Hausner, per intercessionem Ducis Bauariæ, Anno Domini 1500. ac posteà tanquàm Monasterio onerosum abolitum.

Bis per incendium ac bellum miserè vastatum est hoc Monasterium, in quibus cladibus etiam pleraque vetera diplomata ac libri interierunt. In sæpe dicto libro traditionum reperio quasdam alias nobilium familias, quæ tempore fundationis in ea regione fuerunt, nempe de Giestorf, Schmidtorf, Rauning, quod puto esse Raning, Atlhausen.

Item tempore Friderunæ Abbatissæ testes literarum circa Annum 1087. Gotscalcus de Marpach, VVolfgangus de Otmarshart, Adalbrecht de Abbotshouen, VVernher de Prunn, Vdalscalcus de Münnenhausen, Eberhardus & Heinricus de Empfinpach.

Tempore Richildæ Abbatissæ & Ottonis Palatini Aduocati.

Berchtoldus de Schamhaupt liber homo.

Tempore Sophiæ Abbatissæ.

Dominus Berchtoldus de Ylmerdorf, Eberhardus frater, Agnes ipsorum mater, Berchtoldi filiæ, Kunegundis & Riehgardis.

Hunc Berchtoldum inuenio etiam in Monasterij Münchsmünster diplomatibus, de Anno 1233.

GOTZZELL

MONASTERIVM Canonicorum regularium sancti Augustini. In Hercinio saltu versus Bohemiam nobilis vir, Heinricus de Pholing (villa est inter montem Pogen & Metenam riuum iuxta Danubium) vnà cum vxore sua Mathilda, Diuo Bernhardo Templum Droschlach condunt, Monachos ex Alderspach euocant, qui, iubente Heinrico, Duce Bauariæ, Rumasfeld arcem propinquam diruũt, solo æquant, lapides Droschlachium vecti, ædes inde constructas Heinricus Episcopus Ratisbonensis dedicat, & Gotszellam denominat, Anno Domini 1286. *Auent. fol. 714.*

SANCTI HAIMERANI MONASTERII FVNDATIO.

ANNO Domini 640. & circiter, beatissimus Pater Haimeranus Pictauiæ fuit Episcopus, quæ vrbs est Aquitaniç, qui relicto Pictauiensi Episcopatu, tempore Constantini tertij, Ratisbonam venit, vt ibi populum in Catholica fide nuperà Diuo Ruperto institutum confirmaret, ac magis instrueret, sub Theodone quinto, Bauariæ Duce, qui eum benignè suscepit & Episcopum Ratisbonensem constituit. Huic Theodoni filia fuit Huta, quam Sigibaldus quidam Eques compresserat: Intumescẽte verò vtero, huius flagitij culpam in S. Haimeranum (qui tum in itinere erat Romam versus) absentem trãsfert. Landebertus verò, frater puellæ, rei indignitate commotus, S. Haimeranum insequitur, & comprehensum in pago Helfendorf, in superiori Bauaria circa Monacum, in frusta articulatim dissecari iubet. Membra autem dissecta nauiculæ imposita, aduerso Danubio sunt Ratisbonam translata, ibidem sepeliuntur in sacello D Georgij extra mœnia vrbis, præsente Theodone Duce, Anno 652. Theodo igitur, vt mors tanti Pontificis, cuius innocenia miraculo patefacta est, lueretur, Vtam filiam in Italiam relegat, Landobertus fit profugus & in exilio perit. Iste Theodo Monasterij S. Haimerani primus extitit fundator, Anno 696. Sed Ioan. Auentin. libro 3. Annalium fol. 281. ponit, S. Haimeranum Pictauia, Noricorum vrbe, oriundum fuisse, quem vide, & quæ de ipso apud Episcopos Ratisponeñ. latiùs scripta sunt.

SEQVENTI anno, scilicet 697. Appollonius primus huius Monasterij Abbas præficitur. Erat tum idem Monasterium vix Capella Monachorum, sed posteà per Simpertum Episcopum Ratisbonẽsem, iussu Caroli Magni, fuit magnificè inchoatum & perfectum. De licentia Tassilonis, Ducis Bauariæ, aliquæ traditiones ad casam constructam, in honore S. Petri & S. Haimerani sunt factæ; inter alias vna, anno Ducatus eius XIII. ex quo constat Ecclesiam fuisse ante Carolum Magnum constructam.

ANNO Dñi 732. Bonifacius Mogũtinus Archiepiscopus Gaubaldum Episcopũ Ratisbonensem cõstituit, qui primus in ordine fuit eorum, qui istam Cathedram & ordinariam Episcoporum successionem inchoârunt. Nam ante hũc fuẽre Episcopi tantùm aduentitij. Sub hoc Gaubaldo S. Haimeranus est translatus.

ANNO 752. Simpertus Ratisboneñ. Episcopus Monasterium S. Haimetani, iussu & sumptibus Caroli Magni Imperatoris V. magnificè (vt dictum est) incepit; sequẽti anno S. Bonifacius martyrium subiit apud Frisones.

IN HOC S. Haimerani Monast. sepultę quàm plures sanctæ & celebres personæ, inter quos idẽ D. Haimeranus primus est, deinde S. Dionysius Areopagita, magnus & hierarchicus Doctor, S. Pauli discipulus, Atheniensis Episcopus & Martyr gloriosus, qui vnà cum Rustico & Eleutherio, consortibus suis, sub Domitiano & Sisinnio Fescennino, Præfecto apud vrbem Parrisiorum Galliæ clarissimam, ad quam idem Dionysius à Clemente Pontifice Maximo missus fuerat, martyrio coronatus est, Anno Domini 99. Huius sanctissimi Martyris reliquiæ, per Arnolphum Imperatorem ex Gallia, vnà cum preciosissimo Euangeliorum Codice, quem Carolus Rex Franciæ, posteà Imperator dictus Caluus, fieri iusserat, ad Monaster. S. Haimerani translatæ sunt, Anno 900. pridie Decembris.

SANCTVS deniq; VVolffgangus, Ratisbonensis Episcopus, in Monast. S. Haimerani corporaliter requiescit, cuius vitã vide in Catalogo Ratisboneñ. Episcoporũ.

ARNOLPHVS item Imperator, Carolomanni Regis Bauariæ apud Otingen sepulti, ex illustri fœmina filius, non tamen legitimus, in hoc Monasterio humatus est in Choro; pariter huius filius, Ludouicus Rex Rom.

Hemma, præterea Regina, Ludouici Regis Bauariæ filij, Ludouici Pij vxor, in Ecclesia S. Haimerani post altare S. Achatij requiescit. De qua re magna est contentio inter Emeranos & Moniales superioris Monasterij, quæ asserunt fundatricem apud ipsas sepultam, ac eius mausæolum ostendunt, nituntur diplomate Caroli Imper. Crassi filij fundatricis, cuius tenorem reperies apud Monast. superius. Econtra Hermannus contractus, magnæ fidei historicus ponit: Anno Dñi 876. Hemma Regina Ratisbonæ obiit, & in Basilica S. Emerani sepulta est, &c. Vtrumq; potest verũ esse, primò apud S. Emeranum sepultam, posteà ad Monast. superius locum nouæ suæ plantationis translatam esse, quod sæpe contingit. Et putat Auent. lib. 4. fol. 442. mausæolum, quod apud S. Emeranum ostenditur, non esse Hemmæ, sed potiùs Vtæ Augustæ vxoris Arnolphi Imperatoris.

Heinricus primus, Bauariæ Dux ex gente Saxonum, frater Ottonis Magni Imperatoris, dicitur in hoc Monasterio humatus, in quo loco nõ constat, Auent. in Annalib. fol. 500. Huius filius Heinricus, Bauariæ Dux II. cognomento rixosus, in Monasterio S. Haimerani, in sinistro latere prope Chorum, humatus est: E regiõe huius Henrici, Ducis Bauariæ, patris Henrici sancti Imperatoris, hodie cernitur sepulchrũ Arnoldi, Ducis Bauariæ, cognomento mali.

In hoc Monasterio sepultus est etiam B. Rainuoldus, eius Monasterij Abbas, S. VVolfgangi patruelis, quem S. VVolfgangus è Treuirensi vocauit Cœnobio, & S. Emerani primò Præpositum, deinde Abbatem constituit, Anno 975.

Ædificavit hic Ramuoldus cryptam sui nominis, in qua sibi sepulchrum, ante 15. annos quàm moreretur, designauerat, quam S. VVolfgangus dedicauit. In qua crypta iuxta aram S. Gregorij, & omnium Confessorum, humatus est cum hoc distieho:

Signis clarescit pius hic Rainuoldus humatus,
Cælo fulgescit cælestibus associatus.

Obiit Anno M. I. 15. Calendas Iulij.

Claruit miraculis quàm plurimis, vt patet ipsius historiam legenti. Huius Ramuoldi temporibus puella quædam, filia Regis Franciæ, Aurelia nomine, ob vitandum mariti commercium profuga venit ad Monaster. sancti Emerani, quam sanctus VVolfgangus collocauit in solitudinem, quæ nunc vocatur Sacellum sancti Andreæ, iuxta vrbis Ratisboneñ. mœnia, vbi in vigiliis & orationibus 52. annis deuotissimè vixit, & Anno 1027. Idibus Octobris obiit, & in ambitu Monasterij sancti Haimerani sepulta iacet, ad partem Australem, habens in superiori marmore hoc distichon:

Hic pia florescit Aurelia virgo sepulta,
Quæ pœnas nescit, cæli dulcedine fulta.

In Australi ambitus plaga beatæ memoriæ Adalbertus, huius Monasterij Abbas sepultus, requiescit in cancello ferreo, cuius mausæolo inscripta hæc carmina:

Floruit hic signis Abbas ALBERTVS *opimis,*
Illius precibus IESV *Rex parce redemptis.* Obiit Anno 1177.

Vixit sub Friderico primo, Imperatore Romano, à quo etiam obtinuit sententiam & rem iudicatam contrà Margaretham de Thann, de non infeudandis mulieribus cum bonis ac prædiis Monasterij; de quo infrà sub hoc Abbate. Inuentum est corpus Hemmæ Reginæ, vxoris Ludouici, Regis Bauariæ, inter ruinas murorum ex incendio Anno Domini 1163. collapsorum.

Praeter has celebres & præclarissimas personas in Monasterio S. Haimerani requiescunt 18. Episcopi Ratisbonenses.

In Sacello D. Benedicti sepultus est VVarmundus, Comes de VVasserburg, habens in sepulchrali lapide hanc inscriptionem: Anno Domini 1010. indic S. Leonis Papæ, obiit Dominus VVarmundus nobilis, Comes de VVasserburg, qui huic Monasterio dedit Hosmarchiam Vogtenreuth, hîc sepultus, &c. Hic multa beneficia contulit Monasterio sancti Haimerani, hinc perpetuum à Monachis habet anniuersarium.

Otto Landgrauius de Stefling, Burggrauiusq; Ratisbonensis, iuxta limen ostij Ecclesiæ S. Haimerani, in porticu humili loco est sepultus.

Hvivs Nepotes, Otto & Fridericus, dederunt Monasterio suas partes, necnon partem Neptis ex fratre Henrico defuncto aquæ seu fontis ad Ort, quæ etiamnum hodie in maximum Monasterij cōmodum inde ducitur ex libro traditionum ibi, Vide Comites Rictenburgenses.

Hildricvs, item Francorum Rex depositus, & Monasterio sancti Emerani intrusus, ibidem sepultus est, circa Annum 751. Auentinus in compendio, sed vbi illius sit sepulchrum, incertum est, Ioan. Auent. cum in sepulchro Ludouici Regis in choro humatum esse credit.

Georgivs insuper Marchio Morauiæ, Monachus Cassinensis, apud S. Haimeranum sepultus legitur.

Hemma Abbatissa, soror Friderici Imperatoris, in ambitu Monasterij S. Haimerani sepulta scribitur, vbi, nescitur. Ita habet Chronica huius Monasterij, quænam ista Hemma fuerit, ignoratur, in Genealogia Fridericorum eam non inuenio, nisi fortè naturalis fuerit.* Est sepulchrum grandi marmore clausum, iuxta mausceolum S. Aureliæ virginis, cuius istud sit, non constat, legitur quidem iuxta pedes iam dictæ Virginis ita: Leutuinus Gamarolus, Canonicus & Scholasticus matris Ecclesiæ. Sed dubium est, an idem Canonicus imaginem diuæ Aureliæ fieri curauerit, an verò ibidem requiescat.

Leutuuein. Gamret, qua fuit Ratisbonæ ampla ciuium familia.

Credibile multò plures illustres personas in eodem Monasterio S. Haimerani sepultas, sed monumenta eorum frequentibus ruinis esse obruta.

Refert Iohannes Auentinus, Ludouici Bauariæ Regis filium Ratisbonæ de fenestra cecidisse & expirâsse, qui proculdubio in Monasterio sancti Haimerani fuit sepultus.

Baro Comes Schirensis & Abensbergensis ibi quoq; dicitur humatus, secundùm Auent. vbi, nescitur, extat mausceolum retro altare magnum Chori maioris, sine inscriptione, quod sine dubio alicuius celebris personæ ossa continet.

EPISCOPI IN MONASTERIO S. HAIMERANI SEPVLTI SVNT HI ORDINE.

GAVBALDVS primus à S. Bonifacio institutus, quando Bauaria ab hæreticis fuit purgata, & in Parochias diuisa, præfuit annis 22.

SINDPERTVS secundus, qui iussu Caroli Magni Monasterium magnificè extruxit, sedit annis 24.

ADALBINVS tertius, hic iuxta decreta Canonum & cum autoritate Leonis Papę, in præsentia piissimi Imperatoris, Caroli Magni, recta ratione, in Concilio Synodali, cum iudicio Episcoporum & Clericorum, necnō Nobilium Laicorum, de Monasterio S. Haimerani Cathedralem Ecclesiam transtulit ad Ecclesiam sancti Stephani Prothomartyris, Anno Domini 798. iuxta diploma Ludouici Pij, filij Caroli Magni, sedit annis 24.

BATVRICVS quartus, Ratisbonensis Episcopus, annis 26. præfuit. Ab hoc Episcopo Hemma Regina accepit per modum Concambij superius Monasterium beatæ

beatæ Mariæ virginis, in vrbe Ratisbona pro suo Monasterio in Mansee, claruit sub Ludouico.

ERCKANFRIDVS quintus, Ratisbonēsis Episcopus, sedit annis nouē, electus est, imperante Lothario, eius nominis primo.

EMBRICHO sextus sedit annis 30. Præsidere cœpit, imperante Ludouico secundo, tempore Leonis quarti.

ASPERTVS septimus sedit annis quatuor, præficitur Episcopatui Ratisbonē. regnante Arnolpho Imperatore & Stephano Papa.

TVTO octauus sedit annis 35. vsq; ad tempora Conradi, Regis Romanorum, qui successit Ludouico tertio. Fuit Monachus & Custos Ecclesiæ S. Haimerani, acceptusque Arnolpho Imperatori, cuius etiam Cancellarius fuit. Huius Tutonis & S. VVolfgangi extant adhuc mauseola, cæterorum Episcoporum monumenta nimis sunt obruta, propter frequentia incendia.

ISINGRINVS IX. electus est Episcopus Ratisbonensis, regnante Henrico primo, patre Ottonis primi, sedit annis 11.

CONRADVS X. sedit menses tantùm sex.

GVNTHARIVS XI. Episcopus Ratisbonensis, præfuit mensibus sex, sicut Conradus. Apud quosdam Conradus & Guntharius pro vno reputantur, ac sic S. VVolfgango duodecimus locus datur.

MICHAEL Ratisbonēsis Episcopus præsidere cœpit, tempore Ottonis primi, & Stephani Papæ, huius nominis VIII. sedit annis 27.

S. VVOLFGANGVS XII. Ratisbonensis Episcopus præsidere cœpit sub Ottone primo siue secundo, sedit annis 22. fundator Monast. S. Pauli ibidem.

GEBHARDVS, huius nominis primus, prǽsidere cœpit, imperāte Ottone tertio, tempore Ioannis XVI. sedit annis 27. fundator Pruelensis Monasterij.

GEBHARDVS, secundus huius nominis, primùm Augustēsis Canonicus, eligitur Episcop⁹ Ratisbonē. imperante Heinrico sancto, Bambergę sepulto, sub Ioanne XX. Præfuit annis 24. Chronica Episcoporum Ratisbonē. habet annos 13.

GEBHARDVS, tertius huius nominis, frater Conradi Imperatoris, sedit annis 19. sepultus in Monasterio Oringavvà se fundato, Anno 1060. Prædicta Chronica habet annos 24. suæ administrationis.

OTTO præfuit annis 40. Sub huius tempore septem fratres Scoti Ratisbonam venerunt, habitâruntq; extra mœnia vrbis, ad consecratum S. Petri Apostoli, vbi & sepulti dicuntur.

GEBHARDVS quartus, hic anno septimo suæ electionis in Pechlarn non consecratus occiditur, & ibidem sepelitur.

HARTVICVS primus cœpit præsidere, imperante Heinrico quinto, tēpore Pascalis secūdi. Hic Monasterium Pruel ruinosum restaurauit. Sub eodem Hartvvico Monasterium S. Iacobi Scotorum consecratur, Anno 1116. Sedit annis 16.

CHVNO primus fuit Abbas in Siguert, præficitur Ecclesiæ Ratisbonē. sub Lothario tertio, tempore Innocentij secundi. Sedit annis 5.

HENRICVS, Bābergē. Ecclesię Diaconus, filius Comitis Ottonis de VVolfratshausen, sedit annis 13. Hic Anno 1155. apud S. Haimeranum Monachus factus est: Hi omnes sepulti sunt in Monasterio S. Haimerani, in plaga aquilonari, in abside Ecclesiæ, sub & supra sepulchrum S. VVolfgangi, vt hodie ibidem Pontificum imagines videntur, sed ob incendia frequentia Monasterij sepulchra eorum creduntur obruta, vt hodie nulla appareant monumenta. Hi omnes Episcopi ibidem sunt sepulti; exceptis, Gebhardo tertio, & Gebhardo quarto. De quibus vide fusiùs Episcopos Ratisbonē. quorum Annales non omnino concordant cum his in annorum numero, & hoc propter vetustatem temporis.

REPE-

Reperiuntur in atchiuo huius Monasterij plurimorum Imperatorum ac Regũ Romanorum vetustissima diplomata in pergameno scripta, cum sigillis intus ac extra mote vereri impressis seu appositis, integra & illęsa, nisi quòd vetustiora, præsertim Caroli Magni propter longos & intricatos caracteres, & frequentes abbreuiaturas verborum difficulter legi possint, sunt tamen ibidem copiæ illorum legibiles: superscriptiones autem horum diplomatum longè posteà fortè per Monachum aliquem factæ, in numero annorum non conueniunt, neque illis fidendũ est. Puto tot & tam ampla priuilegia & diplomata vix apud vllum Monasterium in Bauaria reperiri, quę ego omnia oculis meis vidi ac perlegi: propter vetustatis memoriam lubet aliquorum breuibus meminisci.

CAROLVS Dei gratia, Rex Francorum & Longobardorum & Patricius Romanorum (scilicet Magnus) dat priuilegium immunitatis & exemptionis, vt solis Romanorum Imperatoribus ac Regibus subiectum sit, confirmans omnia à patre suo Pipino Rege, & ab antecessoribus suis data &c. sine Dato.

Idem cum superiori titulo donat Monasterio magnum & latum spaciũ terræ & pratorum, versùs meridiem prope Monasterium, quod tunc extra muros vrbis erat, iugera 266. & de prato &c.

Auent. lib. 4. Annaliũ fol. 322.

ET VT hoc firmiter seruetur, manu propria, vt sonant verba, subter firmauimus, & annulo nostro sigillari iussimus. Data octaua Kalendas Martij, Anno. 26. & 20. Regni nostri. Actum super fluuium Mœni, in loco nuncupante Francofurt, in Dei nomine feliciter. Amen.

Svperscriptio habet, Anno 794. Hæc duo diplomata data sunt, antequàm Imperator fieret, quod Anno 802. factum est, & hoc propter titulum.

HLVDOVICVS d. f. cl. Rex, Caroli Magni filius, dictus Pius. Super translationem sedis Episcopalis, ab hoc Monasterio ad Ecclesiam S. Stephani, in ciuitate per patrem Carolum Magnum, auroritare Leonis Papæ, Anno 798. facta & super immunitate eiusdem Monasterij &c. sine Dato.

HLVDOVICVS Rex Boiariorũ, filius Ludo. Pij, Nepos Caroli Magni, cõfirmat donationem Monasterio factam quarundam rerum in Hruchinga, aliter Folnikhoua & in Buochusa ab Erchanfrido, Diacono & Capellano, & propinquo suo Bathurico, anno Christo propitio 18. Imperij D. Hludouici serenissimi Augusti, Anno 6. Regni nostri, indict. 9. Actum Reginespurch in Palatio nostro.

Suprascriptio, Anno 835. alibi 831.

Idem Hludouicus Rex Boiariorũ tradidit Monasterio castrum Harlũburch in oriente, in terra Auarorum &c. cum pertinentiis. Datum Anno 19. Imperij D. Hludo: sereniss. Augusti, & Anno VII. Regni nostri, indictione 2. Actum Reginespurch ciuitate.

Suprascriptio Anno. 836. alibi 832.

Horvm diplomatum copiam quære apud Episcopos Ratisbonenses sub Bathurico.

HLVDOVICVS d. f. clementia &c. dedit Balthutico Episcopo, tunc temporis Præsuli & Rectori Monasterij S. Haimerani, summo suo Capellano Sandolueshusen & Guntereshusen, atque Mandachechingen, cum mancipiis &c. à quo rursum accepit quasdam res Monast. quæ sunt in pago Huosi, in villa nuncupante Solzimos, quicquid ibi habere videbatur, id est, Ecclesiam cum vniuersis domibus, ædificiis, mancipiis, terris, syluis. Datum anno Christo propitio 2. Regni Ludouici, gloriosissimi Regis in orientali Francia, indictione 7. Actum Reganespurch ciuitate, in Dei nomine, Amen.

Suprascriptio. 825.

HLVDOVICVS d. f. g. Rex confirmat omnem proprietatem ab Auo suo, D. Carolo Imperatore Monasterio S. Haimerani condonatam, & sibi à Barthurico Episcopo, Rectore ipsius Monast. rursus in beneficium concessam; ita vt post ipsius

obitum,

obitum,ad dictum Monasterium plenè reuertantur &c. Vt hæc diligentiùs seruentur,manu propria firmauimus, & Annuli nostri impressione assignari iussimus. Actum 5. Kalend. Augusti, Anno Christo propitio II. regni Hludo. Regis in Orientali Francia, Indict. VII. Actum Reganespurch ciuitate, in Dei nomine fœliciter Amen.

Suprascriptio habet, Anno 830. at cùm sit eadem cum proxima supra, nō cōuenit hic numerus cū superiori.

IDEM Hludouicus confirmat quandam traditionem,à quodā nobili Comite VVilhelmo Monast. factam de sua proprietate, inter fluuium Agastam & Nardinā, à locis vbi Danubium influunt,& vsque in Nordvvald, qui insuper tradiderat Rostorf,cum mancipiis, pratis, pascuis &c. Data 15. Kalend. Februarij, Anno Christo propitio XX. regni Hludo. serenissimi Regis, in Orientali Francia, Indict. V. Actum Reganespurg, vt supra.

Suprascriptio habet. 835.

IDEM Hludouicus d. largiente gratia, Rex Boiariorum, confirmat Monasterio S. Haimerani quandam Ecclesiam, cum mancipiis & territoriis pertinentibus, quæ sita est in prospectu fisci nostri, quæ nominatur Tinguluinga. Datum Anno XX. Imperij Hlud. serenissimi Regis, & Anno VIII. regni nostri, Indict. II. Actum Reginespurch, vt suprà.

Suprascriptio habet. 834.

CAROLOMANNVS Rex dedit cuidam Presbytero, dicto Iob, duas Huobas, cū octó mancipiis, in villa Stratlpach, in Comitatu Engildeonis, ita vt post ipsius obitum ad Monast. S. Haimerani reuertantur. Data 3. Nonas Decembris, Anno Christo propitio III. Domini Carolomanni, serenissimi Regis in Bauaria & in Italia. Actum Rantestorf curte regia, in Dei nomine fœliciter. Amen.

Suprascriptio habet. 875.

ALTERIVS diplomatis Carolomanni principium & finem, quod apud S. Haimeranum extare dicitur, ponit Ioan. Auent. lib. 4. Annalium fol. 446.

ARNOLPHVS d. f. cl. Imperator Augustus &c. fatetur, quòd pro absolutione Antecessorū suorū Augustiss. Imper. nec non pro salute sua & filij sui Ludouici, interuētu cōiugis suæ Ovte ciuitatem suam, quæ vocatur Ratispona, ob amorē & honorem Patroni sui S. Haimerani amplificauit & auxit, & eādem totam nouiter factam, cum 40. vineis in mōte, qui est in ripa Danubij, iuxta eandem ciuitatē, prædicto S. Haimerano &c. nullo contradicente, tradidit, confirmans censum, quem de præfato Monasterio Carolus Magnus dedit Leoni Papæ, Successoribusque eius, & Attauus suus Eugenio Papæ, & Auus suus pius Ludouicus Nicolao Papæ &c. Et eandem Ecclesiam confirmat, in potestate Imperatorum & Regū, vsque in æuum permanere, quòd neque Imperator, neque Rex eandem Ecclesiam ulli omninò præstet, sub anathemate. Nam quòd patruus suus, Carolus Imperator, Embriconi venerabili Episcopo eam præstiterat, nullam posteà victoriam neque prosperitatem habuit, vsque ad vitæ suæ finem &c. sine Dato.

Arnolphus Imperator ampliauit Ratisbonā, & Monasterium inter muros inclusit, quam partē S. Haimerano tradidit, vt puto, non totā ciuitatem.

IDEM Arnolphus Imper. eidem Monast. confirmat & tradit quasdam magnas res, iniustè antea illi ablatas, in loco, qui dicitur Scanonuia, iubēs plurib' Comitibus & Nobilibus traducere Matcham &c. Datum anno Dominicæ incarnationis 890. Indict. 8. anno III. regni Arnulphi piissimi Regis. Actum Mosapurch, regia ciuitate, in Dei nomine fœliciter. Amen.

IDEM tradidit Monast. Capellam in pago Tunckoe, ad curtem Regiam, quæ Vshusa dicitur, constructam, cum mācipiis, famulis, & omnibus rebus ad eandem Capellam ritè pertinentibus, Anno Domini. 889.

NOBILIS quædam fœmina, nomine VVinpurc, proprietatē suam, id est, curtē, quæ dicitur Nordilinga, in pago Retienfi, cū pertinentiis tradidit ad S. Petrum, preciosissimumq; Christi Martyrem, S. Haimeranum, in manus Tutonis Episcopi Ratisbo. & Aduocati sui Garachatij perpetuò in proprium, cum Ecclesiis, bonis, decimatis curtilibu. t

Meminit Munsterus in Cosmographia sua.

ECON-

Econtra eadem VVinpure accepit de rebus prædictorũ Sanctorum locum, VVeimdinga nuncupatũ, cum attinentiis suis; ita vt ipsa ãbas res, id est, Nordelinga proprium suum, quod traditione filij sui Zvventipulchi adepta est, & VVeimdinga ad dies vitæ suæ teneat. Post obitum autem illius ambo potestati prædictorũ Sanctorum subiiciantur in proprium. Arnolphus Rex confirmat. Datum 15. Kalend. Iunij, ab incarnatione Domini, 898. Indict. 1. Anno regni Arnolphi piissimi Regis II. Imperij eius III. Actum Reganespurch in Dei nomine fœliciter. Amen.

HLVDOVICVS Dei gratia Rex, tradidit Tutoni dilecto Episcopo suo, per interuentum & consilium venerabiliũ Pontificum, Adalberonis & Erckampoldi, ac aliorum fidelium suorum, Luipoldi scilicet dilecti propinqui sui, ac Gunipoldi Comitis, quasdam res sui proprij iuris, in ius & in proprietatem beati Haimerani Martyris, hoc est, in pago Nordgeu, in Comitatu Luipoldi, in villa, quæ dicitur Teornichoua, quæ pertinebat ad Otinussam, quæ est contiguo loco, qui dicitur Sentilobach, cum mancipijs. Datum Anno Domini. 903. Indict. VI. Anno verò Hludo. pijssimi Regis IIII. Actum Forcheim curte regia.

Hoc eodem anno dedit Monasterio priuilegium super libertate, exemptione & aliis prærogatiuis.

Eodem anno dedit Monasterio quasdam res, quas pater suus Arnolphus Imperator matri suæ Vtæ aliquando donauerat, ad preces matris suæ Curtim, quæ dicitur Velda, cum regimine & Banno, cum mancipiis &c. Data secundo Idus Augusti, Anno 903. vt suprà. Actum in Otinga.

Ellinrat matrona, concubina Arnulphi Imp. tradidit S. Haimerano, in manus Tutonis Episcopi & Aduocati sui Imonis, proprietatem suam, id est, Capellã in Ergoltinga, cum aliis duabus Ecclesiis, cum decimis & mansis &c. Confirmat Conradus Rex. Datum Anno Domini 913. anno glorissimi Regis Conradi III. Actum ad Forchaim in Dei nomine. Amen.

Idem concedit S. Haimerano decimam partem vectigalium in Ratisbona, ad continenda luminaria, admonente Adalberto Episcopo, Anno Domini 916. Anno Regni Conradi Regis piissimi quinto. Actum Reganespurch.

Idem donat Forestum iuxta Sulzpach, cum forestario Syfrid perpetuo iure in proprium. Datum 8. Calend. Iunij. Anno 914 Indict. 2. Anno Regni piissimi Regis Conradi III. Actum ad Forchaim, in Dei nomine. Otto primus seu Magnus Imperator ad preces Heroldi Salisburgensis Archiepiscopi, & Berchtoldi dilecti, fidelisque Ducis nostri, dono dedit Monasterio S. Haimerani, cui Isingrinus fidelis noster Episcopus præest, locum, qui vocatur Helphindarf, cum foresto & forestariis atque venatione & nostro regio Banno: Insuper etiam & in Nuichinga, in pago Sondergau, in Comitatu Abrahami Comitis, cum omnibus pertinentiis, in proprietatem. Datum 4. Kalend. Iulij, Anno 940. Indict. 12. Anno regni IIII. Actum in ciuitate, Salzburg dicta, in Dei nomine fœliciter. Amen.

Idem Otto Imperator partem hæreditatis cuiusdam nobilis viri, Diethmair vocati, in loco, Priemperch nuncupato, in pago Norgaue, in Comitatu Berchtoldi Comitis, sibi iudicio Scabinorum adiudicatã, cum omnibus iuribus prædictæ hæreditatis, S. Haimerano donauit & tradidit, Anno Domini 961. Regni piissimi Regis XXIII. Actum Regenspurch.

Idem Otto primus, Dei gratia Rex, confirmat donationem VVarmundi, Comit. de VVasserburg &c. his verbis: Quasdam res, quas iam antea quidam Comes noster VVarmundus illis super annonam sibi deputatam, pro requie animæ suæ tradidit, in loco Riut, iuxta Oenum fluuium, in pago Sondergoue, in Comitatu Ratholphi Chadahohi, Othocarij ac Sighardi, Comitum, cum omnibus attinentiis, ea cum ratione, vt si Episcopus eidem Monasterio præsidens, vel alia potens persona

sona, hanc traditionem infringere voluerit, cuncta, quæ tradita sunt, redeant in ius & potestatem D. Iudith & filij eius Henrici Ducis, seu ipsorum hæredum. Data Anno incarnationis Domini 959. anno regni piissimi Regis Ottonis XXIIII. Actum Roræ, in Dei nomine fœliciter. Amen.

EXTAT & alia Ottonis secundi confirmatio, quasi iisdem verbis, de Anno 980. anno regni Ottonis secundi XX. Imperij XIII. Actum Triburiæ.

CONFIRMAT eandem donationem Heinricus sanctus Imperator, interuentu Kunegundæ coniugis suæ, Anno Domini 1021.

OTTO secundus, Imperator, donauit S. Haimerano Stainkirchen in Austria, & amplum spatium terræ, inter fluuium maiorem & minorem Erliffa dictum; & vsque ad Ips, supra & vsq; ad montem, qui dicitur Buschnich; permisit etiã ibi propter infestationem Vngarorum Castellum construi, in confluentia fluuiorum illorum, in loco, qui dicitur Zvvisela, Anno Domini 979. anno verò regni secundi Ottonis XV. Imperij verò IX. Actum Ratisbonæ. Hoc diploma D. Laureñ. Hochvvart de Episcopis Ratisboneñ. ita refert, VVolfgangum Ratisboneñ. Episcopum in Auaria, inter Erlaffum maiorem & minorem, & Ibisum amnes, qui locus longo tempore desertus fuerat, Colonias Boiorum deduxisse, his Ottonem secundum Imperato. Castelli construendi, muniendique aduersùs Vngaros dedisse. Datum vt suprà.

QVIDAM mercator, VVilhelmus nomine, tradidit ad sanctum Emeranum curtilia intra & extra muros Ratisbonæ & Eckolfing, cum mancipiis vtriusque sexus, per confirmationem OTTONIS secundi, Imperatoris, Anno Domini 983. Regni verò secundi Ottonis XXV. Imperij autem XV. Indictione II. Actum fœliciter Veronæ. Amen.

IDEM VVilhelmus dedit Monasterio Alburch & Perg, cum mancipiis, in pago Tonagoue, in Comitatu Luipoldi, cum confirmatione eiusdem Ottonis secundi, eodem anno.

HEINRICVS sanctus Imperator confirmat Monasterio in genere omnes res & priuilegia sua, &c.

D. IVDITHA, Auia Heinrici sancti, vnà cum filio suo Heinrico, Duce Bauariæ, tradidit S. Haimerano talem proprietatem, qualem filius eius Heinricus, frater Hludouici, in loco Eisenhoua, in potestate habuit, curtem cum ædificiis ac reliquis curtilibus ac pertinentiis.

HEINRICVS sanctus confirmat eandem traditionem, olim à Duce Heinrico, Auo suo, de curte, Aitterhouen dicta, in pago Tunegovve, in Comitatu Adalberti Marchionis, cum pertinentiis.

FRIDERICVS Imperator confirmat Monasterio consuetudinem, quòd in beneficiis seu feudis Ecclesiæ Pontificalis Ratisbonensis, atque illius Monasterij, qui pariter vno & eodem conditionis iure funguntur, fœminæ non succedant, ita Ratisbonæ per sententiam Principum fuit iudicatum: Testes, qui prolationi sententiæ adfuerunt, contra Margaretham de Tann, filiam Hartvvici de Tann, Heinricus Ratisboneñ. Episcopus, Heinricus Præfectus, Otto frater eius, Otto iunior Palatinus, Heinricus, Comes de VVolfrateshusen, Ernestus, Comes de Hochenburch, Fridericus frater eius, Conradus Comes de Raninge, Vdalricus de Stain, Altman de Sigenburch, VVernherus de Labere, Ruepreeht, VVolf, Adalber de Pocecspurch, Otto de Mosen, Erbo de Biburch, Engelhard de Ludenbach, Vlricus de Pentlingen, Bobbo de Hertlingen, Durinhart de Pũmchouen, & alij,

QVI verò Vlmæ, vbi factum est hoc priuilegium, præsentes erant, Herman Constantiensis, Conradus Augustensis, Conradus VVormacensis, Albertus Tridentinus, Episcopi; Albertus Elvvangensis Abbas, VVelpho Dux Spoletæ, Berchtoldus Dux de Zeringen, Fridericus Dux iunior, filius Regis Conradi, Otto Palatinus de

VVitelinespach, Berchtoldus Marchio de Vochenburg, Heinricus Burggrauius Ratisbonensis, Heinricus Comes de VVolpheratcshusen, Altmañus de Sigenburch, Bilgrinus de VVolunisa, Rupertus VVolf, VVernherus de Giebestorf, Albertus de Musse, Hademar de Ahusen, Baldvvinus de Ratispona, VVernhard de Lengẽueld. Datum Vlmæ, Anno Domini 1157. Regni eius V. Imperij verò II. Extat ibi diploma.

MONASTERIVM S. Haimerani Romano Imperio, quo ad secularia, immediatè subiectum est, à quo & regalia in feudum tenet. Albertus, Romanorum Rex, cōcedit Abbati regalia feuda principatus. Idem fecit Ioannes Rex Bohemiæ, nomine patris sui Heinrici, Imperatoris, tunc in Italia agentis, Anno 1313. his uerbis: Verleichen jhme sein Fürstenthumb vnnd Regalia.

IDEM VVenzeslaus Rex, Rupertus Rex, in feudum concedit regalia & secularia feuda, Anno 1401. idem posteà, Anno 1405. Lechenschafft vnd Mannschafft &c. vnde & Princeps Imperij ab illis Imperatoribus ac Regibus nominatur. Ludouicus Imperator quartus ita illi scribit: Dilecto nostro Principi, Alberto Abbati S. Haimerani in Ratisbona, Anno 1332. Ludouicus Marchio, filius Ludouici quarti, vocat eum den Ersamen Geistlichen Fürsten/ Anno 1348.

PRINCIPES Bauariæ sunt Aduocati ac defensores huius Monasterij, quoad ea bona, quæ in Bauarica ditione, vbi certè pleraque ac meliora sunt sita. De qua re extat documẽtum in registratura Alberti Ducis, Com. Hollandiæ, in pergameno scriptū; cætera sicut & ipsum Monasterium ad Romanum Imperium spectant.

CATALOGVS ABBATVM S. HAIMERANI RATISPONÆ.

APPOLLONIVS primus Abbas præficitur huic loco, Anno Domini 697. qui obiit. 710.

SANDRADVS secundus Abbas obiit Anno Domini. 735. Præfuit annis 25. menses 7. dies 26.

ALABOLDVS tertius Abbas obiit, Anno Domini 752. Præfuit annis 16. menses 11. dies 7.

BABO quartus obiit Anno Domini 778. Præfuit annis 25 menses 10. dies 26.

SIGISMVNDVS quintus Abbas obiit Anno 798. à Carolo Magno constitutus. Præfuit annis 18 menses 5. dies 10.

RICHPALDVS sextus Abbas, obiit Anno 822. cundo ad curiam Imperatoris Ludouici primi: ab eo impetrauit confirmationem immunitatis, Monasterio à Carolo Magno datæ, vide Episcopos Ratisponenses. Præfuit annis 16. menses 9. dies 16.

SIGEFRIDVS septimus Abbas obiit Anno 830. Præfuit annis. 7. menses 9. dies 13.

HIC dedit Monasterio propria sua bona, Præposituram in Lauterpach cum pertinentiis Anno 820. anno Baturici Episcopi quarto, Imperatoris Augusti Hludouici septimo, cuius familiæ hic fuerit, propter vetustatem ignoratur.

POST

POST septem Abbates suprà dictos vacauit Prælatura Monasterii sancti Haimerani Annis 155. aliàs 145. Nam Episcopi Ratisbonen. se intromiserunt de ordinatione & regimine dicti Monasterij, consentientibus Imperatoribus, vsque ad tempora sancti Ramuoldi, patruelis S. VVolfgangi, quem idem Pius Pōtifex à Treuirensi vrbe vocatum, constituit Abbatem.

S. RAMVOLDVS, octauus Abbas, captus per Ottonem secundum Imper. in bello contra Heinricum, Ducem Bauariæ, patruelem suum, eò quòd illi adhæreret, & Treuerim relegatus, Auent. lib. 5. fol. 503. Obiit Anno Domini 1001. Præfuit annis 26. menses quinque, dies 17.

VVOLFGANGVS nonus Abbas obiit Anno 1006. iniustè deponitur. Rexit annos 5. mensem 1. diem 1.

RICHOLDVS decimus Abbas obiit Anno 1028. Sedit annis 22. mense vno, diebus 28. cæcitate percussus, obiit, &c.

HARTVVICVS vndecimus Abbas obiit Anno 1030. qui sponte resignauit. Rexit anno 1. mens. 10. diebus 28.

BVRCKARDVS XII. Abbas obiit Anno 1037. Sedit annis 6. mens. 8. dieb. 8. Romæ apud S. Petrum sepultus.

VDALRICVS primus, XIII. Abbas, obiit Anno 1044. Præfuit annis 7. mensibus 11. diebus 29.

ECKENPERTVS XIIII. Abbas obiit Anno Domini 1045. Præfuit anno 1. mensibus 10. diebus 13.

PERINGERIVS XV. Abbas huius loci simul & Tegernsee, obiit Anno 1049. Rexit annos 3. mens. 6. dies 13.

REGINBARDVS XVI. Abbas, obiit Anno 1064. Sedit annis 14. mens. 10. diebus 28. Hic reperit ossa S. Dionysij.

EBERHARDVS XVII. Abbas huius loci simul & Tegernsee, obiit Anno 1070. Rexit annos 6. menses 4. dies 11. In Tegernseensibus Annalibus dicitur obiisse, Anno 1091. 5. Idus Maij.

RVPERTVS XVIII. Abbas obiit Anno 1095. Præfuit annis 25. mense 1. diebus 8.

REINHARDVS XIX. Abbas obiit Anno 1110. Præfuit annis 15. mens. 11. diebus 17.

THEODERICVS siue Dietricus, XX. Abbas, obiit Anno 1129. Sedit annis 19 mensibus 3. diebus 7.

ENGELFRIDVS XXI. Abbas obiit, Anno Domini 1143. Rexit annis 13. mensibus 4. diebus 11.

BERCHTOLDVS Admontensis XXII. Abbas, obiit Anno 1149. Præfuit annis 6. mensibus 3. diebus 19.

B. ADALBERTVS, XXIII. Abbas, obiit Anno 1177. Rexit annos 27. menses 6. dies 5. Sub eius regimine Monasterium istud totum combustum est.

PERINGERVS secundus, XXIIII. Abbas, Reipub. consulens, obiit Anno 1201. Sedit annis 23. mensis 10. dies 22. Hic fecit aquæductum.

EBERHARDVS secundus, XXV. Abbas, obiit Anno 1217. Præfuit annis 16. mensibus 2. diebus 28.

VDALRICVS secundus, XXVI. Abbas, obiit Anno 1220. Præfuit annis duobus, mensibus 9. diebus 20.

BERCHTOLDVS secundus, XXVII. Abbas, obiit Anno 1235. Rexit annos 15. menses 6. dies 26. Hic instituit oblagium.

VVVLFINGVS XXVIII. Abbas obiit Anno 1247. deponitur. Sedit annis 11. mens. 4. diebus 28. Hic fecit campanam Dreyerin.

VDALRICVS XXIX. Abbas deponitur, per Leonem Episcopum Ratisbonensem, obiit Anno 1263. Hic assumptus fuit de superiori Altach. Rexit annis 8. deinde factus Abbas in Ahausen, ex vetusto libro traditionum. De hoc Vlrico vide suprà in Adalberto, XXX. Episcopo Ratisbonen.

FRIDERICVS de Teurn, XXX. Abbas, obiit Anno 1271. Sedit annis 8. mensibus 7. diebus 9. Hic obtinuit mitram pro se & Successoribus.

VDALRICVS de Prunn, XXXI. Abbas, obiit Anno 1271. fuit vir breuis staturę, velut aliter Zachæus. Rexit menses 3. & dies 9.

HAYMO XXXII. Abbas obiit Anno 1275. Hic multum laborauit pro libertate Monasterij. Rexit annos 3. mens. 3. dies 29.

VVOLFGANGVS XXXIII. Abbas obiit Anno 1280. Hic fuit intrusus, & sponte resignauit. Sedit annis 5. mens. 2. dies 4.

VVERNHERVS XXXIIII. Abbas obiit Anno 1292. Rexit annis 11. mens. 7. dieb. 19. Hic fuit priùs Abbas in Prusening.

CAROLVS XXXV. Abbas obiit Anno 1305. Sedit annis 13. menses 8. dies 11. Hic fuit priùs Camerarius, volebat cellam sui ordinis erigere, in loco, qui dicitur Böhamisch Pruckh / & multis vicinis possessionibus dotare; Episcopus Ratisbonēsis Conradus consentit, donat proprietatem illius loci ad ipsum pertinentem. Rudolphus, Comes Palatinus, Dux Bauariæ, dat Ius patronatus in Mospach, cum suis fructibus, Anno 1299. an aliquid secutum vel non nescio.

HENRICVS XXXVI. Abbas dictus de VVinzer, obiit Anno 1312. Præfuit annis sex, mensib. 7. dieb. 16. Vide Auent. lib. 7. fol. 753.

BALDVVINVS XXXVII. Abbas obiit 1324. & in ciuitate Auinione sepultus. Præfuit annis 12. mense 1. diebus 26.

ALBERTVS XXXVIII. Abbas obiit Anno 1358. de Schmitmül ortus. Sedit annis 31. menses sex, dies 11. Hic construxit Bibliothecam, Anno 1346. emit Pentling, cum pertinentiis, à Domino Dietrico de Avv, Anno 1329. Vide Avver de Breñberg, in libro Stemmatum Bauariæ.

ALTHO, dictus Tannstainer, XXXIX. Abbas, obiit Anno 1385. Præfuit annis 27. menses 3. dies 5.

FRIDERICVS de VVeidenberg, XL. Abbas, obiit Anno 1395. Sedit annis 10, mensibus 5. die 1. Huius tempore dormitorium incineratur, salua sancti Colomanni Capella subtus dormitorium, quasi in medio ignis, &c. Fridericus Abbas vno anno reparauit, Anno 1387.

IOANNES Havvner, XLI. Abbas, obiit Anno 1402. Rexit annis 7. mensem 1. dies 20. Sepultus in Capitulo.

VDALRICVS Pettendorfer XLII. Abbas obiit Anno 1423. Sedit annis 20. mens. 6. dieb. 23. Hic sustinuit multas aduersitates propter confirmationem.

VVOLFHARDVS Straus, XLIII. Abbas, hic vtilis Monasterio fuit Año 1451. Abbatiam resignauit, obiit Anno 1454. Rexit annis 27. mens. 7. die vno.

HARTVNGVS Pfersfelder, XLIIII. Abbas, obiit Anno 1458. Sedit annis septem, mensibus 9. diebus 22. Hic fuit Abbas in Michelfeld, & in monte Monachorum Babenbergæ.

CONRADVS Pebenhauser, XLV. Abbas, obiit Anno 1465. Rexit annis sex, mensibus 7. diebus 7. Sub hoc 16. fratres ex Conuentu vno mense peste interierunt.

MICHAEL Teyer, XLVI. Abbas, obiit Anno 1471. Præfuit annis sex, mens. 2. dies 4.

IOAN-

IOANNES Tegernpeck XLVII. Abbas obiit Anno 1493. Sedit annis completis, non plus nec minùs, 22.

ERASMVS Münzer XLVIII. Abbas de Napurck ortus, obiit Anno 1517. Rexit annis 23. mensibus 7. die vno.

AMBROSIVS Münzer, XLIX. Abbas, obiit Anno 1535. Sedit annis 18. mēses 4. dies 18. filius fuit fratris Antecessoris sui Erasmi Abbatis.

LEONHARDVS Pfenningman, L. Abbas, obiit Anno 1540. Præfuit annos 5. menses 2.

ERASMVS Nitenauer, LI. Abbas, obiit Anno 1561. vir per omnia laudabilis, bonus Oeconomus. Sedit annis 21. minùs 60. dies.

BLASIVS Baungartner, LII. Abbas, de Geisenfeld oriundus, obiit 1575. Optimè hic quoque præfuit, Hainspach arcem & Hofmarchiam, ac alia multa prædia emit.

AMBROSIVS Mairhofer LIII. Abbas vnanimiter electus, Anno 1575. Hic sequens vestigia prædecessorum hodie adhuc laudabiliter vt bonus Oeconomus præest. Ibrichingæ loco æditiore pulchram domum construxit, hinc in totum ferè pagum Danubij Tunagou prospicit. Turrim campanarum præ vetustate ruinosam destrui, ac ex fundamentis quadrato lapide maximis impensis nouam fieri curauit, insigne ac magnificum opus & laude & æternitate dignum.

SVNT ibi sepulti, extra Imperatorum, Regum, Principum ac Episcoporum sepulchra,

Comites de RIETENBVRG,
Comites de VVASSERBVRG,
Domini de ABENSPERG,
Nobiles de HABSPERG.

HÆGLVVERD

MONASTERIVM, quasi medio itinere inter Traunstain & Reichenhall, fundatur à Comitibus de Plain. Leutoldus Comes obligaris quibusdam prædiis ac beneficiis suis, Anno 1219. religionis ergô, ad terram sanctam proficiscitur, pauperibus multa largiens, sagitta oculum amisit, inde rediens, Taruisij obiit. Eius ossa ab Eberhardo, Salisburgeñ. Archiepiscopo, Vlrico Patauiensi, ac Rudigero Chiemensi, Episcopis, in Hægelvverd translata, eodemq; die Monasterium ibidem consecratum est ab illis.

HOC EX Chronica sancti Petri in Salisburga, Idem Bruschius de Laureaco veteri sub Vlrico Episcopo, fol. 177. Auentinus autē lib. 7. Annalium fol. 664. dicit Vlricum Episcopum in Ægypto cum multis aliis periisse.

FVERVNT hi Comites etiam fundatores Reichersperge ñ. Monasterij.

PRAEPOSITI Hægelvverdenses plerique Nobiles fuerunt, &c. subiecti ditioni Salisburgensi.

HAIBACH

COLLEGIATA Ecclesia in radicibus Alpium, non procul à Murnau & VVeilhaim, fundatur à NORTBERTO, Comite Hochenvvartensi, ex familia Andecensium Comitum, qui fuit Præpositus olim Cathedralis Augustensis Ecclesiæ,

 postea

posteà Episcopus Curien. factus, largitionibus magis, quàm iusta electione; cultamen sex annis vtiliter præfuit, vt Catalogus illorum Episcoporum habet.

Ex Episcopatu illo per Hermannum Saxonum Ducem, post Rudolphum ab Episcopis quibusdam in Imperatorem electum, Anno Domini 1085. deturbatus, Monasterium Haibacense de suis ædificans ibidem mortuus est, Anno 1087.

Pater huius Episcopi Rapoto, mater Hemma, frater Ortolphus, soror VViltruda, fundatores Hochenvvartensis Monasterij, vt ibidem latiùs.

EXTAT DIPLOMA HVIVS FVNDATIONIS, CVIVS TENOR SEQVITVR:

IN NOMINE sanctæ & indiuiduæ TRINITATIS. Notum esse volo fidelibus Christianis, præsentibus & futuris, qualiter ego Nortpertus, gratia Dei Præsul Curiensis, petij Adalberonem, liberum & ingenuum hominem, vt solenni traditione traderet super altare S. Mariæ in Augusta ciuitate, proprium meum Monasterium Hegibach, quod in manum ipsius tradideram, cum manu Aduocati mei Gebinonis, liberi hominis & ingenui. Hoc Monasterium Hegibach, in meo proprio & hæreditario agro situm, in Boiarico Ducatu, in pago Husin, in Comitatu Sigemari Comitis, conditum & dedicatum in honore S. Vdalrici Confessoris, me petente, libera manu tradidit. Idem prædictus Adalbero super altare sanctæ Mariæ, cum omnibus vtensilibus, ad id iure pertinentibus, in mancipiis vtriusq; sexus, Ecclesiis, decimis, vineis, terris, cultis & incultis, agris, pratis, cāpis, pascuis, syluis, venationibus, aquis, aquarúmue decursibus, piscationibus, molis, molendinis, viis, inuiis, exitibus & reditibus, quæsitis & inquirendis, ac cum omni vtilitate, quæ vllo modo inde prouenire potest, dedit & donauit Augustensi Ecclesiæ insolubili iure tenendi. Eo autē pacto hanc traditionem effeci, vt Præpositus Canonicorum, in prædicto Monasterio Hegibach regulariter commanentium, quotannis tribuat bisantium vnum super altare S. Mariæ in vrbe Augusta, & hoc censu persoluto, sit illud Monasterium Hegibach liberum ab omni exactione, néue Episcopus, néue Aduocatus, nec quęlibet persona ab eodem Monasterio exigat plura donaria vel seruitia, neq; vllam calamitatem & inquietudinem eidem loco inferat. Præterea pactum hoc firmum esse volo, inter me & Episcopum sedis Augustæ, vt præfatum Monasterium Hegibach, me viuente, nemo Præpositus adeat, præter quem ego petiero ab Episcopo sedis Augustæ. Volo etiam pactum hoc inconuulsum & stabile in tempora futura manere, vt in præfato Monasterio Hägibach nemo præsumat nomine Rectoris subintrare, qui non sit oriundo natus ex mea cognatione. Sed si qui sint in cognatione mea sapientes & literati, inter eos, qui me propiùs attingit genere, defuncto Rectore & Præposito, succedat ibidem Rector & Præpositus: Si verò, quod absit, ex stirpe nostra vir industrius & idoneus defecerit, prouideat Episcopus Augustensis libera potestate virum idoneum, qui iura Canonica sciat, & valeat ibidem regulariter administrare. Complacuit etiam nobis, vt Cœnobialis vita eiusdem loci in mea potestate posita sit, dum viuo, & ibidem Deo seruientes teneant instituta regulæ, quæ dederam eis. Et si mihi visum fuerit, vt ad alia & meliora instituta transeant, iuxta meum arbitrium & meā voluntatem hæc omnia fiant. Hoc quoque placitum constat inter me & Episcopum Augustensem, vt, dum viuo, nemo habeat aduocationem illius loci, præter eum, quem petiero eiusdem loci defensorem & Aduocatum fieri. In futura quoque tempora hoc volo ratum & inconuulsum manere, vt aliquis de cognatiǫne mea liber & ingenuus valęns & industrius aduocationem illam teneat, neque ex alia cognatione quisquam aduocationem illam sibi præripere valeat. Si quis autem Aduocatus eiusdem Ecclesiæ bona diripere præsumpserit, & vastare locum institerit, potestatiuè depellat eum Augustæ sedis Episcopus, & digniorem eo subroget in

eandem

eandem Aduocatiam, Si quis in genere meo fuerit illo dignior inuentus; Sin ita futurum est, vt de genere meo deficiat vir clarus & industrius, ac timens Deum, aliunde quæratur Aduocatus ingenuus & idoneus, & qui timeat Deum.

SI VERÒ Episcopus & Aduocatus in simul hæc mea statuta euellere & infringere temptauerint, quisquis hæres meus natu mihi proximus extiterit, liberã potestatem habeat, Bisantios duos tribuere super altare S. Mariæ, & præfatũ Monasterium Hegibach in suam proprietatem recipere & ab iniuriosis exactionibus illud defendere. Si verò, quod absit, & Episcopus & Aduocatus, & cognati mei cõspirauerint, hæc statuta mea euellere, & præfato Monasterio calumniam inferre, & si hanc conspirationem opere adimpleuerint, nisi infra sex Mensium spatia Episcopus ille, monitus ab aliqua digna persona, Monasterium idem restituerit liberũ & illæsum, vt fuit priùs, liberam & iustam potestatem habeat Rex & Imperator, quicunq; tempo rum eorundem Rex & Imperator fuerit, vt idem Monasterium in tutelam suam recipiat, datis pro eo duobus Bisantiis super altare S. Mariæ, & Imperiali patrocinio liberum hoc custodiat, & à calamitosis iniuriis defendat. Testes per aurem tracti, qui viderunt & audierunt hæc, subter annotati sunt, VValrchun de Röchelingin, Hartvvic de Heinricheshouen, Kuenrad de Lutevvane, Alberich de VVagenhouen, Diethmar de Lenginmos, Engelschalck de Radelstorf, Friderich de Stoupha, Burchart de Pancingen, Adalbero de Chisingẽ, VVolftigil, Gotebold, Rontprecht de Tierdorf, Gebhart, Gebino, Conrat, Sigvvart, Egilolf, Schvvigger; seruientes verò Episcopo, qui viderant & audierant hæc, isti sunt, Adalgotz, Luitfrid, Gerunc, Hildepold, &c. Canonici verò de S. Mariæ Monasterio, qui viderunt & audierunt, isti sunt, Ericharich Decanus, Ruodolph Vicedominus, Aizzo, &c. Facta est traditio hæc, præsente Domino Sigefrido secundo, Augustæ sedis Episcopo, anno Episcopatus eius octauo, ab incarnatione Domini M. LXXXV. Indictione octauâ, quinto Kalendas Martij Curicñ. Episcopi anno sexto: Domini autem Heinrici inuictissimi Regis quarti, gloriosissimi Imperatoris III. Anno XXIX. Acta in ciuitatè Augusta fœliciter.

NOBILES de Seeueld, Aduocati huius Ecclesiæ, propter plurima illata grauàmina, per Ludouicum Imperatorem, oblatis duobus Bisantiis, ad altare sanctæ Mariæ Augustæ, iuxta tenorem primæ fundationis, priuati sunt Aduocatia: Qui dedit eis Aduocatum, Præpositum nouæ suæ plantationis & claustri in Eral, cui annuatim persoluerent 24. mensuras auenæ VVeilhaimensis mensuræ, & 12. agnellos eius anni, ac sic ab omni exactione & seruitio liberi essent. Datum earum literarum Ludouici Imperatoris Augustæ, Anno 1332. in die Philippi & Iacobi, anno regni XVIII. Imperij. *Ex libro fundationum Monasteriorũ aliquot Bauariæ, &c. scripto in Diebrami Zella.*

Heilig Berg *ANDEX. Vide ibi, Andex.*

HOCHENVVART MONASTERIVM

MONIALIVM ORDINIS S. BENEDICTI.

SECVNDVM Ioan. Auẽt. Sumuntorium vel Alta specula, celebris olim arx Comitum Andeceñ. & Taurensium, qui inter Halam & Oenipontẽ antiquitus habitantes, inde hoc Monasterium in hodiernum diem certos habet redditus, nempe ex villa Thaur, &c. Ab hac arce quoq; Comites de Alta specula vel Hochenvvartẽses *Fol. 32. 03.*

 dicti,

dicti (arcem etiam Schrobenhusianam condidisse perhibentur) nunc verò Monialium Benedictinæ professionis & Augustanæ Diœceseos elegans, in amœnissimoq; monte ad Parrium fluuiolum situm Cœnobium, fundatum & ex arce in Oratorium, ex domo venationum & voluptatum, in precationum & honestorum studiorum domū conuersum est à Rapothone, Com. de Tauris, eiusq; coniuge Hemma, Austriæ Ducissa (quam Bruschius alio loco de Monasterio Thiethaupten, Com. de Tonavverd vocat, quod verisimilius est) amborumque horum honestissimorum coniugum liberis, Ortolpho & VVillitrude, in hoc ipso Cœnobio quiescentibus, de quibus tale ibi legitur Epigramma:

Ortolph VViltrudis huic claustro causa salutis
Poscunt obsequia sub munere quotidiana,
Hemma quibus mater, Rapotho quippe pater.

Templvm Summuntorianum B. Virgini Mariæ & S. Petro Apostolorum Principi dicatum & consecratum est, Anno Domini 1074. Indictione XII. ab Imbricone Episcopo Augustano, sub Imperatore Heinrico quarto. Ortolphus Comes verus fundator interfuit expeditioni aduersùs Saracenos in Iudæam susceptę à Godefrido Bulionensi Nobilissimo, & victoriosissimo Lotharingiæ Principe, quē adiuuit etiam in recuperanda terra sancta & occupandis Hierosolymis, Anno Christi 1099. Idcirco insignibus priuilegiis & plurimis reliquiis (quę certis temporibus magna veneratione in hoc Cœnobio annuatim ostendi solent) donatus est à Roman. Ecclesiæ Pontificibus. Obiit verò Ortolphus Comes in itinere, cùm rediret à terra sancta, antequàm patriæ appulisset, ad quam tamē mortuus reuectus, & in Templo hoc Hochenvvartensi honorificè reconditus & humatus est, prope sororem ac parentes. Post obitum fratris Ortolphi, Domina VViltrudis omnia bona paterna collectæ piarum sororum congregationi, & inceptæ à parentibus ac fratre domui Dei tradidit, cuius ipsa prima legitur fuisse Gubernatrix & Abbatissa. Obiit Aňo 1081. ex Chron. Monast. Extat de ea tale adhuc in Cœnobij monumentis epigramma:

Quando valedixit VViltrudis inclyta mun- } *do.*
Floruit hìc primòper eam monasticus or- }

Tvmvlo eiusdem primæ huius loci & fundatricis & gubernatricis tales antiquitus superadditi fuerunt versiculi, nunc omnino aboliti.

Virgo flos florum, praclarè nitens, Superorum
Gemma, tibi vota persoluens concio tota
Per te saluari petit, & pro fine beari.

Intelligendum cum grano salis. Nimirum Vnus quidē Mediator redemptionis Christus Iesus, multi verò intercessionis, &c. Vt patet ex Vetere & nouo Testamento.

Extat ibi totum corpus beatæ virginis Richildis, ac ossa B. Iulianæ virginis, ex societate S. Vrsulæ, cum multis aliis Sanctorum reliquiis, olim propter persecutionem absconditis ac quasi perditis, repertis verò posteà sub Alberto, Duce Bauariæ, tempore reformationis huius Monast. præsidente Abbatissa, Barbara Hinzenhauserin, ex Neuburgensi Monasterio huc vocata, &c. Anno 1485.

Fvndatorvm bis in anno, cum diuinis officiis & distributione eleemosynæ celebratur anniuersarius, similiter in die animarum anniuersaria fundata. Collatio seu ius patronatus Parochiæ in Schrobenhausen, cum duabus Missis, teloneo, tribus molendinis, iure piscandi ac decimis ibidem, ad hoc Cœnobium pertinent, similiter collatio Missarum in vico Hochēvvarr, ac Ecclesia in Lauterpach, vineas habet in Kelhaim parum vtiles, & quædam prædia in Comitatu Tyrolensi.

SEPVLTI sunt ibi nobiles Iudmanni de Arnpach, Sandicelleri ac Starzhauserij de Adlzhausen, Item die Vogt von Arenpach/fuerunt aliquando Aduocati huius Monasterij, nempe Vlricus Vogt, certis tamen conditionibus & modis, scilicet vt annuatim non plus quàm vnam mutam auenæ, & vnum agnum acciperet, à steuris & aliis exactionibus abstineret, vt decisum fuerat per Ruedolphum Ducem Bauariæ, confirmatum per Ludouicum quartum Imperatorem, & Ludouicum Marchionem filium, Anno Domini 1348. verisimile est, hos nomen ab hac Aduocatia sibi sumpsisse.

CONSECRATVM est iterum templum huius Monasterij sub Adelhaide secunda, quæ præfuit Anno 1240. sub Gregorio nono Pont. & Friderico Imperatore, à Sibothone, Episcopo Augustano.

SVB gubernatione Catharinæ Voglhuterin, quæ anno 1511. electa, obiit Anno 1545. incendio periit Cœnobium, Anno 1516. per ipsam mediocriter refectum & restauratum.

ANNO 1547. in bello Germanico seu Schmalkaldico Cœnobiũ direptum & spoliatum est, tam ab hostibus, quàm à vicinis &c. sub D. Scholastica Poppenpergerin Abbatissa &c.

ITEM Anno 1569. Clinodia & reliquiæ huius Monasterij nocte, fractis ferramentis Sacrarij, per aliquot sacrilegos nebulones rapta; elapsis aliquot mensibus, quædam reliquiæ in densitate quadam nemoris Hagnau prope Schrobenhausen fortuitò repertæ, citra tamen aurum & argentum, quæ sacrilegi ibidem post raptum inter se diuiserunt: plerique illorum variis in locis, ac ob alia maleficia posteà capti, meritas luerunt pœnas &c.

ANNO 1572. sub Abbatissa, Barbara Brenzingerin, muliere cordata, ac ad rem domesticam attenta, ædificia Monasterij vetusta repenè collapsa, incepta sunt refici, restaurati, ac quasi de nouo extrui, non sine ope Illustrissimi Principis Alberti, Ducis Bauariæ ac coniugis suæ &c. Quod Deus bene uertat.

IESV SOCIETAS INGOLSTADII.

VIVEBAT adhuc R.P. Ignatius de Loiola, Hispanus Baro natus, & idem primus Societatis Iesu fundator atque Præpositus, sub Paulo nimirùm quarto Pont. Maximo, cùm Illustrissimus Bauariæ Princeps Albertus omnino decreuit, vt ex eadem Societate Collegium Ingolstadii constitutum haberet. Huc illum excitabat Regis Romanorum tunc Ferdinandi exemplum, qui simile Collegium Viennę non ita pridem erexisset, & percelebris fama nouam hanc Societatem & præclaros eius in Ecclesia, nouoque orbe conatus valde commendabat, tum is Ingolstadiensis Gymnasij status erat, vt eiusdem Societatis operam & in docendo subsidia postulare videretur, præsertim cùm nonnulli Societatis huius Theologi, qui sub Illustrissimo Duce Gvilielmo ex vrbe missi, primùm eò accesserant, ac deinde à suis Maioribus auocati, Viennam accesserãt, bonam sibi gratiam in eo Gymnasio conciliâssent, suique desiderium illic reliquissent. Quare cùm dictus Præpositus Ignatius Illustrissimi Ducis Alberti votis annuisset, dicti aliquot eiusmodi Societatis viri ex Italia missi, Ingolstadium peruenerunt, primoq; Societatis huius in Bauaria Collegio dederunt initium, Anno Christi Domini 1556. Domicilium illis in veteri, vt vocant, Collegio assignatum fuit, ad annum vsque 1576. quando ad ædes ampliores atq; commodiores, quæ nouæ adhærent Bibliothecæ Gymnasij, commigrârunt.

ANIMAD-

Animaduertit enim Illustrissimus Princeps ex re illius Academiæ, ac totius Bauariç futurum esse, vt & Professorum & Studiosorum huius societatis numerus illic augeretur, qui & pædagogio & Conuictorum externorum domicilio gubernando præessent, suamque darent operam nouis Parochis Catholicis instituẽdis; quorum veluti seminarium idem Illust: Princeps erexit, illorumque curæ concredidit. Hinc porrò in prouentibus annuis facta est accessio, vt circa sexaginta & septuaginta, partim Theologi, partim Philosophi, & variarum artium ac linguarum Professores, partim Scholastici, & administri ex hac societate Ingolstadij beneficio Principis aleretur. Ac res ipsa testatur, fatẽtur & aduersarij Catholicæ religionis, Iesuitas, quos vocant, Ingolstadij nequaquam ociosè versari; Sed de illo Gymnasio hactenus docendo, scribendo, disputando & concionando benè mereri, multisque tùm in sincera fide & religione, tum in literis & disciplinis liberalibus, tum in Christianæ, piæque vitæ institutione prodesse, quicquid tandem illis maligni calumniatores affingant.

DE FVNDATIONE COLLEGII MONACHIENSIS EIVSDEM SOCIETATIS.

ANNVS erat Domini 1559. cùm illustrissimus Bauariæ Princeps Albertus huic Collegio initium ac originem daret, cuius fundationis causam præbuit partim bonus odor & fructus, quem de Collegio Ingolstadiano non sine celebri fama boni perceperant, partim negotium religionis in Bauaria tum temporis vtcunque turbatũ, de quo Nobiles quidam grauiter disceptabant nouandę religionis amantes, partim status Reip. Monachiẽsis, quæ quidem in fide & moribus non optimè constituta videbatur. Locus Collegij delectus est à Principe in Monasterio Augustinianorũ, qui, cùm pauci adessent, facilè passuri videbantur, vt pars horti ipsorum in vsum noui huius Collegij conuerteretur, illicq; & domus & schola extrueretur. Quanquam posteà, cùm frequens discentium numerus nimium veterem Scholam impleret, longè amplior & commodior Schola successit, eaque ab ipsis fundamentis Opt. Mecænatis ac Principis liberalitate, prope Collegium exædificata, multisque classibus eleganter extructa est. Cæterũ licet Monachiẽses erga Collegium malè affecti principiò viderentur, nec deessent, qui probra ingentia obijcerent Patribus, tamen, quoniam figmentorum & mendaciorum vanitas liquidò detecta est, ipsique Patres magis ac magis indies suam integritatem, patientiã, charitatem ac virtutem declarârunt, paulatim effectũ est, vt cogniti eorum conatus, tum in Ecclesia, tum in Schola complures è ciuibus approbatores & fautores haberent. Accessit, quòd experientia teste didicerint Monachiẽses, horum Patrum operam sibi prodesse plurimùm, præsertim in spiritualibus exhortationibus, in religiosa conuersatione, in frequenti ægrotantium visitatione, in salutari & crebra Sacramentorum dispensatione, vt alia id genus pia officia, quæ huius Societatis propria sunt, prætermittãtur. Et certè sunt, qui palam affirment, post erectum hoc Collegium, nouam veluti faciem huius vrbis apparere, & omnia ferè in meliùs commutata videri, populum denique & iuuentutem ad honestatem, modestiam, religionem, longè quàm antea paratiorem & promptiorem esse.

DE DOMO NOVITIORVM SOCIETATIS IESV EXTRVCTA LANDSPERGAE.

CVM Illustris Dominus Comes Schvvickardus de Helfenstain Præfectũ Landspergæ agetet, ab Illustrissimo Duce Alberto impetrauit locum, montem scilicet arci Landspergensi vicinum, in quo sibi liceret, sicut iam pridem in votis habuerat, proprium Societatis IESV domicilium extruere, præsertim in gratiam Nouitiorum siue Tyronum, ad hoc ipsum vitæ institutum piè adspirantium, qui spiritualis Tyrocinij sui tempus illuc absoluant, legitimeque probentur. Eo igitur loco, & in hunc finem domus illa est ædificata; primùm quidem, dicto Comite sumptus suppeditante, & aliis deinde amicis opitulantibus, vt fabrica integra duobus aut tribus annis absolueretur. In eam domum traducti sunt Nouitij, Anno M. D. LXXVIII. quum antea quidem in Monachiensi Collegio incommodè versarentur. Ex eadem domo, quæ nullam adhuc certam dotationem obtinet, Landspergenses suum & ordinarium accipiunt Ecclesiasten.

ILLMVNSTER

OTTO, frater Alberti & Ottogerionis, fundatotum Tegerseeñ. Monast. Illm Monasterium, Ilmo flumini contiguum condidit, circa Annum Domini 739. Collegium fuit Sacerdotum, qui Anno 1495. cum diuo Arsatio Monachium translati sunt, secundùm Ioan. Auentin. in Annalibus, fol. 291.

INGOLSTADIENSIS VNIVERSITAS.

ANNO Domini 1472. Ludouicus Dux Bauariæ inferioris, præhabito consilio ac autoritate summorum Pontificum, Pij secundi, ac eiusdem Successoris Pauli secundi, primus instituit generalem Vniuersitatem in sua ciuitate Ingolstar, iuxta Danubium, ad formam Vniuersitatis Viennensis, iisdemq; priuilegiis: quam dotauit Capellâ ac domo præbendaria, vulgariter Pfründthauß / quam Ludouicus Dux Bauariæ, dictus Barbatus, ac Comes Martaniæ, agnatus suus, paulò antè pro 12. pauperibus laicis construxerat: Quæ adhuc nomen veteris Collegij retinet, vnà cum suis redditibus ac censibus, necnon illis, quæ præfatus Dux Ludouicus Ingolstadiensibus pro 12. Choralibus, qui die noctuque in Templo B. Mariæ virginis, à se ex fundamentis magnificè constructo, sacerdotiis signis ac ornamentis preciosis decorato, psalmos alternatim legerent, destinauerat. Additis insuper iis redditibus, quos fratres sancti Francisci ibidem ante reformationem iure proprietatis possederant, cum aliis in fundatione contentis, quæ ad sustentationem Doctorum ac Professorum ibidem sufficere videbantur: Quorum ab initio non magnus erat numerus, scilicet vnius ad minùs Theologi, duorũ Canonistarum, vnius Legistę, vnius Medici, ac sex Professorum Philosophiæ ac artium liberalium, qui tunc Collegiati nominabantur, in suprà dicta domo ac communi conuictu commorantes; Quæ ad hæc nostra tempora, vsq; ad Annum 1540. ferè durârunt. Erant quoq; exigua tum salaria Professoribus constituta, nempe ad summam 130. florenorum ac infra.

SECVNDVM primam institutionem tota Schola in quatuor nationes diuisa fuit:

PRIMA fuit Bauarica, sub qua comprehendetetur, Bohemia, Morauia, Austria, Stiria, Carinthia, Sclauonia, Italia, Athesis ac Sueuia.

Secunda natio erat Rhenensis, comprehendens vltra Rhenanum tractum, ea parte, qua Argentoratum, Spira, VVormatia, &c. sunt sita.

Tertia natio Franconica, scilicet Francorum, Hassorum, VVestphalorum, Türingorum, Anglorum, Danorum, Norvvegiorum & Sueuorum.

Quarta natio Saxonica, cōplectens Saxones, Misnios, Silesios, Lusacios, Marchiā Brandeburgēsem, Pomeranos, Stetinenses, Grunlādios ac vicinos Oceano Sēptrionali, Prussios, Russios, Lithuanos, Samegitios ac Polonos: Quælibet harū nationum suum propriū habebat Procuratorem, cum potestate singulis semestribus Rectorē eligendi. Hæc ex Scholis Italiæ ac Galliæ profecta nationum ac procuratorum distinctio, nobis in Germania minùs apta, statim abolita; ac in Senatum Academicum tam Rectoris eligendi, quàm omnis reliqua potestas reiecta est: Creuit quoque paulatim numerus Professorum ac Scholarum vnà cum augmento salariorum ac reddituum, quibus ex decima Ecclesiasticorum prouentuum, consensu summorum Pont. iam altera vice impositanon leuis accessio facta est, Cancellarius Vniuersitatis à S. Pont. delectus est Ordinarius loci Episcopus, nempe Aichstetensis, qui suum vicegerentem seu Vicecancellarium Ingolstadij habet, vnum ac illum quidem pręcipuū Theologiæ Professorem.

GEORGIVS Dux Bauariæ, filius Ludouici prædicti, confirmans & subscribens patris institutioni adiecit ac construxit aliud Collegium, quod nouum seu Georgianum prope vetus vocant: In quo sub Regente pauperes Scholares à ciuitatibus Bauariæ suæ ditionis præsentandi, ac alij Stipendiati, vt vocant, artium liberalium Studiosi vsque ad gradum Magisterij alerentur.

ALBERTVS Dux Bauariæ, piæ memoriæ nuper defunctus, hunc pauperum numerum auxit, disciplinæ Iesuitarum, quos idem Dux pio zelo illuc collocauit, in veteri Collegio subiecit, ac Theologico studio incumbere iussit, vt hinc tanquam ex seminario subinde viri pij ac docti Parochiis ac concionibus verbi diuini præfici possent, qui alumni Principis vocantur.

Deficientibus paulatim ac frigescentibus aliis Germaniæ Vniuersitatibus, hæc nostra Catholica Schola crescere ac florere cœpit, præsertim in Theologico ac Iuridico studio. Omnipotens ipsam ad sui nominis gloriam, ad salutem Ecclesię suæ Catholicæ, ac communem vtilitatem totius Reipub. Christianę, præsertim nostræ Germaniæ quàm diutissimè florentem ac incolumē conseruare dignetur. Amen.

S. MAGNI MONASTERIVM.

ORDO S. Augustini Canonicorum regularium, in suburbio Ratisbonę vltra pontem, vulgò am Hof.

Circa annum 1135. ædificatum est hoc Monasterium, per quendam Gebhardum, Ratisponeñ. Canonicum, Presbyterum. Rex Conradus Hierosolymis reuersus, cùm Ratisponæ de obsidendo Chelhaim consultaret, consilio fratris vterini, Heinrici S. Leopoldi filij, qui tunc Ducatum Bauariæ tenebat, suburbium Ratisbonense Monasterio isti dedit, Anno 1138. Otto Frisingen. meminit obsidionis lib. 1. cap. 63. de vita Friderici Imperatoris; sed de donatione S. Magno facta nihil &c.

HARTVVICVS secūdus Episcopus huic Monasterio alia quàm plurima priuilegia dedit, inter quæ etiam Ecclesiam in Saler, Anno 1156 & 1161. Diplomata ibi extant, quorum copia sequitur.

IN

In conſcriptionibus apud S. Magnum habetur, quòd prædictus Gebhardus fundator fuerit de familia Comitum de Raning, cuius caſtri veſtigia adhuc extant, iuxta Labarum amnem. Ioan. Auent. lib. 6 fol. 622. ita habet: Conradus, Heinricus, Gebhardus, myſta Reginoburgeñ. fratres Germani de Raning & Rotenburch Comites, cum matre Matlelda Päring, & diuum Magnum ad confluentes Danubij & Regni, in aduerſa Reginoburgij ripa, Monachis Auguſtinianis dedicant.

COPIA LITERARVM HARTVVICI EPISCOPI RATISPONEN.

NOTVM ſit cunctis Chriſti fidelibus, tàm futuris quàm præſentibus, quòd venerabilis Hartvvicus, Dei gratia, Ratisbonenſis Eccleſiæ Epiſcopus, petente Diętherico, Ripenſi Prępoſito, altare in Monaſterio eiuſdem loci in honorem beati Andreæ dedicauit Apoſtoli. Verùm Dominus Epiſcopus, penuriã loci illius circũſpecta mente perpendens, qualiter honorificentiam B. Andreæ Apoſtolo ibidem exhiberet, cum Conuentu maioris Eccleſiæ, quem Præpoſitus ad dedicationẽ inuitauerat, diligenter inſiſtebat. Proinde ergò cum communicato conſilio decimam, propriè dotẽ cum baptiſmate, & ſepulturam proprię villæ altari B. Andreę obtulit, pro dote, quatenus ſepultura ꝓpriæ villæ eſſet dos, eſſet Parochia Eccleſię riparię.

Hanc itaque dotem ſuo priuilegio Domino Epiſcopo confirmare volente, Dietricus, Præpoſitus Eccleſiæ ſuæ, magis volens prouidere initialem ſtatũ eiuſdem loci, à primo fundatore, & quæ ſuo tempore geſta fuerant, ſimul expetiuit Epiſcopũ priuilegiare; procedentibus igitur cum multitudine viris religioſis, qui ſtatũ Eccleſiæ in ordine ſuo cognouerant, de rebus autem geſtis fidem nobis præſtiterũt, quòd videlicet eo tempore, quo bonę recordationis Rex Chuenradus caſtrum Ottonis, Palatini Comitis in Kelhaim obſederat, quòd idem Rex eodẽ tempore in propria perſona venerit, & Eccleſiã B. Magni intrauerit, & prædium illud Ripẽſe cum omni ſua attinẽtia regali proprietati ſubiecerit: Et quòd Marſchalcus inueſtiturã ararũ, à colonis villæ riparię collectam, Regi in quinquaginta duobus talẽtis acceperit, & hac ſumpta pecunia, Rex ad obſidionem redierit. Poſteà verò Gebhardus, Prouiſor Eccleſię Ripẽſis, cum Ducatu duorum Marchionum, Diepoldi, videlicet Marchionis de Vohburg, & Berchtoldi Marchionis de Andechſe, quorũ Confeſſor erat, præſentiã Regis Chunradi adiit, hoc ab eo expoſtulans, quatenus intuitu diuinæ remunerationis prædium, in quod manum poteſtatiuam extenderat, Deo & Canonicam regularem vitam ibidem ducentibus largiri dignaretur. Rex igitur ad petitionem tàm venerabilis viri promptus exiſtẽs, prędium, quod petebatur, quod eſt ſitũ inter duo flumina cum omni ſua attinentia, vſum quoq; fluminũ vſq; ad medium, coram principibus, Deo & Sanctis eius, Andreæ, ſcilicet Apoſtolo, & B. Magno Confeſſori, cõtulit pro dote & Canonicis regularibus, ſicut petiuit fidelis Gebhardus, eſt largitus; Veruntamen hac conditione interpoſita, vt ſi aliquando Clerici illi diſtraherẽtur aliqua violentia, prædictũ prædium aut rediret ad regalem fiſcum, vel ſi quid ordinauerint illi fratres, dignum permaneat ratũ; vnde etiam Aduocatiam ipſius Eccleſię, petente tamẽ Gebhardo, ſuo retinuit dominio. Ad recompenſationem aũt talentorum, quæ Rex, vt prædictum eſt, ab incolis illis acceperat, hanc gratiã Eccleſiæ ſuæ contulit. Nam cum cõſilio fratris ſui H. (id eſt, Heinrici) Ducis Bauariæ, & H. vrbis Pręfecti, publicam mercaturam in villa ſiue ciuitate Riparia, omni feria tertia inſtituit: Ipſam quoq; mercaturam & penſiones, & quicquid ſolui debet de mercimoniis, in foris ſtatutis, cum iudicio ciuili, præter ſanguinis damnationẽ, cuncta Eccleſię, pro vſu fructu, firmauit Ripariæ, quæ huc vſq; hodie tenet quietè. Conſtituit etiam Rex, quatenus Præpoſitus, et fratres Ripẽſes, metretam de ſemine porri vrbis

Præfecto soluant annuatim, ob recordationem & testimonium eorum, quę per Regem in prædicta Ecclesia gesta sunt. Dñs igitur Episcopus, simul cum Choro religiosorum virorum, audito testimonio & illo approbato, tàm illa, quę à Rege Conrado gesta constabant, quàm ea, quæ ipse ex sui gratia in præsentiarum cōcesserat, vt nulli omnino ea in posterum annullare, vel in irritum ducere liceret, autoritate & Bāno Episcopali, scripto atq; sigillo suo Ecclesiæ Ripariæ confirmauit: Testes huius rei sunt hi, VVerinherus Præpositus, Heinricus Decanus, Heinricus Schazuliese, Rudigerus Cellerarius, Bruno de Hæsenakher, Bernhardus Niger, Merboro, Diethmarus Plebanus, Chaldelhahus de Ahusen, Chuno de Raitenpuech, Berchtoldus de Sinzingen, Heinricus Fren, Hermānus Grossus, Hęrtvvicus Dapifer Episcopi, Diethmarus de Sinechingen, Altmannus de Eglosshaim, Chuno de Hofedorf, VVallo & fili⁹ eius VVallo de Falckenstain, Ortliep Chęspitz, Haitrolikh in Haide, Laurvvin Listmar, Fridericus Cumore, Heinricus Rugvveize, Fridericus Paruus, Vsto de Pennethapelle, Karolus, filius Rudigeri, Gotfridus Hircellus, & fili⁹ eius Gotfridus, Hærtvvicus in Porta, Rutlandus de Puchse, Ludouicus Magister Coquinæ. Facta sunt autem hæc Anno ab incarnatione Domini M. C. LVI. in festiuitate beati Martini, Episcopi & Confessoris, regnante Domino nostro Iesu Christo.

COPIA ALIARVM LITERARVM
EIVSDEM HAERTVVICI, &c.

NOVERIT hoc tàm præsens ętas quàm succeffura posteritas, quòd ego Hęrtvvicus Dei gratia, Ratisbonen̄. Ecclesiæ Episcopus, cùm propter frequentes meas infirmitates, tum etiam propter aëris temperiem, ac loci amœnitatem, apud Ecclesiam S. Magni sæpius requiescerem; accidit, vt Diethmarus, maioris Ecclesiæ Plebanus, habitum assumeret monasticæ religionis, in Monasterio B. Emerani Martyris. Quo facto, Ortvvinus, prædictæ Ecclesiæ Præpositus, assumptis secum duobus venerabilibus viris, Alberto, videlicet Abbate S. Emerani, & Gevvolfo, Abbate Kastellensi, in præsentiā se nostram obtulit, multimodam Ecclesiæ suæ nobis expones inopiam, ac deinde immensum laborem in ædificādo nouum Monasterium: Quod quidem fundator satis nobiliter inchoauerat, attamen minùs ex aliqua parte perfecerat; nobis etiam de hoc supplicans, quatenus in leuamen sui laboris, & Ecclesiæ suæ sustentationem, aliquod stipendium in Ecclesia nobis vacante, dignaremur exhibere. Abbates verò nos tam venerabilis viri petitionem nō debere frustrari commonentes, quem etiam à Decania in Kiembse non paruis precibus nuper assumptū, sub spe bonæ prouisionis in Ecclesia Ripensi locatū, nos Ecclesię suę propter ipsum asseruerunt dignè esse benefacturos. Nos itaque ad petitionem tantorum virorum Chorum Ratisbonen̄ simul cum Ministerialibus sancti Petri, in prædictum locum conuocauimus, exponentes eis pia consideratione, quæ audiuimus; Vt & ipsi recordarentur beatæ memoriæ Gebhardi Presbyteri, quondam ipsorum Confratris & Concanonici, qua fide & dilectione eis astiterit, qui ob amorem ipsorum, eorum etiam obtinendum suffragium, Ecclesiam Ripensem, cùm libera esset, voluntariè fecit eis esse censualem. His igitur cunctis præconsideratis, nos mediantibus Abbatibus in vnum conuenimus, & communicato consilio Ecclesiam in Saler, sub tali conditione contulimus Ecclesiæ Ripariæ, quatenus Plebanus maioris Ecclesiæ, omnium vinearum eiusdem Parochiæ; Præpositus verò S. Magni omnem decimam frugum cum oblatione fidelium possideret in perpetuum. His itaq; cunctis sic ordinatis, vt nulli omnino ea in posterum annullare, vel in irritum ducere liceret, Autoritate & Banno Episcopali scripto, ac sigillo nostro, Ecclesiæ Ripariæ confirmauimus.

TESTES

TESTES verò huius rei sunt hi, Albertus Abbas S. Emerani, Gevvolfus Abbas Castellensis, VVernherus Præpositus, Heinricus Decanus, Rudiger Cellerarius, Kadelhohus de Ahusen, Bruno de Hæsinakher, Vlricus Scholasticus, Chuno de Reitẽpuch, Merboto, Berchtold de Sinzinge, Berchtold de Claffchinkh, Bernhart Niger, Hermannus Grossus; Capellani verò Episcopi, Heinricus Abbas de Münster, Heinricus de Roro, Egilolphus, Rapoto, Regil, Vlricus Vicedominus, Sigehardus de Eberpeunt, Nizo de Neitenpuech, Hartvvicus Dapifer, Diethricus de Hæsinackher, Diethmarus de Sinichingen, Albertus de Auttingẽ, Vlricus de Hohenbergk, Hartvvicus de Liechtenberck, Ortliep Chæzpizze, Ærbo Sculteta, Fridericus Paruus. Facta sunt autẽ hæc Anno ab incarnatione Domini M. C. LXI. in vigilia Apostolorum, Simonis & Iudæ.

S. IOANNIS BAPTISTÆ
IN FRISINGA

COLLEGIATA Ecclesia dotata & fundata per Albertum, Episcopum Frisingensem, circa Annum 1180. cõsummata per Conradum tertium, Episcopum, qui ibi instituit sex Canonicos, vnà cũ Præposito, &c. Conradus iste Episcopus, Monacensis, Doctor Canonum, obiit anno septimo suæ administrationis, veneno, vt putatur, sublatus, Anno 1322. Vide Episcopos Frisingenses.

I S M

IOSEPHVS Episcopus Frisingensis, ope Vtilonis Ducis, Collegium mystarum instituit, cui flumen Ysenitcus, in cuius ripa conditum est, nomen fecit, sicut & vico Ysm, circa Annum 750. vel 760. Auent. in Annalibus fol. 291.

MALHARSTORF, ALIAS MALHARZDORF ET MADILHARTISTORF, S. BENEDICTI ORD.

FVNDATVR per Heinricum & Ernestum filium, Comites de Kirchperg, Anno 1109. Auent. in Annalib. fol. 614. ita ponit: Eadem tempestate Heinricus & filius eius Ernestus, Comites à Kirchperg, arcem suam Mallerstorf, in inferiori Bauaria prope Laberamnem sitam, in Templum commutant; Hartvvicus Ratisbonensis Episcopus dicat, sacris D. Benedicti initiat, Burckhardum Magistrum, id est, primum Abbatem legit: Primò ibi iuxta castrum, in quo Comites illi residebant, ædificata est Capella in honorem S. Burckhardi, quæ adhuc hodie vetus & prima fundatio appellatur, die alt Stifft/ & non tantùm pro Abbate & Monachis, quàm etiam pro Priorissa & Monialibus sancti Benedicti ordinis, quæ posteà defecerunt, inde totum castrum in Monasterium transiuit. Sunt autem in illa Capella sancti Burckhardi, non solùm fundatores sepulti, verùm etiam sex alij illius familiæ, testatur vetustus lapis ibi, cum hac inscriptione:

Hic fundatores Comites tumulus capit iste,
In cœlis Christe fac eos tibi proximiores.

Hoc Monasterium fuit per manum liberi hominis Eberhardi Ecclesiæ Bambergensi collatum, confirmatum per Innocentium Pontificem, Anno 1139.

LOTHARIVS tertius Imperator quoque confirmat additis priuilegiis, qui dicit Henricum & filium eius Ernestum, fundatores, ad familiam nostri regalis loci, inferioris videlicet Monasterij, in ciuitate Ratisbona pertinere, & fundum, in quo Monasterium ædificatum, pertinere ad Monasterium inferius; ideoque annuam pensionem solui, & ibi non solùm Abbatem cum Monachis, verùm etiam Abbatissam cum congregatione fuisse, Anno 1129. Testes, præter Ecclesiasticos aliquot Episcopos, Heinricus Dux Bauariæ, Diepoldus Marchio, Otto Palatinus Comes, qui tunc fuit Aduocatus Monasterij, Berchtoldus Comes, & filius eius Poppo, Hermannus, Comes Saxoniæ, Adalbertus Comes, Item de Ministerialibus, quorum tantummodò nomina propria posita. Idem Lotharius in aliis literis de eodē Monasterio sito in castro Madilhartisdorf: Testes Engelbertus Marchio, Vdalric⁹ Dux, filius Engelberti Ducis, Anno 1135.

HENRICVS quintus Abbas construxit ibi Templum maius sancti Ioannis Euangelistæ, dedicatur per Leonem, Episcopum Ratisbonensem, Anno 1167. Ludouicus, primus huius nominis, Dux Bauariæ, filius Ottonis primi, dedit huic Monasterio priuilegium super Aduocatia & protectione huius Monasterij: In quo sunt Testes; Palatinus Comes Rapoto, Comes Albertus & frater eius de Pogen, Comes Cōradus de Mospurch, Conradus & Heinricus eius filij, Comes Chalocus de Kirchperg, Altmannus de Hals, VVernherus de Laber, Pilegrinus de Mosen, Hocholdus & Heinricus frater de VVolmutz, Berchtoldus de Schiltperg, Hadmarus de Ahausen, Vlricus Marschalcus de Schrobenhusen, Leutoldus Pincerna de Au, Otto Pes, Conradus Dapifer de Paigerprunn, Conradus de Harpach, Ratholdus de Perg, Ernestus de Neuperg, Heinricus de Trautpach, Heinricus Dapifer de Zell, Berchtoldus Pincerna, & alij complures.

PRINCIPES quoque inferioris Bauariæ aliqua priuilegia dederunt, confirmata posteà per Ludouicum Imperatorem, qui protectorem constituit seu Aduocatum Arnoldum de Mässenhausen, præsidem Bauariæ seu Præfectum, vulgariter vnsern Pfleger zů Bayrn ꝛc. Anno 1343.

EXTANT ibidem in ambitu rythmi germanici de fundatoribus, ac aliis benefactoribus illius Monasterij; quorum etiam insignia ibidem fuerunt ad parietem depicta, sed hodie ferè obliterata: quos, vetustatis ergò, ac pro conseruanda veterum familiarum memoria lubet subscribere:

Die Edlen Herren Wolgeborn/
Zů Kürchperg Grauen außerkohrn/
Mallerstorf gestifftet han.
Graf Hainrich deß von ersten began/
Der hie auff dem Berge saß/
Güter ding er sich vermaß/
Das Closter in der Burg erbawt/
Als man das heut zutag anschawt/
Am alten Münster secht jhr das/
Seiner Gräbnuß er nicht vergaß/
Sein Sůn Graf Ernst von Schirling/
Graf Adelprecht zů Aitinng/
Desselben Sun Graf Albrecht/
Het Aitinng inn mit gůtem recht.

Vnd

Vnd sein Haußfraw genannt Regelind/
Adlhait war jres Schwehers Kindt/ id est, Jres Manns (Schwester.
Graf Ernst der jung zu Traupach saß/
Güter sach er nie vergaß/
Er ließ zwen Sün gar adelich/
Adalbrecht vnd Hainrich.
Graf Hainrich sasse mit witze
Zu Hofferstorf dem Sitze.
Zu Kürchperg saß der letste/
Graf Sadelhoch der peßte/
Gab vns den Vorst zu Puecherlow/
Gott behalt jhn ewigklichn fro/
Mit seinem Stamm in dem ewigen Leben/
Sie haben vns groß Gab geben.
Ihr Acht hie begraben sind/
Ihre Gmahel vnd auch jhr Kind/
Im alten Münster ist vor geseit/
Gott tröst sie in der Ewigkeit.
Es ist auch gebawet in der zeit/
Da man nach Christi geburt seit/
Tausent/ hundert vnd neun Jar/
Das alte Münster also klar/
Von Hainrich dem alten Graffen lobesan/
Seinen Sun Ernsten zu jhm nam.
Sie haben also gelebt in Säligkeit/
Gott erhalt sie in der Ewigkeit.

FVNDATORES ET ALII BENEFACTORES MALLERSTORFENSIS COENOBII.

DJe Stüffter hie der Edel Stamm/
Von Kürchperg Grauen lobesam/
Von Trautpach vnd von Eitinng/
Von Hoferstorf vnd von Schirlinng/
Vnd von Mallerstorf voran/
Dauon vil manicher Edlman/
Rühen hie vnd jhr Gesind/
Ihr Haußfrawen vnd jhr Kind/
Im Creützgang vnd auch anderstwo/
Ihre Wappen seind entworffen do/
Daß wir jhr vergessen nicht/
Gen Gott mit vnsers Bettes frücht:

Wann sie jhr Gaben vns gebn han/
Durch Gottes Ehr auff guten wahn/
Auff sein Barmhertzigkeit dabey/
Er macht sie aller Sünden frey/
Auch der Pein vnd Büß darzů/
Verleich jhn auch die Ewig rhů.
Daß ewr Geschlecht wol werde kundt.
Das lernet hie an diser stundt/
Von Neideckh die Freyen Mann/
Gaißgebler Hopfnetz darnach gan/
Mersenkhouer vnd Inkhouer/
Schicken vnd Neuberger/
Die Lasan / vnd die Panholtz/
Auch von Rhain ein Ritter stoltz/
Vil Greulen vnd die von Sigenhouen/
Zwen Schürff vnd einen von Ynkouen/
Traupeckh / vnd die von Alltheim/
Meckhouer vnd Spritacher nit allain
Grießsteter/Stainkircher/
Diß Gottshauß auch trew Diener/
Aigen vnd Amptleüten vngefar/
Gott helff jhnen an der Engl schar.

MARIÆ ZELLA ORDINIS
SANCTI BERNHARDI.

CONFIRMATIO huius fundationis Nicolai, Episcopi Ratisbonen. ita habet, quòd duobus Eremitis, Godofrido & Alberto, propter ipsorum deuotionem ac intercessionem Rainmarij de Prennberg, nobilis viri, Episcopus cōcessit, in nemore quodam apud castrum Prennberg, in pede montis Schofloch, cellam & habitationem construere & Oratorium ædificare, Anno 1324. In quo loco est hodie Abbatia S. Bernhardi, quæ Cella Mariæ vocatur, &c. Auentinus in suis Annalibus, lib. 7. fol. 790. ita ponit: In Boiaria aquilonari contermina Bohemiæ, in Hercinio saltu Schoflochij, proxime Brennburgium, Roimariarcis dynastæ cōsensu atq; ope Mariæ Cellam auspicatus est Gotfridus Puocher cum Gotfrido Strubingense, & Alberto à Stauff, Fridericus Auer perfecit: Monachi ab Altachio superiori acciti, Nicolaus & Fridericus, Episcopi Ratisbonenses, autores fiunt.

SVNT ibi sepulti Nobiles Aueri de Prennberg, atque illorum Successores, possessores illius castri de Nusperg.

MODO nullos habet Monachos propter tenuitatem redditũm, sed vnum aut alterum secularem Sacerdotem tātùm, eius administratio in secularibus ad dominos castri Prennberg spectat.

BEATÆ MARIÆ VIRGINIS MONACI COLLEGIVM CANONICORVM REGVLARIVM.

ALBERTVS Dux Bauariæ hoc Collegium magnis laboribus & impensis fundauit, & duo Collegia Illmünster, cum reliquiis D. Arsatij, & Schliers ex rure, ab dem Gew/ huc transtulit, ac vniuit, Anno 1499. cui translationi quidam Canonici, præsertim autem Sixtus Episcopus Frisingensis, ordinarius vtriusque loci vehementer se opposuerunt: Sed Dux hoc à Pontifice Maximo impetrauit, à quo & confirmatio facta est. Instituti sunt ibi Præpositus, qui habet duas integras portiones duarum præbendarum, Item Decanus, qui tantundem habet, & 14. Canonici, inter quos & Decanus numeratur: Inter istos deberent esse quinque Doctores vel Licentiati, quinque Nobiles, & ex ciuibus, qui sint honestæ familiæ, & insignia nobilitatis habeant, quatuor. Collatio omnium istorũ beneficiorum est penes Principes Bauariæ.

PRIMVS Præpositus ibi factus est Ioannes Neunhauser, Decanus Ratisbonensis, Cancellarius Alberti, Ducis Bauariæ, vir industrius, circa Annum 1500. erat ex Nobili familia Bauariæ, sed naturalis tantùm, qui donauit huic officio Præposituræ eam domum, quæ adhuc Pręposituræ dicitur, eamque refecit, vnà cum horto ante Wurger Thor sitam. Idem Diuæ Virgini dono dedit auream crucem preciosis lapidibus ornatam, precij 335. florenorum; instituit etiam ibi perpetuam Missam super altare sancti Georgij, cuius tamen Capellanus, Leuitę quoque ministerio fungatur.

ANNO Domini 1271. diuæ Virginis Capella seu Sacellum separatum est à Parochia sancti Petri, ac per se Parochia facta, consecrata per Conradum Frisingensem Episcopum in vigilia S. Catharinæ. Ita Ioan. Auent. in sua met translatione Annalium, quod in Latino omisit.

LVDOVICVS Imperator quartus instituit ibi quotidianam ac perpetuam Missam celebrari, in summo seu altari Chori.

LVDOVICVS Marchio Brandenburgensis, filius, præsentauit Capellanum suum, Vlricum de Berchtolshouen, Alberto Frisingensi Episcopo, quem Auunculum suum vocat, Anno 1353. Erat enim Albertus hic Comes de Hochenberg & Haigerloch, Ludouici Marchionis Auia materna erat eiusdem familiæ.

ANNO Domini 1468. inceptum est amplissimum ac augustissimum Templum beatæ Mariæ virginis in Monachio destructa veteri Capella, quæ indies crescentem multitudinem plebis ampliùs non poterat capere, finitum & perfectum largitionibus præcipuè Ducum Bauariæ, ac piorum hominum eleemosynis, ex coctis lateribus, præter fundamenta eius, Anno Domini.

ALBERTVS Dux, cùm animaduertisset nouum illud Templum pluribus sepulturis nouis ac lapidibus repleri, consilio habito cum ciuibus Monacensibus, seuerè hoc inhibuit; exceptis illis familiis, quæ in veteri Templo ius sepulturæ habuerunt; ita tamen vt omnes de eadem familia nõ ampliùs quàm vnum sepulchralem lapidem ibi haberent, ac nullos alios ex familia admitterent.

ITEM excepti erant quoque Capellani Missarum ibi, quibus etiam vnus lapis permissus est; ita vt quæuis Capella illius Templi non plures quàm duos habeat lapides, vnum pro familia fundatorum, alterum pro Capellano. Factum est hoc Anno Domini 1480. quæ hodie malè obseruantur.

MATIKHOVEN

COLLEGIVM Canonicorum fecularium in Boiaria Noricorum. Iohannes Küchler cum vxore Catharina Mathiekhouiæ, vbi quondam Regum Boiariæ prætorium fuiſſe vetuſta indicant diplomata, Collegium myſtis Auguſtinianis inſtituit, circa Annum 1413. Auent. in Annalib. fol. 811.

MATSEE

MONASTERIVM fundatum à Theſſalono, Duce Bauariæ, religionis ac pietatis ſtudioſiſſimo Principe, vnà cum aliis quibuſdam Monaſteriis, circa Annum 760. Auentin. fol. 303. Hoc Monaſterium Carolomannus Rex tradidit ac donauit Monaſterio à ſe nuper extructo, in loco, qui dicitur Ottinga, &c. cum omnibus ſuis pertinentiis, anno primo regni Carolomanni Sereniſſimi Regis Boiariorum, Indictione IX. Actum Mathechouæ curte regia, &c. Extat diploma Patauiæ, & in libello Ioan. Auent. de Otinga.

CASTRVM ac dominium Matſee pertinuit aliquando ad Eccleſiam Patauien̄. quod Georgius Epiſcopus Patauienſis, cùm ſumptuoſus eſſet, vnà cum ſuo Capitulo vendidit Pilegrino Archiepiſcopo Salisburgen̄. cum omnibus ſuis pertinentiis, pro 15000. libris Viennen̄. denariorum, Anno 1396. aliàs 98.

EST hodie ibi Decanus, vnà cum aliquibus ſecularibus Canonicis, qui quoad ſpiritualia adhuc ſubſunt Patauien̄. Epiſcopo, ſed quoad temporalia Salisburgenſi, ſaluo iure ſupremæ Ducalis poteſtatis ac meri Imperij Ducum Bauariæ, ſecundùm concordata cum Archiepiſcopo Salzbürgen̄. Das Malefitz gehört in das Landtgericht Braunna / ꝛc.

MÄNSEE MONASTERIVM ORDINIS SANCTI BENEDICTI.

VTILO Dux, ex inſtinctu ſancti Pyrminij, Epiſcopi Metenſis, Monaſter. prope Menen lacum Noricorum conſtruxit, circa Annum 739. Auentinus in Annalibus folio 291. 316. Manſee Noricorum ædem, ab Epiſcopis Ratisbonē̄ſibus, in paupertatem redactam, ſacris D. Benedicti impoſito Magiſtro reddit Imperator Heinricus ſanctus. Idem Auentinus folio 507. Baturicus Epiſcopus Ratisbonenſis hoc Monaſterium ab Hemma Regina Boiorum impetrârat, Anno 831. Ipſa ab eodem ſuperius Monaſterium Ratisbonenſe receperat, Auentinus ibidem. Inſertum eſt autem hoc Monaſterium cæteris Bauaricis, quòd à Principibus Bauariæ inſtitutum; Et quia olim vnà cum eiuſdem Monaſt. Aduocatia, caſtro ac dominio VVildeneck, ſub quo ſitum eſt, ſpectabat ad Principes inferioris Bauariæ, quæ poſt bellum Bauaricum Cæſari Maximiliano, cum multis aliis dominiis nomine intereſſe ſeu expenſarum factarum ab Alberto, Duce Bauariæ, data ſunt, incorporata Auſtriæ ſuper Anaſſum, Archiepiſcopis Salisburgenſibus pluribus annis oppignorata; demum à ſtatibus Prouincialibus ſuper Anaſſum redempta, hodie Auſtriacos agnoſcunt ſuos Dominos.

MET-

METEN

NON procul à Deckendorf ac Danubio Monasterium Ordinis S. Benedicti fundatur, secundũ Auent. fol. 316. à Carolo Magno, imposito primo Abbate, Vtone Eremita eius loci. Extat ibi diploma Caroli Magni, cuius Datum 4. Calend. Augusti, Anno Christo propitio 882. anno Augustali in Italia II. in Francia I. Heinricus Pius, Dux Austriæ & Bauariæ, eiectis Canonicis, quos locauit in Pfaffenmünster prope Straubingam, substituit Monachos Benedictinos Monasterienses, Anno 1155. vel 1156.

COMBVRITVR totum Monasterium, Anno 1236. & desolatur vsque ad Annum 1264. restituitur sub Ottone, Duce Bauariæ, Ludouici Imperatoris Auo.

MOSPVRG

COLLEGIATA Ecclesia Canonicorum secularium, olim Monasterium, nunc Clericorum Collegium. Arnoldus Imperator Monasterium & Abbatiã Mospurg dedit ac subiecit Ecclesiæ Frisingensi, vt perpetuò sub eius defensione & potestate esset, Anno 895. Ex libro traditionum Ecclesiæ Frisingensis, tribuit illi Monasterio etiam pascua super eum locum, vbi Ambra in Isaram cadit. Itidem cõfirmat hanc subiectionem & donationem Arnoldi Imperatoris Otto primus Imperator, Anno 940.

DE hac re extat etiam sententia Adalberonis Comitis, in cuius Comitatu Mospurg situm est &c. ex mandato Cunradi Imperatoris, qua sententia Mospurg Monasterium Ecclesiæ Frisingensis iuri ac dominio perpetuò adiudicatur, Anno 1127. ex eodem libro.

HEINRICVS sanctus è fundamento extruxit templum Mospurgij, pro secularibus Sacerdotibus, Auent. fol. 507. De translatione D. Castuli è Roma ibidem Auent. fol. 725.

MVNICHSMVNSTER MONASTERIVM ORDINIS S. BENEDICTI.

AD DANVBIVM infra Vohburg fundauit Diepoldus Marchio de Vohburg, huius nominis quartus, qui ambo Monasteria, Reichenpach & VValdsassen, etiam fundauit secundùm D. Laurentium Hochvvart, in Catalogo suo Episcoporum Ratisponensium.

HOC Monasterium olim ab Vgris exustum, Heinricus nonus, Dux Bauariæ & Diepoldus Vohburgensis Marchio, pro Benedictinis Monachis instaurârunt, Auct. fol. 622. Idem in Vohburgensi familia.

LVDOVICVS Dux Boiariæ confirmauit huic Monasterio Parochiam in Moching, quæ antiquitus huc pertinebat. In illis literis nominat Arnoldũ Ducem Boiariæ Tyrannum, propterea quòd Monasterium magnis malis adfecerat: Testes, Albertus Leuzmañus, Albero de Prugperg, Hadmarus de Laber, Meinhardus Comes de Roteneck, VVinhardus de Rorbach, Otto & Vlricus, fratres de Lapide, ALBERTVS Schilvvaz, Iordanus de Stertzhausen, OTTO de VVerd, Diethricus de

de Sanderstorf,Berchtoldus de VVackerstein, Marquardus de Gruenharzhouen, Heinricus & Vlricus,fratres de Otling,Vlricus Marschalcus dictus de Perge, Conradus de Münster. Datum Ilmendorf, Anno 1264.

Extitit in hoc Monasterio liber antiquissimus,in membranis compactus, in quo descriptæ sunt vitæ Sanctorũ,à Pascasio è Græca lingua in Romanam trãslatæ, Itẽ Hilariõ diui Hieronymi adeò antiquis literis,vt lectori repuerascendũ & ad prima elementa redeundum sit,in fine hæc verba leguntur: Hic liber fuit inchoatus in Hunia in exercitu, Anno Domini 918.4.Non.Iunij & perfinitus apud S.Florianum, pridie Idus Septembris in hebdomada quinta decima. Meminit Iohan. Auent. libro Annalium 4. fol. 381. quem ibi post diligentem inuestigationem hoc 1580. Anno, non ampliùs reperi; puto autẽ translatum esse Monachium ad Bibliothecam Ducalem, vnà cum quibusdam aliis libris &c.

NEVBVRG

MONASTERIVM Monialium nobiliũ Ordinis S.Benedicti, ad Danubium supra Ingolstadium, fuit olim, tempore Pipini Regis, Franciæ peculiaris Episcopatus, Mannus ibidem Episcopus fuit in magnis prouincialibus Comitiis, in Dingelfing, à Tassilone Duce celebratis, Anno 775. translatus posteà hic Episcopatus Augustam, & S. Vlrico donatus, Neuburgij desiit, Auent. fol. 302.

S. HAINRICVS Imper. vnà cum coniuge sua, S. Kunegunde, à fundamento extruxerunt hoc Monasterium, sacris Virginibus, Anno 1007. ad preces Hilarij Episcopi cuiusdam Pannonici & Cancellarij Imperatoris, qui miraculis clarus in eiusdem Cœnobij medio ferè templo honorifico mausolo, cum ipsius saxea imagine ac statua, humatus dicitur. Nominatum est tam Monasterium, quàm ipsum oppidum Neuburgum, ad differentiam veteris castelli Altenburg, cuius rudera & vestigia paulò supra Neuburgium adhuc extant.

IN Catalogo Abbatissarum huius Monasterij, quem Bruschius in centuria sua Monasteriorũ ponit, inter alias II. loco est D. Anna Pferingerin, quę anno 1444. præfuit, & vitam S. Hilarij germanica lingua scripsit ad Ludouicum, Ducem Bauariæ, Com. in Graispach &c. quæ obiit anno 1451.

XIII. Abbatissa, D. Barbara Prunerin, qua autore, reformatio ibi facta est, & obiit 1486.

XV. Abbatissa D. Margaretha, filia Georgij, Ducis Bauariæ ex Altenhochenau, Monasterio, supra VVasserburgum huc euocata, præficitur huic Monasterio Anno 1509. Præfuit annos 12. & resignans Anno 1521. per decennium adhuc vixit, Obiit Anno 1531. in medio templi ibi honorificè sepulta.

XIX. ET vltima consecrata Abbatissa huius Monasterij D. Magdalena, ex nobili familia der Hund von Lauterpach electa, Anno 1547. Obiit 1555. sepulta ibi in ambitu. Post hanc, inualescẽte Lutheranismo, nulla amplius canonicè electa vel consecrata est Abbatissa. Dantur Monialibus ibidem, quæ hinc exire aut nubere noluerunt, alimenta, & satis quidem liberaliter, sed nullæ ampliùs recipiuntur.

Extat ibi diploma Heinrici sancti, qui pro remedio animæ suæ ac contoralis, Kunegũdæ Reginę, sanctæ Neuburgen. Ecclesiæ sororib⁹, sub B. Benedicti regula degẽtib⁹, quædã prędia in augmentũ stipendiorũ dono dedit, nempe prædium in Comitatu Graispach situm, scilicet Tagmarhaim cum nemore, & Möringen, situm in Comitatu Hirsperg, necnon Zell situm in Comitatu Neunburg, cum omnibus illorũ prædiorum pertinentiis, Ecclesiis, villis, areis, mancipiis, cultis & incultis &c. Datum 18 Calend. Maij, Indict. 5. Anno Domini, 1007. anno Heinrici secundi regnãtis quinto. Acta sunt hæc Ratisbonæ fœliciter. Amen. Exemplum huius ponit Bruschius de Monasteriis.

NEVSTIFT SEV NOVA CELLA, MONASTERIVM PRAEMONSTRATEN. ORDINIS.

HEINRICVS Dux Bauariæ & Austriæ, Otto frater eius Episcopus Frisingensis, ac Chronographus, in superiori Bauaria, de integro ædificat extra mœnia Frisingen. in ipsa Isaræ & Mosę confluentia, Monast. pro Pręmonstratis, dictũ Neustifft, in honore S S. Petri & Pauli, Apostolorum, Anno 1141. Habuerunt hi duo fundatores fratrem Conradum, Archiepiscopum Salisburgensem, huius fundationis coadiutorem.

CVBANT in huius Cœnobij templo S. Martinus Scotus Episcopus, & S. Teclanus Diaconus ipsius, peregrinatores religionis ergò, qui Frisingæ mortui huius loci terræ mandati sunt.

DOMINATVS Eberstorf infra Anassum pertinet, ad hoc Monasterium datum proculdubio à primis fundatoribus, nempe Marchionibus, pòst Ducibus Austriæ.

DE Præpositis huius Monasterij, vide Bruschium, de Monasteriis Germaniæ. Extat in porticu templi huius Monasterij de fundatione eius rythmus germanicus, sed propter ignorantiam historiarum aliquoties errat autor illius: Primò quòd Heinricus quartus Imperator dicitur Ottonis Episcopi fundatoris Auus paternus &c. cùm fuerit Auus maternus; Secundò quòd Fridericus primus Imperator dicitur fuisse ipsius Ottonis Episcopi, fratris filius, cùm fuerit frater ipsius vterinus scilicet; tertiò ponitur Pater Ottonis Heinricus &c. qui fuit sanctus Leopoldus Marchio &c. Itẽ quod ibi de filiabus S. Leopoldi ponitur, longè aliter se res habet, vt hoc ex omnibus historiis manifestum & indubitatũ est, præsertim apud Ioan. Cuspinianũ in sua Austria, in vita S. Leopoldi, quem vide: Volui lectorem illius rythmi obiter admonere, ne cum autore illius erret.

S. NICOLAI

PATAVIÆ Ordinis S. Augustini Canonicorum Regularium, de fundatione huius Monasterij scribit Auent. fol. 551. Altmannus Episcopus Patauiæ, auxilio Hagneræ Augustæ & Heinrici Neoburgensis, extra mœnia vrbis Aurelianis mystis Monasterium extruxit, circa Annum 1050. literæ fundationis habent 1074. De Heinrico Neoburgensi in illis nulla mentio, sed de ope aliorum Nobilium, & quòd hoc sit factum manu & potestate Roupetti Comitis, Aduocati nostri, scilicet Episcopi. In Chronica scripta Monasteriorũ Bauariæ inuenio, in hoc loco olim à Tessalono, Bauariæ Duce, fuisse fundationẽ factam, quod literis fundationis aduersatur, cùm Imperatrix fundum tradiderit, in quo Monasterium ædificatum ęst &c. Et Auent. huius non meminit.

Imperatrix Hagneta iuxta tenorem fundationis dedit fundum, in quo Monasterium ædificatum est, cum duobus hortis, & duobus prædiis in eodem loco. Item dedit nonam partem omnium bonorum suorum, quæ possedit in Posepeug & in Vespurgk.

RELIQVVM dedit Episcopus de suo patrimonio, non de Ecclesiæ bonis.

HEINRICVS de Formpach, Landgrauius, ex vtraque Oeni parte constituitur Aduocatus huius Monasterij perpetuis temporibus, super omnibus bonis, quæ sita sunt in Boiaria, qui dedit etiam in suo foresto, circa castrum Neuburg, ius cedendi ligna, ad cremandum & ædificandum necessaria sine forestica vtilitate.

Hvivs

HVIVS fuit Castrum Griespach, item Castrum Neuburg ad Oenum, Dominus Leopoldus, nobilis Marggrauius Austriæ, constituitur Aduocatus prædij, in Mautern & aliorum bonorum, supra & infra eius iurisdictionem in Austria sitorum: Testes Canonici & Ministeriales nostri, Reinhart von Rottaw / Gosbrecht võ Weisen / Ruger von Adelwerck / Eckholf võ Wollnerpach / Carl von Schaltorn / & frater eius Odackher, Hertzweich von Kreützing / Rupertus frater eius, Odackher von Weydach / jetzo von Stegwach / Lewgaß von Tagurtzhausen / & alij quàm plurimi. Datum Patauiæ, Anno 1074. indict. 9. 12. Calendas Iunii.

ALBERTVS Comes de Pogen, ob damna illata, dat vectigal per terram: Testes, Comes Heinricus de Ortenberch, Rapotho Com. Palat. Boiariæ, Heinricus de Paungarten, Conradus de Luppurg, Altamus de Hals, Heinricus Pholinger, & filius eius Heinricus, Conradus de Nusperg, Vlricus de Leuboluing, Gebhardus Marschalcus, Ebo auß dem Moß senior, Heinricus de Törring, VValther de Kraiburch, VVernherus Pincerna, Richerus de Röttau, Otto de Sturpach, Herman de Herzhaim. Datum apud Straubing, Anno 1221. Extat diploma Patauiæ.

HEINRICVS Dux inferioris Bauariæ dedit huic Monasterio immunitatem telonei salis in Burckhausen & Schärding. Hoc confirmant filij eius, Ott Rex Vngariæ, & Stephanus, Duces, rursum filij Stephani, Heinricus & Otto, Duces.

NIDERBVRG MONASTERIVM MONIALIVM NOBILIVM IN PASSAVV.

VTILO Dux iuxta Danubium Patauiæ Nidroburgium Monasterium construxit, dedicauit S. Pirminius, Meteñ. Episcopus, Virgines incolunt, circa Annum 739. Auent. fol. 291.

OTTO secundus Imperator hanc Abbatiam sui iuris constructam & dedicatam in honore S. Dei genitricis, vnà cum VValachunestorf, cæterisque omnibus pertinentiis, Piligrino Patauiẽ. Præsuli, ob constantẽ ipsius fidem, Imperatori in perturbatione Boiariorum, scilicet in rebellione fratuelis sui Heinrici Hezilonis, Ducis Bauariæ, præstitã, ac dãna hinc passa, remunerationis ergò, perpetuò ac penitus donat ac tradit, precibus dilectissimi fratuelis Ottonis, Ducis Boiariorum, atque VVilhgisi Archiepiscopi scilicet Moguntinẽsis, Anno Domini 976. Extat diploma ibi, de quo apud Patauienses Episcopos sub Piligrino.

HEINRICVS sanctus tum Rom. Rex, ob preces coniugis Kunegundę & dilectissimi Ducis Hezelini, & obsequium deuorum Heckę, diuę genitricis Ecclesiæ dat partem syluæ Nortvvald, in Comitatu Adalberonis à fonte flumine Vlza vsque ad terminũ syluæ huius, vbi separat Bohemiam & Bauariam & decursũ Vlcæ & Rotilæ vsque in Danubium. Datum 13. Calend. Maij Anno 1010. Guntherius Cancellarius vice VVilhgisi Archicapellani &c. Reganespurch. Extat diploma.

SEPVLTA est ibi in porticu prędicta Heilka cum hac inscriptione: Anno 1020. in die S. Tecklę virginis, obiit Heilka, amica S. Hein. Imper. prima Abbatissa huius Monasterij. Ibidem Anno 1095. Non. Maij obiit Gysala, S. Heinrici Imperatoris soror, vxor Stephani, Regis Vngariæ, Abbatissa secunda huius loci, hîc sepulta adito dextro latere, quæ tam viro quàm filio orbata Patauiam in hoc Monasterium venit, in quo primum habitum monasticũ assumpsit, paulò pòst Abbatissa designata, Monasterium præclarè illustrauit & auxit.

IBIDEM in templo sepultus est Gregorius Episcopus, qui ex Oriente in Batauorum vrbẽ venit, ex Vngaria scilicet, vbi Eremiticam duxit vitam.

Nider-

Nider Münster zů Regenſpurg.

INFERIVS Monaſterium Ratisbonenſe, Nobilium virginum Collegium, vti de ſuperiori Monaſterio ſcripſi, inſtitutum per Iuditham, filiam Arnoldi Mali, Ducis Bauariæ, vxorem Heinrici primi, Ducis Bauariæ, ex gente Saxonum fratris Ottonis primi, & Magni Imperatoris, raræ pulchritudinis & pudicitiæ fœminam, quæ Reginoburgij ſacrarum fœminarum contubernium, quod inferius vocant, extruxit, vbi eius mauſeolum in aditu monſtratur. Hoc teſtantur diplomata Ottonis primi Imperatoris Magni, qui aliqua prædia & curtes dono dedit, nec non Heinrici ſancti, quorum tenor mox ſequitur.

Ex Conrado de Maidenburg.

Auen. lib. 5. in principio.

D. RATHO Damaſianus Comes, eo tempore Orientalis Boiariæ, nunc Auſtriç Marchio, cum hac Iuditha ſupplicandi gratia Hieroſolymam profectus eſt.

IBIDEM ſepulta eſt D. Giſala, vxor Heinrici ſecũdi, Ducis Bauariæ, mater Heinrici ſancti Imperatoris, vt teſtatur crux aurea, à filia huius Giſalæ, Regina Vngariæ donata, Auentin. fol. 500.

DOCTOR Laurentius Hochvvart, Canonicus Ratisponenſis & Patauienſis, ſuprà etiam citatus, vir ſanè, vt ab amico noſtro VVolphgango Hungero in annotationibus ſuper Cuſpiniani Cæſares veriſſimè commendatur, tùm ſacrarum, tùm humaniorũ literarum benè doctus, & veterum monumẽtorum auidiſſimus inquiſitor, in Chronica ſua Epiſcoporum Ratisbonenſium (qua me in deſcriptione Epiſcoporum Ratisbonenſium nõ parum fuiſſe adiutum ingenuè profiteor) hoc Monaſterium ſcribit extructum eſſe, Anno Domini 900.

DIPLOMA IMPERATORIS OTTONIS PRIMI.

IN NOMINE ſanctæ & indiuiduæ TRINITATIS. Otto diuina fauente clementia Imperator Auguſtus. Nouerit omnium induſtria fidelium noſtrorum, tàm præſentium quàm futurorum, qualiter nos ob interuentum dulciſſimç genitricis noſtrç Adelhaidæ, nec non venerabilis Dominç Iudithç, ſalubrem petitionem, quædam proprietatis noſtrç prędia, curtes, videlicet Schirlinga, Lindhart, Pirnpach & Rockinga, in pago Tnonchkovve, & in Comitatu Sarchilonis Comitis ſitas, ſanctimonialibus in vrbe Ratisbona ad inferius Monaſterium ſanctç Dei genitricis Mariæ, Chriſtique Confeſſorum beati Erhardi venerationi conſtructum, noſtri Imperiali potentia, in perpetuæ vſum proprietatis conceſſimus, firmiſſimeque donauimus, cum vtriuſque ſexus mancipiis, ædificiis, terris, cultis, & incultis, pratis, paſcuis, ſyluis, aquis, aquarumuè decurſibus, molendinis, locisque molendinorum, mobilibus, & immobilibus, exitibus & reditibus, vineis, viis & inuiis, q̃ſitis & inquirendis, & cum omnibus iure ad hæc pertinẽtibus; eo tenore, vt hęc iam dicta eiſdem ſanctimonialibus in vſum quotidianum permaneant, ſcilicet vt nullis deinceps Succeſſoribus noſtris, Regibus vel Imperatoribus, vel à nonnulla perſona hæc aliquatenus idem abſtrahantur, ſed vt conceſſimus, perpetuo vſui ſanctimonialium prædictarum omnium ęuo deſeruiant. Et, vt hoc noſtrç donationis pręceptum firmiùs perſeueret, hanc chartam inſcribi iuſſimus, annuloque noſtro ſignatum, manu propria ſubtus firmauimus.

SIGNVM Domini Ottonis [monogram] Magni Imperatoris Auguſti.

VVILLIGISVS Cancellarius vice Ruperti Archicapellani notaui. Data 5.Calend.Iul.Anno Incarnationis Dominicæ D. CCCC. LXXIIII.anno regni Domini Ottonis XIII. Imperij VI. Actum VVormatiæ.

EANDEM rem confirmauit Heinricus sanctus, vt in sequenti diplomate patet.

DIPLOMA SANCTI HEINRICI IMPERATORIS.

IN NOMINE sanctæ & indiuiduæ TRINITATIS. Heinricus diuina fauente clementia Rex. Iusta Regum & religiosa cognatio debet Ecclesiis Dei, vbicunq; facultas suppetit, aliquid accommodare, vt inde procliuius mercedis æternę pręmia consequantur: pindenotum sit omnibus fidelibus nostris, præsentibus scilicet & futuris, qualiter venerabilis Abbatissa Oda, per interuentum dilectæ coniugis nostræ Chunigundæ, videlicet Reginæ, nostram adiit Maiestatem, suppliciter rogitans, vt Monasterium sanctimonialium, cui ipsa nunc temporis infra Ratisbonēsem ciuitatem præsidere videtur, quod diuinę memorię Auia nostra Iuditha olim, in honore sanctæ Dei genitricis Mariæ à fundamentis in Abbatiam erexit, & donis prędiorum inter alia pro loco ditauit, in nostrum Mundiburdium & Regiæ immunitatis tuitionē reciperemus, cum omnibus pertinentiis eius. Nos ergo ob diuinū amorem piæ eius annuentes petitioni, per hoc nostræ Maiestatis insigne, præfatum Monasterium, nostræ, nostrorumque post nos Successorum, Regiæ & Imperiali perpetuæ defensioni subiicimus; Et insuper optima ea libertate donamus, qua cętera Monasteria regalia vbicunque terrarum nostri Regni perfrui videbuntur; Quatenus ibi sanctimoniales Monasticæ vitæ, sub regula sancti Benedicti mancipatæ, liberiùs & deuotiùs, illam, quam aggressæ sunt vitam, absque inquietudine regalium exactorum vel subintrahentium personarum de hinc conseruare valeant. Regio igitur verbo & præcepto iubemus & interdicimus, vt nullus Dux, Marchio, Comes, Vicecomes, Episcopus, vel aliquis sub Episcopo, aut Iudex publicus, siue Regius exactor, siue quælibet iudiciaria psona, maior aut minor, deinceps in prædicto Monasterio, intus vel foris, & in locis, aut hominibus, vel omnibus ibi pertinenribus, aliquam publici iuris exerceat potestatem, aut quidquam de rebus Monachorum, sibi ipsi vel nobis, aut Successoribus nostris, vsurpare præsumat sine Aduocato, quem præsens Abbatissa, & quæ ei succedant, in hunc vsum elegerint & constituerint. Qui etiam in ipso Monasterio, & in locis eius, aliud sibi non imponat potestatis officium, aut exigat seruitium, nisi quòd Abbatissa eum sacris sororibus illi præscripserint. Confirmamus etiam eidem Monasterio, quicquid ibi vnquam per Reges & Imperatores præceptoria lege, siue per Duces vel alios Christi fideles, in quocunque pago vel Comitatu aliquo traditum vel concessum est, oblatione cum curtibus & curtilibus, ædificiis, mancipiis, censu, intra & extra ciuitatem, aquis, aquarumque decursibus, piscationibus, molendinis, aquimolis, in vtraque parte fluminis Danubij vrbem præcurrentis, pariter cum omnibus vtensilibus & appendiciis locorum ibi pertinentium; Quorum hæc proparte sunt nomina, Schirlinga, Lundorf, Rogginge, Biberbach, Linhart, Hertteslindhart, cum omnibus appendiciis illorum, Hartkircha cum decimis suis, vndecunque villarum conferendis, salla cum foresto, aqua, molendinis, vel cæteris pertinentiis: In Sinzinge omnem illam, quæ ibi præscripto Monasterio pertinet vtilitatem, Tekhendorf, cum decimis & vsibus suis, Berge, quod situm est, iuxta flumen Vilisa, Pinteseshouen, cum aquis, aquimolis, molendinis & arçis in Ysara, & VValechenesbach cum pontibus suis, vel totis eorum adiacentiis.

HABEANT

Habeant etiam Monachę potestatem liberam per decessiones inter se eligendi Abbatissam, quam probabilis vitæ & morum regula Deo propitio composuerit, omnium potestatum, vel personarum contradictione remota. Et, vt hæc nostra traditio, confirmatio, siue libertas, stabilis & inconuulsa permaneat, hanc nostri præcepti paginam manu propria roborantes, sigillo nostro imprimi iussimus.

Signvm Heinrici  Regis inuictissimi.

Data 12. Calend. Decembris, Anno incarnationis Domini M. II. Indictione I. anno verò Domini Heinrici Regis primo. Actum in ipsa vrbe Ratisbonensi, &c.

Imperator Fridericus secundus hæc duo Monasteria, inferius ac superius, permutauerat cum Conrado Episcopo Ratisbonensi, pro quibusdam aliis prædiis ac possessionibus: Conquerentibus aūt ambabus Abbatissis, in solēni curia Principum Herbipoli habita, quia non liceret Roman. Regi vel Imperatori, quenquam ex partibus ac principibus Imperij, sine suo ac Ministerialium cōsensu, permutare, aut ab Imperio alienare, communi consensu permutatio illa retractata est. Extat diploma Friderici secundi huius tenoris.

Inferius & superius Monasteria Ratisponensia.

In nomine sanctæ & indiuiduę Trinitatis. Fridericus secundus, Dei gratia, Romanorum Rex, & semper Augustus. Cùm ad summam instantiam dilecti Principis nostri Chuonradi, Ratisbonensis Episcopi, cum ipso Episcopo, nomine Ecclesiæ suæ, quoddam concambium fecissemus, de duobus Principatibus, scilicet de inferiori & superiori Monasteriis in ciuitate Ratisbonensi, constitutis, pro quibusdam aliis prædiis & possessionibus, ad prænominatū Episcopum & Episcopatum suum pertinentibus: Accedens ad præsentiam Regiæ excellentiæ nostræ in curia solemni Herbipoli Domina Tuta, inferioris Monasterij Abbatissa personaliter, nec nō Domina Gertrudis, superioris Monasterij Abbatissa, per suum Procuratorem, cum aliqua honesta vtriusque Capituli parte, coram Principibus atque Baronibus, atque tota curia nostra, graui querimonia proposuit, se & Ecclesias suas indebitè à nobis fore grauatas, & super hoc adiutorium & sententiam Principum postulârunt, proponentes firmiter, nullum Principatum posse vel debere commutari vel alienari ab Imperio, vel ad alium Principem transferri, sine voluntate præsidentis Principis illius Principatus, & de plano consensu eiusdem Ministerialium: Super quo facta à nobis inquisitione, per sententiam Principum & subsequutionem tàm Nobilium quàm Baronum atq; Ministerialium & omnium, qui aderant, iudicatum esse: Nullum Principatum posse vel debere, nomine concambij, vel cuiuscunque abalienationis, ad aliam personam transferri ab Imperio, nisi de mera voluntate & assensu Principis, Præsidentis, & Ministerialium eiusdem Principatus. Nos igitur iustitiæ protectores, nullo conamine iuri reniti volentes, sententiam ipsam duximus approbandam, &, quod cōtra commemoratas Ecclesias & earum Principes pro Episcopo & pro Ecclesia Ratisbonēn. minùs debitè feceramus, omnino retractauimus in continenti, præsente Episcopo præfato: Et, ne de cætero similia contingant, decernimus, & perpetua firmitudine obseruandum iudicamus, quòd non liceat vlli Successorum nostrorum Romanorum Regi, seu Imperatori, Principatum aliquē, vt superiùs sententiatum est, ab Imperio aliquo modo alienare, sed omnes Imperij Principatus in suo iure & honore illæsos obseruare. Vt itaque dilecta fidelis nostra Gertrudis & Successores eius Abbatissæ, nec non regalis Ecclesia superioris Mona-

sterij hac sententia gaudeant, in antea & glorientur in perpetuum, hoc scriptum eis indulsimus, sigillo Maiestatis nostræ roboratum. Huius rei sunt Testes, Albertus Magdeburgensis Archiepiscopus, Englbertus electus Coloniensis Archiepiscopus, Otto VVirzburgensis, Otto Frilingensis Episcopus, Sigfridus Augustensis Episcopus, Vlricus Patauiensis electus, Cuno Cluniacensis Abbas, Ludouicus Dux Bauariæ, Comes Palatinus, Hermannus & Fridericus, fratres, Marchiones de Baden, Gerardus de Diez, Otto Dux Merhaniç, Hermannus & Ludouicus, Comites VVirtēberih, Comes Ernestus de VVillesеko, Berchtoldus Nobilis de Niffen, & filij sui, Heinricus & Albertus Gerardus Comes de Rinek, Anshelmus de Iustine, Marschalcus Imperij, VValtherus Pincerna Imperij, VVernherus Dapifer de Bolandia, Dieto de Rauenspurch, Camerarius Imperij, & alij quàm plures.

Ego Chuonradus, Metensis & Spirensis Episcopus, Imperialis aulæ Cancellarius, Vicedomini Sigfridi, Moguntinensis Archiepiscopi, & totius Germaniç Archicancellarij recognoui.

Signvm Domini Friderici secundi, Romanorum Regis, & semper Augusti atq; Regis Siciliç, &c.

Acta sunt hæc Erbipoli, &c. Anno Domini M. CC. XVI. regnante gloriosissimo Domino Friderico, Dei gratia secundo, Romanorum Rege & semper Augusto, & inclyto Rege Siciliç, Anno Romani regni eius quarto, Siciliç verò octauo decimo fœliciter. Datum per manus Berchtoldi de Niffen, Regalis aulç Prothonotarij, Anno prænotato Idus Maij, indictione quarta.

NVNNBERG

Monasterivm Monialium nobilium, extra muros Salisburgeñ. ciuitatis in vicino colle situm, & Nonnarum montis vocabulo cognominatum, cœpit Anno Domini circiter 585. Innumero annorum variant Chronica Salisburgensia. Certum autem est, Theodopertum, Ducem Bauariç, fundatorem huius Cœnobij, Anno Domini 576. obiisse. Sanctus enim Rupertus primus, Salisburgensis Episcopus, ex Regum Galliæ, Ducumque Scotiç stirpe oriundus, pro sorore sua Ernrruda, quam aliàs suam Neptem vocant, Oratorium ibi initio construxit. Ad quam piam Virginem, cùm aliæ quoque deuotionis ergò accessissent, quç virginitatis conseruandç studio solitariam vitam elegerant, mox prçclarum Cœnobium vestalium puellarum factum est, fundatore ac dotatore prædicto Duce Theodoperto, filio Theodonis tertij huius nominis, qui ambo tàm pater, quàm filius, vnà cum suis Successoribus, Ducibus Bauariæ, Episcopatum Salisburgeñ. primò instituerunt, ac liberalissimè collocupletârunt. Catalogum Abbatissarum ponit Bruschius in centuria Monasteriorum.

Hoc Cœnobium antiquitus Cella dictum, bellicis tumultibus, incendio ac rapinis vastatum, reædificatum, & quasi de nouo fundatum est, ab Heinrico secũdo Imperatore, absolutumque est, Anno 1041. quo ara maxima cum aliis duabus in crypta sitis, per D. Balduinum, Salisburgensem Archiepiscopum consecrata est.

Nvmervs hic non concordat cum Chronica Episcoporum Salisburgensium, vbi habetur, VValdvvinum siue Balduinum, sub Heinrico tertio, Anno Domini 1045. factum esse Archiepiscopum, præfuisse eum 20. annis, mortuum Anno Domini 1065.

Ober

Ober Münster zu Regenspurg.

MONASTERIVM superius, sicut & inferius, & S.Pauli in Ratisbona nobilium Virginum hoc tempore Collegia potiùs quàm Monasteria, vnde Canonissæ potiùs, quàm Moniales dicendæ. Nulla enim regula aut voto tenentur, præter obedientiam, licet illis egredi & nubere, excepta Abbatissa propter benedictionem, an verò hæc libertas seu licentia potiùs, quàm sibi à quinquaginta annis (vt autor est D. Laurentius Hochvvart) vendicârunt, quòd singulæ suas distinctas domos & habitationes, vno muro & porta conclusas, habeant, ita vt in vno refectorio & dormitorio nec cibum capiant, nec somnum, quod ad magnam leuitatem occasionem præbet, primæ horum Monast. institutioni conueniat, vel ipsum nomen Monasterij satis declarat. Vnde apud omnes bonos, tàm Catholicos, quàm alios malè audiunt, seuera sanè reformatione non minùs indigerent, quàm tempore diui VVolffgangi, qui propter dissolutissimam amborum Monasteriorum vitam, tertium sancti Pauli sub arctiori regula & disciplina instituisse scribitur, quorum exemplo alia duo ad meliorem vitam, quasi inuita pertraherentur. Subiecta sunt hæc duo Monasteria, superius & inferius, Rom. Imperat. quoad secularia; in spiritualibus verò Episcopo Ratisbonen. tanquàm ordinario loci, Aduocatum habent Ducem Bauariæ.

FVERVNT autem illa Monasteria, superius & inferius, ante istas fundationes & dotationes pauperes cellulæ fœminarum religiosarum, sicut in Chronicis legitur.

DE fundatione superioris Monasterij sic habent diplomata.

LVDOVICVS, Boiariorum Rex, filius Ludouici Pij, rogatus ab Hemma coniuge commutationem fecit, cum Baturico Episcopo Ratisbonen. cui dedit Monasterium Mansee, pro Monasterio in eadem ciuitate, dicto Ober Münster / quod & Imperator posteà vxori suæ tradidit. Actum in Regenspurg, Anno 831. Indict. 11. regni Ludouici Regis septimo.

CAROLVS, dictus Crassus, huic Monasterio priuilegia dedit, cuius tenor pro parte, &c.

CAROLVS diuina fauente clementia, Imperator Augustus, &c. Proinde nouerit succedentium industria, qualiter nos Monasterium beatiss. semper Virginis matris Domini nostri Iesu Christi Mariæ, in ciuitate Ratisbona, quod dicitur Ober Münster / quod piæ memoriæ genitrix nostra, Hemma Regina, à Baturico Episcopo, de quo vide Monast. S. Haimerani, Ratisbonen. solenni & legitimo concambio recepit, vbi ipsa corporaliter sepulta requiescit, quod ipsa ordinauit, ditauit & magnificauit, in nostræ emunitatis defensionem suscepimus; ea videlicet conditione, vt neque nos, neque quisque Imperator, aut Rex, aut Dux, aut Comes, aut regius exactor, siue ex Imperiali, siue ex propria autoritate, quicquam ibi ordinandi aut exigendi habeat potestatem, cum aliis priuilegiis, circa electionem Abbatissæ, Aduocati, &c. Data 14. Calend. Martij, Anno 886. Indict. IIII. anno Imperij piissimi Imperatoris Caroli, in Italia VI. in Francia V. in Gallia XI. Actum in villa, quæ Rotvvila vocatur, in Dei nomine fœliciter. Amen. Refert Auent. lib. 4. Annalium, folio 316.

OTTO Imperator cuidam fideli nostro, Alberoni Comiti, in prouincia Boiariorum, in ciuitate Ratisbona nominata, in Comitatu Pabonis Comitis, curtiferum 5. perticarum in longitudine & in latitudine 4. perticarum, habens viam, aditumque vnius perticæ ad legitima strata, cum exitibus & reditibus, omnibusque rebus, ad idem curtiferum respicientibus, possessumque à quadam muliere, Adalburga nuncupata, situm prope locum superius Monasterium sanctimonialium fœminarum, in proprium dedit, per interuentum dilecti Nepotis nostri, Boiariorum Ducis *Verba diplomatu.*

Ducis Heinrici. Datum 3. Idus Iunij, Anno 1000. Indict. XIII. anno tertij Ottonis XX. Imperij V. Actum sursum duello, fortè auff der Wisl / 2c. Puto hunc curtiferũ seu curiam ab eodem Adalberone Comite posteà supiori Monasterio datum esse.

HEINRICVS sanctus dedit huic Monasterio curtem in Salach, in Comitatu Rudperti Com. in pago, qui dicitur Tonageu (hodie est Præpositura in Geiselhe-ring prope Salach) cum pertinentiis, eo ipso die, quo illud Monasterium per ipsum à fundamento perfectum, & in sua præsentia consecratum fuit, sub Abbatissa VVilt-purga, Anno 1010. 15. Calend. Maij. Quam donationem confirmat Conradus Imperator, Anno 1029. Sequitur diploma Heinrici sancti.

IN NOMINE sanctæ & indiuiduæ TRINITATIS. Heinricus diuina fauente clementia Rex, Si Ecclesiarum Dei loca alicuius doni incremento sublimare vel meliorare studuerimus nobis, nostrique regni statui id proficere minimè diffidimus. Quapropter omnium Christi fidelium, præsentium scilicet, ac futurorum agnoscat industria, qualiter nos diuini amoris instinctu, pro remedio animæ nostræ & senioris nostri, videlicet Ottonis Imperatoris, dilectæque nostræ coniugis Kunegundis Reginę, seu parentum nostrorum, nec non pro Regni nostri statu, Monasterio Ratisbonẽsi, quod ibi vocatur Obern Münster / in honore S. Dei genitricis semper Virginis Mariæ dedicato, ipso die, quo illud per nos à fundamento perfectum, in præsentia nostri 15. Calend. Maij consecrari fecimus, quandam nostri iuris curtem, nomine Salach, in Comitatu Ruperti Comitis, in pago Donogevv, cum omnibus suis pertinentiis & appendiciis, villis videlicet, cum familiis vtriusque sexus, areis, ædificiis, campis, pratis, pascuis, syluis, venationibus, aquis, aquarúmue decursibus, piscationibus, molendinis, exitibus & reditibus, viis & inuiis, quæsitis siue inquirendis, cum omnibus, quæ quolibet modo dici aut nominari possunt, vtilitatibus, per hanc nostram Regalem paginam eidem Monasterio, ad vsum & stipendia sanctimonialium inibi Deo famulantium, integrè concessimus atque tradidimus, & de nostro iure ac dominio, in eius ius & dominium omnino transfundimus; ea quippe ratione, vt Abbatissa VVilpurga, quæ nunc præfato Monasterio præesse videtur, eique succedentes Abbatissæ, de eadem proprietate, ad vsum tamen Monasterij & Sanctimonialium ibidem Deo seruientium, dehinc liberam habeant potestatem, quicquid eis placuerit faciendi, omnium hominum inquietudine remota. Et, vt hæc nostræ donationis seu confirmationis autoritas stabilis & inconuulsa omni permaneat tempore, hoc præceptum inde conscriptum manu propria corroborantes atq; confirmantes, sigilli nostri impressione insigniri iussimus, Anno 1010.

HEINRICVS quartus Imperator confirmat & concedit dicto Monasterio prædium in Otmaringen, in pago Cunzingavve, in Comitatu Brunonis Comitis situm, Anno 1064.

Ex libro tra ditio. ibi.

SEQVVNTVR ALII BENEFACTORES HVIVS MONASTERII.

COMES Adalbertus de Pogen, & vxor eius Hedvvigis, dederunt prædium huic Monasterio, tempore Mathildis Abbatissæ, Anno 1223.

LVICKHARDIS, nobilis Matrona, vxor Friderici Aduocati Ecclesiæ, materq; secundi Aduocati Friderici, dedit quoddam prædium, posteà vocat Fridericum Palatinum; nescio an idem, an verò alius.

NOBILIS vir Vdalricus de VVinckelsazen, rogatu Dominæ Hiltenburgis de Seuenburg & filiorum eius, delegauit vineam Rinnenpach sitam, cum appẽdiciis.

VLRICVS de Stain, Nobilis vir, vxor eius Benedicta, filius Albertus, ipsa dedit prædium, quod dicitur Pesenpach, pro remedio animæ suæ, & mariti sui.

GEBHAR-

GEBHARDVS de Stain dedit prædium pro prębenda trium sororū suarum.

SALOME Abbatissa sequitur superiores iuxta Catalogum Abbatissarum.

SEQVITVR deinde in libro illo tradirionum Annus 1223. sed huic non est fidendum, quia multò pòst sequuntur res quædam Annorum 1110. tempore Hadamuthæ Abbatissæ.

Vt puto tempore Hadamuthæ Abbatissæ
- ADALPRECHT, Vdalricus, VVernherus de Laber,
- VVERNHER de Giebestorf, fortè nunc Giestorf,
- GOTFRID de Rairenpuech,
- GOTBOLDVS de Osterhouen,
- NOBILIS Matrona de Künigesovve,
- OTTO maior Palatinus, fuit Aduocatus illius Ecclesiæ, Anno 1177.
- POSTEA Ludouicus Dux fuit Aduocatus, &c. vt suprà.

OSTERHOVEN

DE fundatione huius Monasterij registratura diplomarum ita se haber: Imperarore rertio Orrone rebus humanis exempto, Heinricus Dux Bauariæ, qui vocarus est iunior, in Imperium subrogarur; huic in Bauariæ Ducaru succedit Heinricus, qui & Hezel dictus, parruelis eiusdem Imp. sed in hoc erratum est; Nam fuit frater S. Kunigundis, secundùm Auenrin. & alios. Hic duobus filiis orbatus, quos Hunni peremerunt, Christum hæredem sibi facere instituens, Anno 1002. locum Osterhouen fundare, & patrimonij sui copiosa liberalitate magnificare adorsus est, sub Benedicto nonò, summo Pontifice, sed præmatura mòrte præuentus, institutionis & propositi sibi hæredem prædictum Heinricum Imperarorem reliquit. Hic, quoniam & ipse non haberer liberos, continenrem vitam, cum vxore sua Kunegunda ducenda Bambergensem Episcoparum fundauit, & Osterhouen Monasterium, cum omni prædicti Ducis patrimonio Episcoparui subiecit, donauit, & tuendum Imperiali autoritate commisit, seculares que Canonicos in prædicto loco ordinauit, constirura eis præbenda de modica porrione prædictarum possessionum, quæ institutio penè per centum annos, vsque ad sanctum Ottonem, Episcopum Bambergensem permansit. Hic consilio D. Norberri Maidenburgen. Archiepiscopi, magnæ sanctiraris viri, Regularibus Canonicis locum Osterhouensem mancipans, Præmonstratensem ordinem, qui per prædictum Archiepiscopū initium habuerat, deuotè induxit, sub Anno 1138. præsidente Romanæ Ecclesiæ Honorio secūdo Papa, regnante Rom. Imperatore Lorhario secundo. Eandem eriam regulam prædictus Episcopus, sicut à Regali munificentia pręd Heinrici Imperatoris suā Ecclesiam tuendam receperat, studiosissimè defensauit, & eam cum omnibus suis possessionibus & familia, ab omni exactione & angaria in perpetuum à suis Successoribus, & ad ipsos iure feudali pertinentibus, voluit esse liberam, & indemnem conseruari. *Idem Auen. fo. 612. 631.*

SED Ioan. Auenrin. in Annalib. fol. 514. aliter scribit, nimirum Ducem Vtilonem in Osterhouen, vbi olim Regia aula & sedes Principum fuit, Monasterium fundâsse, & ord. D. Benedicti instituisse, vbi ipse vnà cum coniuge Hilerude sub duobus albis lapidibus marmoreis, qui adhuc hodie ibi in Choro visuntur, sepultus est, Anno 765. deuastatum esse posteà per Vgros, Heinricum verò huius nominis quartum, Ducem Bauariæ, fratrem S. Kunegundis, Heinrici S. Imperaroris coniugis, posteaquàm illi Imperator Heinricus, ipsius affinis, Ducatum Bauariæ cōcessit, instaurâsse & Augustinianis Monachis tradidisse.

Fol. 512. ALIO loco Auentinus vocat myſtas populares, prædictus Dux Heinricus, vnà cum vxore Maria ibidem ſepultus eſt, Obiit Anno 1026. duobus annis poſt mortem Heinrici ſancti; Conradus Imperator conceſſit poſteà Ducatum filio ſuo Heinrico ætatis eius anno decimo, qui factus Imperator Romæ, dictus eſt Heinricus tertius, & quintus Bauariæ Dux huius nominis, qui conceſſit Ducatū prædicti Heinrici quarti filio Heinrico, qui obiit 1047. eo tempore, quo voluit coniugem ducere, ſepultus eſt in Oſterhouen apud Patrem, Auent. fol. 514. 533. 542.

OTTO Epiſcopus Bambergēſis dedit huic Cœnobio multa priuilegia & poſſeſſiones, ædificauit etiam Sacellum D. Virginis, ibidem Anno 1110. & in locum ſecularium Sacerdotum conſtituit ibi ordinem Præmonſtratēn. ſub Anno 1138. vt ſuprà dictum eſt, Auent. fol. 631.

Hoc Monaſterium in bello Comitum ab Ortenberg, & Comitum à Pogen, maximum damnum accepit, quando Leopoldus Dux Auſtriæ Ortenburg obſedit, circa Annum 1190. Fridericus itaque, Leopoldi Ducis Auſtriæ filius, in compenſationem damnorum, dedit huic Monaſterio priuilegium immunitatis vectigalium vini ac aliorum victualium per Auſtriam, Anno 1196. Confirmat Fridericus Dux Auſtriæ, Anno 1221. Item Othocarus Dux, Anno 1252. De hoc bello latiùs Auentin. in Annalib. fol. 657.

COMITES ab Hals, Aduocati huius Monaſterij, multa bona tradiderunt huic Monaſterio, fuit olim ibi etiam Xenodochium, quod Comes Albertus ab Hals annona & aliis multum iuuit.

OTTO Palatinus Rheni, Dux Bauariæ, dedit Præpoſito ibi aliqua honorum & præcedentiæ priuilegia, ob ſeruitia præſtita & damna, propter patrem ipſius Ducem Ludouicum perpeſſa, nempe vt in præſentia Principis primum locum habeat, inter alios Prælatos, Item ſacra faciat, Item quòd in menſa Principis à latere eius ſedeat, vtenſilia Capellæ conſeruet, eleemoſynas diſtribuat, &c. iuxta diplomata de Anno 1231.

BENEFACTORES huius Monaſterij in communionem recepti, vt ex regiſtratura diplomatum ibi inueni, ſunt, Albertus & Alramus, Comites de Hals, Hartliebus & Seifridus de Puechperg, VVilhelmus de VVinzer, Fridericus Saxo, Gotfridus de Hauſen, Heinricus filius eius, Anno 1304. 1312.

PRIMVS, quem inuenio, Abbas Vlricus, Anno 1304.

SEPVLTI ſunt ibi Comites de Hals, item Kunegūdis Com. de Schaunberg, vxor Ioannis Landgrauij in Leuchtenberg, qui tunc forum propinquum Oſterhouen tenebant, obiit Anno 1419. ſepul. ibi in Capella S. VVolffgangi. Itē Nobiles de Puechperg, qui in ambitu ibi egregiam Capellam & ſepulturam habent.

DE VVinzer antiquioris familiæ, qui ante Puechpergenſes Caſtrum VVinzer vltra Danubium poſſederunt, & in Oſterhouen Miſſam perpetuam, vnà cum anniuerſario inſtituerunt, confirmante Conrado, Patauienſi Epiſcopo, Anno Domini 1159.

ET alij ex ſuprà dictis Nobilibus de Hauſen.

SACHS fundârunt ibi Miſſam in Capella ab ipſis ibi conſtructa, genannt auff dem Karner.

THVMBOAST fundârunt ibi anniuerſarium, cum quotidiana Miſſa in Capella ſancti Ioannis.

S. OSVVAL-

S. OSVVALDI

MONASTERIVM prope vrbem Grauenavv ante inferiorem Bohemicam fyluam nunc Præpofitura, fundauit Iohannes Landgrauius de Leuchteberg, Comes in Hals, dotans illud Parochia in Grauenavv, cum pertinentiis fuis, vnà cũ quibufdam aliis villulis, prędiis ac redditibus, in Comitatu Hals fitis, dans priuilegium & exemptionem ab omnibus fteuris, exactionibus & aliis grauaminibus; referuatis tamen maleficiis, & iure Aduocatiæ, iuxta tenorem literarum fundationis, quarum Datum 1396. Et hoc pro fratribus S. Pauli, primi Eremitæ Ordinis S. Auguftini, Monafterium hoc, ius Hofmarchiæ habet fuper certis villulis &c. pauperrimum aliâs, quod ad Comitia prouincialia, cum aliis Monafteriis non vocatur.

OTING

VETVS Collegium Canonicorum fecularium, nõ procul ab Oeno & vrbe Otingen, Vto, aliàs Otto, Dux Bauariæ, filius Theodonis fecundi, qui aliàs Magnus dicitur, regiam prætoriũque fuum ibi conftituit, à fe Otingã fiue Huodingam, (vtrumque in vetuftis monumentis legitur) cognominari iuffit. Propter commoditatem fitus Aucupiorum, venationum, pifcationum, Reges & Principes Bauariæ frequenter ibi habitârunt, tum etiam propter crebras Hunorum & Vngarorum irruptiones in Noricum, Principes Imperij ibi frequenter conuenerunt; oftenditur ibi in medio templi S. Philippi, fepulchrum Imperatorum, Regum ac Principum noftrorum, quod etiam ibidem vetufti annales, ac alia monumenta teftantur.

S. RVPERTVS, regio Francorum genere progenitus, Theodonem Ottonemque, filios Theodonis Magni iam defuncti, in fide Chriftiana inftituit, Theodonem Ratifponæ, Ottonem autem in Otinga baptizauit, duoque templa extructa à Principibus proximè regias, feu prætoria fua, Chrifto, & eius beatiffimæ Genitrici dedicauit, vnum Ratifponæ, alterum Otingæ, vtrunque vetus Capella vocata, zů der alten Capell ꝛc.

CIRCA Annum Chrifti 776. Carolomannus Rex Boiorum & Italię, filius Ludouici, Regis Boiorum & Francię, Nepos Ludouici Pij, Pronepos Caroli Magni, Otingę frequens habitans, Monafterium ibi pro facratis viris magnificè conftruxit, liberaliter dotauit, plurimorum Sanctorum offa & reliquias ibi condidit, brachium nimirum S. Philippi, D. Maximilianum, D. Fœlicitatem.

CAROLVS quoque tertius, Roman. Imperator, fundatoris frater, regia munificentia Otingenfe Cœnobium plurimùm ditauit.

CAROLOMANNVS fundator obijt Anno 880. 12. Calend. Aprilis, ibiq; fepultus eft. Eius filius Arnulphus Imperator Romanorum ibidem obiit, Anno 899. ac iuxta Patrem fepultus, à quibufdã dicitur, fed verius eft, ac à Leone nono, Pontifice Maximo approbatum, ipfum Ratifponę in templo S. Haimerahi fepultum effe, vbi ipfius fepulchrum in Choro monftratur, anniuerfaria peraguntur ac pauperibus eleemofyna quotannis diftribuitur.

ARNOLPHVS Imperator quoddam prædium huius Monafterij fitum in Italia, quod dicitur fumus lacus, commutauit cum quadam noftri iuris curte, quę vocatur Rorte cum fuis pertinentiis. In quo diplomate fatetur, templum Otingen-

se perpetuò iure spectare ad sedem Pataujensis Ecclesiæ; ea propter adhuc ritum Patauien. & non Salisburgen. cui aliâs subiecti sunt, seruant. Exrat diploma apud Patauien. cuius datum 14. Calend. Septembris, Anno Domini incarnationis 898. Indict. 6. anno II. regni Domini Arnolphi, Imperij autem III. Actum Ranteſtof, in d.no. fol. a.

OTINGA, ficut & reliqua tota Bauaria per Vngaros miserè vastata ac desolata, sola ædicula beatissimæ Mariæ virginis, singulari Dei prouidentia seruata, suburbana in oppidum posteà abière, quæ nunc noua Otinga ad Oenum, Anno Domini 907.

Anno Domini. 1228. Ludouicus primus, Palat. Com. Rheni, Dux Bauariæ, Collegium 12. Canonicorum, cum Decano ac Præposito ibi instituit, viuus ibi locū sepulchri elegit, qui tamen in Monast. Schirensi sepultus est.

Diplomata huius Ecclesiæ, nempe Carolomanni fundatoris, Caroli tertij fratris, Arnolphi Imperatoris filij, ac Ludouici Nepotis, quibus bonis ac priuilegiis hanc ornauerint ac ditârint, Vide apud Ioan. Auent. qui Anno Domini 1518. singularem de antiquitatibus ac monumentis Otingensibus libellum ædidit, auctum posteà, ac lariùs extensum, per Dominum Martinum Eysengrein, Præpositum Otringensē, in vulgari nostra lingua, Anno 1571. Vide eundem Auentinum in Annalibus, lib. quarto, fol. 316.

POMBVRG seu PAMBVRG

MONASTERIVM Canonicorum regularium S. Augustini ad confluentes duorum fluminum Traun & Alz. De cuius fundatione ita scribit Iohan. Auent. lib. 5. Annalium Bauariç, fol. 552.

ADLHAID (filia scilicet Cunonis, Comitis de Meglinga e Irmogarde) cum marito Berengerio, filiis, Berengerio & Cunrado à Sulzpach (oppidum id Nariscorum est) dynastis ad confluentes Train & Alissę, Pamburg, vbi humari perhibentur, Collegium flaminibus Augustinianis constituunt. Alibi idem Auent. lib. 7. fol. 694. ponit, Pamburgium olim Arcem fuisse in Boiaria Noricorum, ad radices Curuancę montis & confluentes Azali atque Train sitā, nunc in Collegium Augustinianorum mystarum commutarā. Inscriptio lapidis in pariete templi dicti Monasterij ita habet: Hoc in loco sepulti sunt mariti, Illustris Comitissę Adlhaidis, fundatricis huius Ecclesię, quę fuit Illustris Principis Bauarię (id est Comitis) Chunonis filia, Marquardus Comes de Hochenstein & Marquartstein, Vlricus Comes de Pictauia (id est Pitten in Austria.) et Berengarius Comes de Sulzpach, cum pueris & progenitoribus eorundem, fundatores huius loci inferiùs asscripti.

Hic etiam sepultus est Chuno, Comes de Megling (scilicet pater fundatricis, ibidem Germanicè, Hie ligt der Edel Freyherr/ Conrat von Megling/ ein Stiffter diß Gottshauß &c.

MEGLING, aliâs Medling, latinè Medullum, arx haud procul à Monasteriis, Gars & Avv: Quorum fundatores hi quoque Comites fuêre: quod hodie pertinet ad Törringenses Barones.

Est quoque aliud dirutum castrum huius nominis prope Muldorf oppidum, domicilia olim istorū Comitum, qui etiā dicti sunt de Frontenhausē & Teyspach. De qua relatiùs in libro meo Stemmatum Bauarię, ac suprà in Monasteriis, Gars &

Avv

Avv. Lapidi sepulchrali fundatricis ita inscriptum est: Adlhaidis Comitissa de Marchnstein & Sulzpach, fundatrix huius Ecclesiæ, hoc in loco sepulta, obiit Anno 1144. Ecclesia consecrata est Anno 1165.

Advocati huius Monasterii fuerunt olim Comites Ortenburgenses, quorũ aliqui ibidem sepulti sunt, nẽpe Rapoto, primus huius nominis, Com. Ortenberg qui obiit Anno 1190. cum vxore Elisabetha, filia Berengerij primi, Com. de Sulzpach, & Chastl fundatoris Bamburgen. &c. Auent. Autor est lib. 7. fol. 694.

Ibidem In sinistro latere Chori lapis cum hac inscriptione: Anno 1206. obiit Anna Comitissa de Ortenburch, benefactrix huius Ecclesiæ, cum filiis, Rapothone & Heinrico, Comitibus. Hæc vxor fuit Rapothonis primi, quæ aliâs Elisabetha nominatur, de qua vide Stemmata mea Bauarica.

Hinc in eo bello, quod hi Comites cum Bogensibus Comitibus, ob limites, ob venationẽ atque ob Aduocatiam Monasterij inferioris Althæ gessère, Pamburgium Monasterium, cùm sub tutela Ottenbergen. esset, compilatum est, secundùm Auent. lib. 7. fol. 657.

Torringenses Barones, qui non procul inde ad Traunam fluuium duas arces tenent, Stein & Perchtenstein, habent ibi in templi ambitu Capellam propriam ac sepulturam.

Ibidem in Calendario mortuorum (Nam alia diplomata non vidi) alios quoque reperio Nobiles Ecclesiæ benefactores, & qui ibi sepulturam, anniuersaria ac memoriam habent:

DE VVart, de Pelching, de Tarching, Stetneri de Klebing, Virgoldi, Mautneri, Traunarij de Truchtling, Hofmanni, Tuschelij.

Habuit Monasterium hoc à multis annis Canonicos, præsertim Præpositos, qui etiã Archidiaconi sunt, ex nobilitate; inter quos nostro tempore Stephanus de Toblhaim bonus Oeconomus, qui ædificia Monasterij ruinosa ex fundamentis restaurauit, æs alienum soluit, prędia multa emit. Ac nihilominus Anno 1579. moriens, magnam vim pecunię reliquit in vtilitatem Monasterij posteà collocatam.

S. PAVLI MONASTERIVM MONIALIVM RATISPONAE.

CVM Monasteria duo, inferius & superius, Ratisponę à regulari vita multum discessissent, nec reformari vellent, S. VVolfgangus Episcopus tertium, nempe S. Pauli Monasterium fœminarum instituit, Anno 994. sub regula & professione S. Benedicti, & congregationi huic primam Abbatissam præfecit Brigitham, S. Heinrici Imperatoris sororem à se baptizatam, ad quarum regularem obseruantiam & imitationem alia duo Monasteria prouocata sunt, vnde versiculus, quem ipsemet scripsit:

Struxerat ædiculam Mandrita Lupambulus istam.

Mandrita, id est, Pastor ouium. Lupambulus, id est, VVolfgangus. Eum iuuit Heinricus Dux Bauariæ, pater Heinrici S. Imperatoris. *Auent. lib. 5 fol. 500.*

PA-

PÄRING MONASTERIVM CANONICORVM REGVLARIVM S. AVGVSTINI.

MONASTERIVM hoc fundatur per Conradum, Heinricum & Gebhardũ Canonicum maioris Ecclesiæ Ratisbonensis, Comites de Raning & Rotenburg, germanos fratres, vt testatur sequens diploma fundationis Heinrici, Episcopi Ratisponensis. Obiit autem Heinricus Comes, Anno Domini 1142. In illo Monasterio sepultus dicitur fuisse Com. Mospurgen. cui etiam insignia Mospurgensia assignantur, fortè vnius familiæ, vt etiam Ioan. Auent. in sua translatione Annalium coniungit Com. de Raning & Mospurg, qui, Raningẽsibus deficientibus, in iure Aduocatiæ Päringen. Monast. successerunt, rursum per electionem Præpositi & Conuentus Domini de Lapide, posteà Domini de Abensperg, postremò Principes Bauariæ subrogati sunt, vide Abensperger. Comitum Genealogiam, in libro meo Stẽmatum Bauariæ. Sequitur diploma fundationis.

IN NOMINE sanctæ & indiuiduæ TRINITATIS. Heinricus per misericordiam Dei Ratisponensis Ecclesiæ Episcopus: omne, quod scribitur, testamẽtum rerũ gestarum continet notitiã, memoriam, fidem & firmamentum. Nouerint ergò omnes Christi fideles, tam futuri quã præsentes, qualiter quidam nobiles, tres vterini fratres, Conradus primogenitus, nec nõ Heinricus, Laici, & Gebhardus, matricis Ecclesiæ Canonicus, cum bonæ voluntatis matre sua, nomine Machthilda, venerabili Vidua, diuinum cultum ampliare, & Christo in pauperibus suis ministrare cupientes, Præposituram Canonicorum regularium, secundùm regulam beati Augustini, in parte prædij sui, in loco, qui Pargen dicitur, in Ecclesia baptismali, nostra autoritate constitutã, manibus propriis legitimè contradiderunt, in manu nostra beato Petro Apostolo, ad altare matricis Ecclesiæ, ad pacem & quietem, & libertatem eiusdem Ecclesiæ, quam constituerant, tutiùs muniendam. Postulante hoc ipso dilecto filio nostro Vdalrico, eiusdem Ecclesiæ Præposito, ea interposita firmitate, vt fratres inibi Deo seruientes secundùm regulam beati Augustini lineis vtantur, & ordo Canonicus perpetuus inuiolabiliter cõseruetur: Vnde & nos rationabilibus petitionibus eius annuentes, in primis eandem Pärgensem Ecclesiam præsentis scripti pagina communiuimus, firmiter & immobiliter statuentes, vt quascunque possessiones, quęcunque bona eadem Ecclesia in præsentiarum canonicè possidet, aut in futurum, concessione Pontificum, liberalitate Regum vel Principum, oblatione fidelium seu aliis iustis modis, Deo propitio poterit adipisci, firma eidẽ Ecclesiæ & illibata permanere; ita vt nulla Ecclesiastica, secularisúe persona aliquid exinde minuere vel auferre præsumat. Decernimus præterea, vt Ministeriales matricis Ecclesiæ, pro remedio & salute sua, suorumq́ue, si voluerint, prædia sua liberè eidem loco conferant, sine nostra & omnium Successorum nostrorum, Ratisponensium Episcoporum contradictione: De beneficiis verò, pro nostra Successorumq́ue nostrorum voluntate & concessione fiat. Vt autem Præpositus & fratres eiusdem loci omnipotentis Dei seruitio vacare liberiùs valeant, ab omni exactione rerum temporalium liberos eos & quietos de cætero esse decernimus. Obeunte verò Præposito eiusdem loci, nullus inibi qualibet surreptionis astutia seu violentia præponatur, nisi quem fratres eiusdem loci communi assensu, aut fratrum pars concilij sanioris, secundùm Dei honorem & B. Augustini regulã, præuiderint eligendum. Et si idoneus in claustro proprio, quod absit, non inueniatur, proprij Episcopi & Pręsidentium consilio & auxilio aliunde obtineatur. Baptismum quoque & sepulturam ipsius loci omnino liberam esse decernimus, vt eorum, qui illic sepeliri deliberauerint, deuotioni & extremę voluntati, nisi fortè excommunicati sint, nullus obsistat. Adiicimus insuper, vt de progenie fundatorum eiusdem loci Aduo-

Aduocatus habeatur, qui si fortè rerũ Ecclesiasticarũ dissipator, & fratrib. ipsis onerosus vel importun⁹ extiterit, ab Episcopo canonicè cõmonitus, si incorrigibilis est, abiiciatur, & alter de progenie fundatorum, consilio Præsidentium idoneus substituatur. Quod si idoneus in successione inueniri non poterit, vel successio fundatorũ defecerit, ad extraneum quẽcunq; idoneum Aduocatia transferatur. Deniq; si qua fortè præpotens persona locum prædictum destruxerit, & Canonicos violenter eiecerit, fundatores vel eorum hæredes, bona quęcunq; ab eis præfatæ Ecclesię contradita sunt, non in proprios vsus retorqueant, sed sine distractione custodiant, eiectis fratribus omnimodis profutura. De cæteris autem bonis, quę eidẽ Ecclesiæ aliunde peruenerunt, Canonici matricis Ecclesiæ in eundem modũm prouideant. Si quis autem huic nostræ constitutioni temerè contraire temptauerit, secundò tertióue commonitus, si non præsumptionem suam congrua satisfactione correxerit, anathema sit, atq; à sacratissimo corpore ac sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri Iesu Christi alienus fiat, atq; in extremo examine districtę vltioni subiaceat, cunctis autem eidem loco sua iura seruantibus, gratia & pax à Deo Patre nostro & Dño Iesu Christo, quatenus & hîc fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum iudicem præmia æternę pacis inueniant. Amen. Acta sunt hæc Anno M. C. XLIII. 7. Calend. Nouemb. indictione sexta.

BENEFACTORES HVIVS MONASTERII.

HEINRICVS de Haizkhouen Ministerialis Ecclesiæ Ratisponeñ. vxor Beatrix, filij, Conradus & Heinricus, dederunt aliqua bona Monasterio, Heinricus Miles de Drupach, Conradus Miles de Pünnenckhouen. Extant ibidem literæ, Anno 1220.

CAPITVLVM Ratisponensis maioris Ecclesiæ dedit huic Monasterio Parochiã in Leurendorf, Anno 1291.

CONRAD de Turtenueld instituit ibi anniuersarium, Anno 1291. Testes, Fridericus de Rorbach, Fridericus Seeman, Vlricus Miles, & Heinricus, fratres, dicti Zieglhauser

S. PETRI IN SALZBVRG

CELEBRE Monasterium ordinis sancti Benedicti, ex quo multi egregij viri ad gubernandos varios Germaniæ Episcopatus ac Abbatias prodierunt, construitur ac instituitur per sanctum Rupertum, vnà cum Episcopatu Salisburgensi, auxilio & munificentia inclyti Theodonis Ducis Bauariæ, quem sanctus Rupertus in fide Christiana Ratisbonæ instituit, vnà cum suis optimatibus, sacræ regenerationis lauacro abluit, circa Annum 580. In hoc Monasterio & ipse sanctus Rupertus & septem sui Successores sedem Episcopalem habuerunt, tàm Episcopatui quàm Abbatiæ laudabiliter profuerunt, ibidemque humati sunt, vsq; ad sanctum Virgilium, qui crescente multitudine Christianorum relinquens Abbatiæ gubernationem Bertrico pio ac docto Monacho, aliam sedem Episcopalem erexit, & insignem Basilicam nouam, in honorem sancti Ruperti primi Salisburgẽsis Episcopi ac Doctoris construxit, quam absolutam, Anno 774. ipsemet consecrauit, eoq; sanctum Rupertum, cum duobus suis Sacellanis viris sanctis, ex æde sancti Petri trãstulit; de qua re ac cæteris Abbatibus huius Monasterij latiùs videat, qui vult, Bruschium in sua centuria Monasteriorum Germaniæ.

S. PETRI CONSECRATI.

VVLGO Weyh S. Peter/Scotorum extra muros Ratisbonen. & sancti Iacobi intra muros. Monasterium hoc dicitur tempore Caroli Magni inceptum, & in colle victoriæ extra muros positum, vbi corpora interfectorum sepulta, consecratum miraculosè per sanctum Petrum cœlitus, iuxta Chronicon illius Monasterij apocryphum, &c. Sed cùm iste locus arctior & angustior esset, quàm vt tot fratres caperet, ædificatum est in agro quodam plano & lato Domini Alberti, Nobilis viri de Midersil in montanis, qui residebat in propriis possessionibus apud Phrandenhusen, Monasterium Scotorum in honorem D. Iacobi, sub Dominico primo eius loci Abbate, tempore Erckanfridi Episcopi Ratisbonen. & Lotharij Imperatoris, circa Annum 845. Ita habet Chronica Episcoporum Ratisponensium.

VERVM Auentinus libro 5. Annalium, fol. mihi 554. ex diplomatibus, quæ extant longè aliter, nempe D. Marianum cum sociis, sub Heinrico quarto Imperatore, ac Ottone Episcopo Ratisponā venisse, ab Hemma, Abbatissa superioris Monasterij hospitio exceptum, posteà à VVilla Abbatissa, quæ Hemmæ successit; Templum diui Petri extra vrbem, quod VVeichs vocant, consentienre Ottone Episcopo, impetrâsse, Mathildam inferioris Monasterij zirum ac ceruisiam tribuisse, ibidem ope piorum domicilia construxisse, in diem vixisse docendo ac interpretando sacras literas, scribendo victum, & magnam gloriam conquisiuisse, ob eamque rem ab Imperatore Heinrico quarto in tutelam receptos, & immunitati donatos esse, iuxta diploma, cuius datum Kalend. Febr. Anno 1088. indictione 12. ordinationis Regis XXXVI. Imperij V. Factū in Rognia ciuitate. Idem Auent. in Annalibus suis, lib. 6. fol. 614. & sequenti ita scribit. Vbi Scoti Ratisponæ propter multitudinem confluentium Scotorum angustius habitare cœperunt, Fridericus Comes de Frontenhausen, Otto Comes Rictenburgen. Burggrauius Ratisponen. frater eius Heinricus, cum vxore Bertha, quæ filia fuit Leopoldi, Austriaci Ducis, Luitgarda, vxor Friderici Comitis de Pogen, Aduocati Ratisponen. Ecclesiæ, quam alibi Adelhaidam vocat, Gundackerus & VVernherus de Laber grande Monasterium D. Iacobo & Gertrudæ, intra mœnia vrbis, condunt, Comites de Laber & Rietenburg prædia apud Nariscos tribuunt, illorum ibi monumenta extant. Berchta ibidem sepulta, vineas in Austria donauit, Hartvvicus Episcopus Ratisponen. Templum dedicauit, Anno 1120. primus Abbas fuit Mauritius, confirmatur per Calixtum Pontificem Maximum, & Imperatorem Heinricum quintum; Mauritio successit Christianus. Fabulæ igitur sunt, hoc Monasterium a Carolo Magno conditum esse, qui ante trecentos annos obierat, &c. Durauit autem sancti Petri Ecclesia extra vrbem sub suo Priore. Super cuius electione & institutione aliquando lis fuit inter Abbatissam superioris Monasterij, & Abbatem sancti Iacobi, sopita & transacta per Conradum tertium, Ratisponensem Episcopum. Extat diploma de Anno 1216. vsque ad Añum Domini 1552. Quo in bello Sociali, quod Principum vocant, per Philippum Comitem ab Eberstain, qui Cæsaris nomine præsidio militari Ratisponæ præerat, prædicta Ecclesia sancti Petri, quæ hostibus propugnaculi vice extra vrbem esse poterat, cum omnibus suis ædificiis penitus deiecta & excisa est, constituto ibi publico cœmiterio, vulgariter ein Gotzacker/ꝛc.

DE fundatoribus Monasteriorum pro Scotis in Germania, præsertim Ratisponæ, vide eundem Auentinum, libro sexto, folio 631. De qua re etiam duo diplomata extant, HEINRICI quarti, & filij eius HEINRICI quinti, Imperatorum, huius tenoris:

IN NOMINE sanctæ & indiuiduæ TRINITATIS. Heinricus diuina fauēte clementia tertius Romanorum Imperator Augustus, omnibus Christi fidelibus, tàm futuris quàm præsentibus notificamus, ac manenti memoriæ committimus, qualiter tempore Ottonis, Ratisbonēsis ciuitatis Episcopi, quidam Scotigenæ pro cruciando corpore, saluandaque anima patria sua exulauerant, ac diu orationum loca visitantes, Ratisbonam tandem venerant, qui dum licentia prædicti Episcopi, assensuque Dominæ Abbatissæ VVillæ, quæ tum apud sanctam Mariam in Monasterio superiori præerat, Ecclesiam in VVihen sancti Petri vulgò dictam, ad idem superius Monasterium attitulatam, Ministerio orationis prouidendam susciperent; mox officinas claustri adiutorio bonorum ædificant, Monachorūque vitam inibi celebrant, & ab eleemosynis fidelium tantùm ibi victitant, tandem pro Dei misericordia concessum est, eis aliquantulum iustitiæ & vtilitatis ad eandem Ecclesiam pertinentis: Deinde ad me Heinricum, Dei gratia tertium Romanorum Imperatorem veniunt, & Mundiburdium defensionis meæ expetunt. Ego verò petitionibus eorum facilè acquiescens, in Mundiburdium defensionis eos suscepi, & talem libertatem à prædicto Episcopo Ottone & Abbatissa Hazoga, quæ tum locum sanctæ Mariæ in superiori Monasterio regebat, eis acquisiui, vt nulla persona maior vel minor in eos, aut in bona eorum qualiacunque Dominationem habeant, prętermé & successores meos, Reges vel Imperatores, sed securi maneant absq; omni eiectione, vel perturbatione, orantes pro se & pro salute totius Ecclesiæ.

LOCVS tamen subiectus sit superiori Monasterio, cui attitulatus est potiùs ad defensionem, quàm ad destructionem. Si quis aūt huic testimonio libertatis cōtradixerit, seu eos Monachos peregrinos in aliquo molestauerit, 100. libras fisco nostro persoluere constituo. Et, vt hæc autoritas libertatis firma permaneat, hāc chartam inde conscribi, & sigilli mei impressione iussi signiri. Datum est Calen. Febr. Anno Dominicæ incarnationis M. LXXXIX. indictione XII· Anno verò ordinationis dn̄i Heinrici XXXVI. Imperij quidem anno V. Actum Ratisbonæ in Dei nomine fœliciter, Amen. Hermannus Cancellarius recognoui.

SIGNVM Dn̄i Heinrici tertij, Romanorum Imperatoris Augusti, &c.

IN NOMINE sanctæ & indiuiduę Trinitatis. Heinricus diuina fauente clementia quartus, Rom. Imp. Augustus. Nouerit omnium S. Dei Ecclesiæ fidelium, nostrorumq; vniuersitas, præsentium scilicet ac futurorū, quòd pro remedio animæ patris nostri Heinrici tertij Imperatoris, rogatu Scotigenarum, necnon ob interuentum Principum nostrorū, Alberti Moguntinensis, Adelbaldi Magdaburgensis, Archiepiscoporum, & Episcoporum videlicet, Ottonis Babenbergensis, Vdalrici Constātiensis, Comitū quoq; Herimanni de Saxonia, Gorfridi de Caloen, Hermanni Marchionis & aliorū nostrorum fidelium, in nostrum Mundiburdium suscepimus tutelāq; Ecclesiam Ratisbonæ, quæ iacet ante portam Occidentalem, quæ Roselint (aliàs Ruselin) porta dicitur, quam Otto Rittenburgensis vrbis Præfectus, Ratisbonæ, & alij quidam ex ciuibus eiusdē prænominatæ ciuitatis, videlicet Matho, Vdalricus, Luduinus, Adelhardus & fratres eius Anebast, Otto, Heinricus, Heselinus, & filius suus, Ruobertus, Balduuinus, Eggehardus, Ludvvinus, VVizeling, Lubelbertus, Diethmarus, Engilscalcus, emerunt ab Adelhaide, & filiis eius, Vdalrico & Adelbuino, & prædio illo, quod Monespach nominatur, dotauimus, assensu quoque Hartvvigi venerabilis Ratisbonēsis Episcopi, Friderici Aduocati, Ottonis Comitis, Alberti Comitis, Heinrici Aduocati, Mathonis & aliorum Prælatorum eiusdē loci, donātes eā S. Marię matri nostri Dn̄i, & sanctis Apostolis Dei, Petro & Iacobo, sicut mos est Sanctis tradi, sine omnium contradictione, quatenus in illorū honore Deo adseruiendum, Ecclesiam ibidem construerent, quod & ita factum esse ab omnibus cernitur; eo siquidem tenore, vt eadē Ecclesia in perpetuum libera permaneat, nec

ab aliqua persona magna, vel parua, ibidem Deo famulantes grauentur, nec quicquam seruitij, nisi soli Deo & Sanctis eius, alicui inde soluere cogatur. Si quis autem hanc libertatem infringere tentauerit, 12. libras auri compositurus Banno nostro subiacebit, medietatē cameræ nostrę, & medietatem suprà dictæ Ecclesiæ. Quod vt verius credatur, & ab omnib⁹ obseruetur, impressione nostri sigilli iussimus insigniri.

SIGNVM Domini Heinrici quarti, Romanorum Imperatoris inuictissimi.

ARNOLDVS vice Adalberti Archiepiscopi & Archicancellarij recognoui. Data 7. Kalend. Aprilis, indictione IIII. Anno Dominicæ incarnationis M. C. XI. anno ordinationis Domini Heinrici Regis Romanorum XI. regni autem eius VI. Imperij verò primo. Actum est Goslariæ in Christo fœliciter. Amen.

VIENNAE atq; Norinbergæ Scoti exacti, templa indigenis tradita, Anno 1413. Auent. lib. 7. fol. 811.

S. PETRI MATRONÆ.

IN vertice Matronę montis, qui in superiori Bauaria D. Petro dicatus, Oeno continuatur, supra castrum Falckenstain, ac in illius ditione situm Monasterium Berchtoldus Com. ab Andechs & Diessen Monachis S. Benedicti ædem condidit, circa Annum 1100. Auent. fol. 614. sed alibi fol. 692. ponit, quòd Arnulphi Com. filij, Poppo, Berchtoldus primus, Otto VVolfratshusius, & Gebhardus, hoc Monasterium fundàrint. Defecit hoc Monasteriū posteà, ac excisum est in eo bello, quòd Ruodolphus Dux Bauariæ, iussu Soceri sui Adolphi, Rom. Regis, contra Menardi Ducis Carinthię & Com. Tyrolē. filios rebelles Imperij gessit; Monachi in exiliū acti; Conradus ab Hornstain eiusdem religionis, sacras reliquias ac librum Missalem perveterem, quæ adhuc hodie monstrantur, secum abstulit, Anno 1296. ac in sanctum montem Andex portauit, iuxta Auent. lib. 7. Annalium, fol. 728. & in vulgari sua translatione. Deinde Monasterium hîc in Præposituram abiit, quam Princeps plerunque alicui ex aulicis Sacerdotibus confert, qui ibi Vicarium habent, absque vlla animarum cura, quæ ad Parochiam Flinspach ditionis prædictæ in Falckenstein pertinet.

PETTENDORF

NON longè à Ratisbona inter hostia Regni & Nabi Nariscorum, Ludouicus quartus Imperator, dictus Bauarus, sanctarum Virginum Monasterium dedicauit ac construxit. Auent. lib. 7. Annalium, fol. 790. De quo plura non habeo.

PFAFFENMVNSTER

COLLEGIATA Ecclesia Canonicorū supra Straubingam fundatur cum aliis septem Monasteriis, per Vtilonem Ducem Bauariæ, instinctu S. Pirminij, Meteñ. Episcopi, qui eam dedicauit in honorem sancti Tiburtij. Otto Argentineñ. Episcopus Monachos sancti Benedicti dedit, circa Annum Domini 742. Heinricus Dux Bauariæ Canonicos in Meten, transtulit ad hanc Ecclesiam Monasteriensem. Et Monachos, è contra, collocauit in Meten, circa Annum 1156. Hæc Ecclesia aliquoties igne consumpta, desolata & paulatim rursus erecta legitur. Testantur hoc

vestigia murorum. VVilhelmus piissimus ac Catholicissimus Princeps pio zelo, cum consensu summi Pontificis, necnon Ordinarij Ratisboneñ. Episcopi transtulit Collegium hoc Straubingam, ac cum Parochiali Ecclesia ibi vniuit, iisdem ferè statutis, regulis ac priuilegiis, sicuti Collegiata Monachij est Ecclesia, hoc currente 1581. Anno, quod Deus bene vertat.

PLVEMENTAL ORDINIS S. MARIÆ FRATRVM TEVTONICORVM.

DE prima institutione istorum ordinum, nempe S. Ioannis, Templariorum, ac S. Mariæ Teutonicorum, vide si lubet, Volaterranum, lib. Antropologiæ 21. Ioan. Nauclerum in Chronica, lib. 2. Generat. 37. & Münsterum & alios.

PLVEMENTAL & Aicha fuerunt olim, nempe Anno 1350. duæ distinctæ domus ac cõmendaturæ ordinis Teutonici, quæ ab vno Magistro sunt gubernatæ. Auentin. in suamet translatione Annalium ponit: Ducem Ludouicum, primum huius nominis, hanc ædem Pluemental fundâsse, sed in Latinis Annalibus nihil de hoc. At in libro traditionum, seu in Chronica fundationis Vnderstorfensis Monasterij scribitur, Ottonem Comitem de VVitlspach, fundatorem Ensdorf & Vndensdorf, fundâsse Monasterium Kuebach, & ædem illam in Aicha. De Kuebach aliter seres habet, quod fundatum est à Comitibus ab Eberspergh. De æde in Aicha & Pluemental nihil certi adhuc comperi. Nam diplomatum fundationum videndorum hactenus facultatem non habui.

DESTRVCTO post occisum Philippum, Romanorum Regem, Ottonis VVitlspachij occisoris castro VVitlspach, Ludouicus Bauariæ Dux, patruelis suus, Templum ibidem Deiparæ Virginis condidit, & sacratis militibus tradidit, ex reliquis lapidibus Aicham deuectis, ciuitas ibi condita, ac muro cincta est. Auentin. in Annalib. fol. 661.

RETRO altare Chori ibi in Pluemental scriptus est rythmus Germanicus, numeris syllabarum non admodum quadrans.

Berchtoldt Graf von Schiltperg ward ich genannt/
Der Teutsch Orden war mir in solcher Ehrwurdigkeit bekannt/
Daß ich jhnen das Hauß mit etlichen zugehörigen thet geben/
Gott verleyh mir/ vnd vns allen das ewig Leben. Amen.

NVLLVM inuenio Berchtoldum Comitem, sed bene Berchtoldum Marschal, cum de Schiltperg. Erat enim hic Berchtoldus, Marschalcus Ducis Bauariæ Ludouici, patris Ludouici Imperatoris, Anno 1262. huius filij, Vlricus, Heinricus & Conradus; post quorum obitum lis suborta inter Ludouicum prædictum & fratrem eius Heinricum, Ducem inferioris Bauariæ, super feudis ipsorum, compromisso seu laudo decisa est, vt feudalia, semotis allodialibus, inter ipsos æqualiter diuiderentur, Anno Domini 1286. Extant diplomata Monachij.

LVDOVICVS quartus Imperator dedit fratribus huius Aicheñ. ædis, propter fidelia seruitia & laborem in cingenda ciuitatis fossa, eam partem fossæ, quæ aream & domum suam circuit, permittens illis ibi portam facere, versus Alkesthausen, eamque meliori modo custodire, Anno 1321. vbi hodie sunt granaria & Principum & Scholæ Vniuersitatis Ingolstadiensis.

EST quoque alia domus fratrum Teutonicorum huius ordinis, intra muros ciuitatis Ratisbonensis, apud sanctum Egidium. De cuius institutione nihil vidi, neque inuestigare potui. Huius prædia atque redditus in Bauaria sunt sita. Inter alia

Grasarx cũ pertinentiis, prope Ratisbonam. Commendatores vocantur præfecti harum domorum, ac censentur inter alios Nobiles Bauariæ laicos eisdem priuilegiis & immunitatibus gaudentes, non inter Ecclesiasticos. De domo Ganckhouen eiusdem ordinis suprà breuiter annotatum est.

POLLING MONAST. CANONICORVM REGVLARIVM ORD. S. AVGVSTINI.

Auent. fol. 391. POLLING Monasterium fundatur pro sacratis Virginibus, vnà cum aliis septẽ Monasteriis per Landfridum, VValdramum & Eliland um, fratres, Comites ab Antorf & Loysa, vt latiùs de ipsis in Monasterio Burensi habetur. Tassilo Dux, filius Vtilonis, Pollingẽ & VVessesprunn ampliauit & instaurauit. Nam iuxta monumẽta Pollingeñ. Tassilo Dux ibi venatus, ceruа dum fugit canes insequẽtes, subitò substitit, terram effoderenon cessans pauida, terrefactus Dux effodit crucem, tabula affixam, creditur esse cornu piscis, adhuc extat, sexto Calend. Maij, dedicatum à D. Bonifacio. Tassilo obiit Idibus Decembris, Anno 788. iuxta versiculum:

Idibus in ternis decessit ille Decembris.

Auent. fol. 407. DEVASTATVR vnà cum aliis Monasteriis per Vngaros, Anno 973. posteà per Heinricum sanctum reficitur & dotatur, cuius diploma tale est:

IN NOMINE sanctæ & indiuiduæ TRINITATIS. Heinricus diuina fauente clementia Rex, Si Ecclesiarũ Dei loca alicuius doni interuẽtu meliorare & ditare studuerimus, nobis id profuturum esse minimè dubitamus. Quapropter omnium Christi fidelium, præsentium atq; futurorum nouerit vniuersitas, qualiter nos diuini amoris instinctu a c remedio animæ nostræ, siue interuentu atque petitione Engelberti, Episcopi Frisingensis Ecclesiæ, tale prædium, quale in villis, Pollinga, VVeilhaim, Vbingen, Rieden, Ainstetin, Aschering, Hochenvvanc, Pfaffenhouen nominatis, Monasterio in honore S. Saluatoris Domini nostri Iesu Christi, in eadẽ villa Pollinga constructo, priùs pertinere videbatur, situm in Comitatu Alberonis Comitis; In pago verò Housi, & posteà in beneficium datum multis fuit, nunc etiam cum omnibus eius pertinentiis seu appendiciis, areis, ædificiis, pratis, pascuis, &c. quæsitis & inquirendis, atq; cum familiis vtriusq; sexus, siue cum omnibus, quæ quolibet modo dici aut nominari possunt vtilitatibus atq; cum cortalibus, decimationibus, in illis duabus villis, Vbingen & Ascheringen dictis, per hanc nostrã regalem paginam corroborando & confirmando ei Monasterio, ad vsum & stipendia fratrum inibi Deo famulãtium integrè concedimus atq; largimur, ac de nostro iure ac dominio in eius ius & dominium transfundimus.

SIGNVM D. Heintici, Regis inuictissimi, Guntherius Cancellarius vice VVilligisi Archicapellani notauit. Datum 16. Calend. Maij, Indictione octaua, Anno 1010. Anno verò Domini secundi Heinrici regnantis octauo. Actum Regenspurch fœliciter. Amen.

∴ EX QVO apparet tempore huius restitutionis ibidem fuisse fratres. Scribit Auentinus in Annalibus suis, fol. 292. Polling & Schlechdorf ab Vngaris afflicti, amotis illis fratribus, mystæ D. Aurelij Augustini sunt & nominantur. Fuerunt nihilominus ibidem etiam Moniales, sicut in plerisque aliis, quas Gisala Imperatrix, Conradi Salici vxor, quæ obiit, sexto Calend. Februarij, Anno 1041. 42. vel 43. eiecit ex isto loco, substitutis Canonicis.

ADVOCATIA huius Cœnobij à primis fundatoribus data fuit Episcopis Brixinẽsibus, qui eam administrãrunt, vsq; ad Hartmannum Episcopũ, qui eã ẽtulit iure feudali

dali dictam Ecclesiam, quod nimis remota erat Heinrico Duci Bauariæ, & Saxoniæ protegendam. Diploma extat.

IN NOMINE sanctæ & indiuiduæ TRINITATIS. Heinricus diuina clementia Bauariæ & Saxoniæ Dux, &c. ait, se Aduocatiam Monast. Pollingen, petitione Præpositi & fratrum accepisse, feudali iure, ab Hartmāno Episcopo eo pacto, ne alicui ipse, aut Successores alij eandem tradant, sed immediatè Ducibus subiectum sit. Quod si nos, aut Successores nostri aliter egerint, alium eligant Aduocatum, nec grauabit nouis exactionibus: Testes, Fridericus Pala. Comes, Marchio Berchtoldus, Adelgoz Augustensis Aduocatus, Eberhardus de Vrichendorf, Heinricus de VVida. Acta sunt hæc, Anno Domini 1160. Indict. 7. Anno Imperij Domini Friderici, inuictissimi Romanorum Imperatoris VI.

CIRCA Annum 1300. infra spacium 20. annorum, propter nimias exactiones Principum & Aduocatorum, infra scripta Cœnobia sanctimonialium ad tantam paupertatem redacta sunt, vt intrarent claustrum sancti Laurentij in Peurn, ordinis sancti Benedicti, nempe claustra Polling, Raitenpuech, ordinis sancti Augustini, videlicet regularium Canonicorum, & claustrum ordinis Præmonstratensium etiam Monialium in Staingaden, &c. *Ex libro Monasteriorū in Diethraß zell.*

BENEFACTORES MONASTERII POLLINGENSIS.

ANNO Domini 1163. Hartmannus Brixinensis Episcopus, in die inuentionis sanctæ Crucis, rediens à curte regali Friderici Imp. quæ habita Mogontiæ, cùm & ipsa destructa est, tradidit Pollingē. prædium suum in Obroluing situm vnū mansum, accepit priùs Arnoldus, miles Larnandi, a fratribus non in beneficium, sed in seruitium more coloni *Ex rapsodia Anon. Schwaig.*

VVERNHERVS Nobilis tradidit prædium Magnibach, Testes Odalschalcus de VValheshusen, frater VVito cum 7. filiis.

NOBILIS VVernhardus prædium Rieth tradit, acceptum à Reginberto Episcopo Brixinensi, & eius Aduocato, Arnolpho Comite: Testes, Conradus Seifridus de VVeilhaim.

BECILIVS de Kirchdorf tradit hæc, VVigesvvilet & Lancvvate permissione Guelphonis Ducis: Testes, Heinricus Decanus de Nazzenburen.

BERNHARDVS Aduocatus Pollingensis tradidit mansum in villa Heticing pro calice ablato, Hilreberto Præposito.

CONRADVS Comes & Dux de Dachau, tradidit Odrating, per manus Cōradi Comitis de Vallai: Testes, Dux VVelpho senior, Arnoldus Comes de Dachau, Otto Comes de Vallai, VVolftrigl de Künigsvvisen, Otto de Aschaim, Degenhart de Sephelt, de familia Com. & Ducis.

IDEM Conradus Dux de Dachau tradidit Rumne (Reüt im Intal bey Hall) Testes, Bernhardus de Rotesee, Albertus Comes de Tyrol.

VVELPHO Dux tradidit mansum VVinchele, qui fuit Vdalrici de Egilingen, per manum Popponis, Com. de Andechs Testes, Heinricus Herman de Ramingen, Berchtoldus Com. de Andechs, Heinricus Comes de VVolfrateshusen, Albert' Comes Tyrolē. Gotfridus Com. & Reinbert' de Kümesberch, Egino Com. de Nisen.

HEINRICVS Dux Bauariæ & Saxoniæ iudicio adiudicauit Riet, lis erat inter Polling, & Heinricū de Hochenvvane, Iudex eum Duce Betchtoldus, Com. de Andechs: Testes, Fridericus & Otto Palat. de VVitelinespach, Heinricus Præfect' de Regēspurg, Heinricus de Stousen, Dietricus eo tempore Præpositus Ducis, H. de Cohmunnoshouen. Post hæc accepit de manu fratrum ad seruitium trium denariorum vsq; ad obitum Gisalæ Ministerialis Brixinē. Ecclesiæ. Gesta sunt hæc Anno Christi 1162. quo destructum est Mediolanum & celebratum Concilium in decollatione S.

Ioannis Baptistæ in Episcopatu Bisunti super fluuium Saona, cui interfuit Fridericus Imperator, Ludouicus Rex Franciæ, Heinricus Dux Saxoniæ & Bauariæ.

FACTVM iudicium in castro Landespurch, cotam Principibus suprà nominatis, cum quibus ipse Dux Concilio Vesontionensi seu Bisunti interfuit, &c.

Auent. lib. 7. fol. 700. FRATER Albertus, Episcopus quondam Ratisbonen. Apostolicæ Sedis autoritate Crucis prædicator per Alemaniam & Bohemiam, pro subsidio terræ sanctæ, vniuersis Christi fidelibus in Domino salutem, 40. dies indulgentiarum donat Pollingensi Templo, in festo exaltationis S. Crucis & innocentum, atque dedicatione. Datum Pollingen, Anno Christi 1263. tertio Non. Maij. Extat ibidem priuilegium: In quo Elisabetha, Dei gratia, Regina & Comitissa Goricen. atq; Tyrolensis, Monasteriũ illud Portorij, Passeri, Stiracij, Oenobrige, hoc est, Passier, Stertzing, Inspruck, immunes esse iubet, Anno 1263. 4. Calen. Octobris. Fuit hęc Elisabetha filia Ottonis, Ducis Bauariæ, Soror Ludouici & Heinrici, &c. vxor quondam Conradi Regis Rom. filij Frider. II. posteà verò Menardi Comitis Goricen. atq; Tyrolen. quæ nihilominus priori Reginæ titulo vsa est. Auct. ibid. fol. 701.

PRVEL

Auent. lib. 5. fol. 507. MONASTERIVM prope Ratisbonam ordinis Carthusianorum. Gebhardus Episcopus Ratisbonensis, primus huius nominis, non secundus, Comes de Hohenvvart familiæ Andecensium, fundo Pruel prope Ratisbonam, per cõmutationem à Monasterio S. Emerani acquisito, instituit ibi Monasterium S. Benedicti ordinis, Anno 997. sub Ottone tertio Imperatore.

CONRADVS secundus Imperator dono dedit huic Monasterio agrum cõtiguum, vbi nunc est villa & Hofmarchia, dicta Kumpfmũl, Anno 1036.

EPISCOPI Ratisbonenses prætendebant aliquando ius ad dictam Hofmarchiam, volentes eam trahere ad suum iudicium, quod Brobstrecht vocant, instituta querela, de hac re coram Concilio Basiliensi, per Fridericum Episcopum, Anno 1445. Sed relictus est Abbas in sua quieta possessione vsq; nunc. Hartvvicus Episcopus cœptum hoc & ruinosum Monasterium restaurauit, & sub Abbate eius loci septimo Ruthardo consecrauit, circa Annum 1196.

HEINRICVS Episcopus Ratisbonensis impetrauit à Gebhardo, Comite de Kregling, quatenus Aduocatiam illius Monasterij, quam idem Comes ab Episcopo in beneficium habuerat, deinde commendatam certis modis haberet, vt de agris Monasterij infra miliare vnum nihil pensionis exigeret, resignato omni iure placitationis infra ambitum Monasterij. Prædia verò de nouo acquisita vel acquirenda idem Episcopus, consentiente Comite prędicto, commendauit Heinrico, Præfecto Ratisponen. non iure beneficij, sed defensionis gratia; ita vt sine voluntate Abbatis nullum ibi placitum habeat, & de singulis prædiis Monast. solummodò modium auenæ exigat, &c. Item vt Abbas aliquem ex Ministerialibus Episcopi eligere valeat, qui Monasterio rebelles seruitores & rusticos compescat, &c. Acta sunt hæc Ratisbonæ, Anno 1143. Confirmat hoc Conradus Episcopus, referens integrum tenorem præcedentis diplomatis, &, quòd Comes Gebhardus omnibus iuribus, quæ vel Aduocationis, vel feudi nomine in Ecclesia Pruelẽsi & eius redditibus habebat, liberè renunciauit, &c. Extant diplomata ibi, postremum sine dato.

ELECTVS est autẽ Conradus Episcopus, Anno 1186. Vide Catalogum illorum Episcoporum.

ALBER-

ALBERTVS Dux Bauariæ, dictus sapiens, eiectis Benedictinis, propter vitæ dissolutionem Carthusiensibus tradidit, autoritate nimirum Apostolica, Anno 1484. Initium huius ordinis ponit Iohan. Auent. lib. 5. Annalium fol. 581.

PRVFENING, ALIAS BRVFLING

SVPRA Ratisponam ad confluentes Danubij & Nabi, fundatur per sanctum Ottonem, Episcopum Bambergensem, Pomeranorum Apostolum, Año 1109. Cùm verò locus ille Monast. ad Canonicos veteris Capellæ pertineret, S. Otto alterius prædij permutatione locum illum obtinuit; eiectis deinde secularibus Canonicis, substituit Præmonstraten. Anno 1122. Hic Otto Episcopus dedit castrum suum & vicum in Abach, cum pertinentiis, quę S. Heinricus antea Ecclesię Bambergensi dederat. Destructum est castrum per Ottonē Episcopum, ne rursus à Principibus Bauarię occuparetur, qua re parùm profecit. Nam Ludouicus Dux alia largitus prędia Cœnobio, arcem restaurauit & occupauit. Auent. in Annalib. fol. 3. 614. 660.

PRIMVS Abbas illius Monasterij sanctus Erchamboldus, ex Hyrsaugiensi Monast. ascitus, obiit Anno 1121. sub Hartvvico Episcopo Ratisponensi.

RAITENBVECH

MONASTERIVM Canonicorum regularium Ordinis S. Augustini. Fundatum est hoc Monasterium, Anno 1185. à Guelphone quarto huius nominis, & primo Duce Bauarię, cuius pater eiusdem nominis Guelpho tertius Monasterio in Altorf, quod nunc VVeingarten dicitur in Sueuia, ac S. Martino omne suum patrimonium in perpetuum donauit, ipse quoque diem extremum claudens, ibidem sepultus est. Filius huius, Guelpho prędictus, fuit vir strenuus, armorum peritissimus, & sapientia tam forensi quàm ciuili prędītus, multasque tempestates bellorum, contra se & alios, in finibus suis excitatas, magna seueritate & moderatione sedauit, vxorem duxit Reginam Anglię, Iuditham nomine, viduam, filiam nobilissimi Comitis Flandrię. Hic, cùm ad senilem ętatem peruenisset, & Raitenpuech Monasterium construere cœpisset, satisque copiosè dotâsset, similiter & Cœnobium Altorphense prędiis, mancipiis, aliisque plurimis ornamētis Ecclesiasticis ditâsset, ad terram sanctam profectus, in reditu in Insula Cypro obiit, hinc ossa eius ad Monasterium Altorfense allata sunt.

SOCII huius sacrę peregrinationis aut interfecti aut viui Saracenis sunt traditi, perfidia Alexij Imperatoris Grecorum: Inter quos etiam Thiemo Archiepiscopus Salisburgensis in Carozaim martyrio affectus. vide Metropolim Salisburgensem.

NEMO ex nobilitate in Raitenpuech sepultus est, sed requiescunt ibi corpora sanctorum Martyrū, Pirminij & Fœliciani, & caput virginis, cui nomen Panosa, de Collegio vndecim millium virginum Martyrum, cum magna parte corporis sui.

FVISSE etiam ibi Monasterium Monialium, cum hospitali pauperum, structurę ibidem satis indicant.

RAI-

RAITENHASLACH MONASTERIVM
ORDINIS CISTERCIENSIVM S. BERNHARDI.

RAITENHASLACH, in Norico & agro Burckhusiano iuxta Salzam fluuiũ, à VVolframo & Hemma, coniugibus, filiis eorum, VVolframo & Heinrico de Tegernvvanck, D Bernhardi Monachis conditur, Gerion Auer Magister designatur, Auent. fol. 631. Ortholphus de Tegernbanc testis, in Comitis Sybothonis de Falckenstein & coniugis suæ Hiltigardæ alienatione arcis Hermanstein, ex lib. veteri reddituum & actorum illorum Comitum de Falckenstein..

IN libro sepulturarum ibi scribitur, istos fundatores fuisse Comites, ac VVolframum patrem, fratrem fuisse Conradi Archiepiscopi Salisburgẽsis de familia Dominorum de Abensperg, Nepotis Babonis primi, cuius consilio & auxilio hæc fundatio sit facta. Obiit autem Conradus Archiepiscopus, Anno Domini 1147. Quòd si ita esset, sequeretur istos fundatores esse ex familia de Abensperg, & nomen suum secundùm castrum, quod possederunt, mutâsse, quod olim valde vsitatũ erat. Ego de hac re nihil aliud reperi, vnde nihil certi assero. Castrum hoc, hodie Tegernbach nominatur iuxta Ism fluuium, & à nobili familia de Layimng possidetur, qui insignia quoque illorum de Tegernbach vsurpãt, nempe albi coronati Leonis in campo flauo, & rubris cancellis inclusi. Familia Dominæ Hemmæ fundatricis pro antiquo more non exprimitur, cuius insignia, flos flau⁹ siue frutex, cum tribus foliis in in campo lazuro. Sunt ibi in templo, ac in ambitu multorum Principum, Comitum, Baronum, ac Nobilium sepulturæ, quos longum esset referre, inueniet, qui vult in libris meis Genealogiarum Bauaricarum.

DE fundatione & progressu huius Monasterij sequuntur copiæ quatuor diplomatum, de quo etiam vide, si placet, Chronicam scriptam Viti Arenpeckij, fol. 185.

ANNO Domini 1143. 6. Calendas Nouembris, à constitutione domus & ordinis Cisterciensis, Anno 46. vir nobilis VVolfherus, aliàs VVolframus de Tegernbanck, & vxor eius Hemma, in prædio suo Schuzing fundare cœperũt hanc Abbatiam, primo Abbate eiusdem loci Domino Gerone, viro venerabili existente; postea verò Anno Domini 1146. prçsidente in sede Romana sanctissimo Papa, Eugenio tertio, Pontificatus sui anno secundo, in ipso verò Rom. Imp. fœliciter regnante Cunrado secundo, Imperij sui nono fœlicissimè, omni reuerentia honoris dignissimæ memoriæ Dominus Cunradus primus, sanctæ Salisburgensis Ecclesiæ Archiepiscopus, considerans situm loci non esse aptum illi ordini; consilio habito, ex consensu petitionis prædicti VVolfheri ad habitationem fratrum & situm Cœnobij, ad præfatum ordinem obseruandum, antiquam Ecclesiam suam Raitenhaslach in hoc loco sitam & constructam, quondam sub parrocinio sancti Pangratij Martyris (vt tradidit antiquitas) cum decimis, dote & familia, omnibus necessariis, remota Parochia, tradidit, vt in ipsius priuilegiis plenius continetur.

EVGENIVS Episcopus, seruus seruorum Dei, dilectis filiis, Geroni Abbati, eiusque fratribus de Raitenhaslach, tam præsentibus quàm futuris, regularem vitã professis in perpetuũ. Religiosis desideriis dignum est, facilem præbere consensum, vt fidelis deuotio celerem sortiatur effectum. Ea propter dilecti in Domino filij, vestris iustis postulationibus, clementer annuimus, & præfatum locum, in quo diuino mancipati estis officio, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, statuentes vt quascunque possessiones, quæcunque bona idem Monasterium Raitenhaslach iustè, canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum ac Principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis, Domino propitio, poterit adpisci, firma vobis, vestrisque Successoribus & illibata permaneant. In qui-

bus

bus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis, locum ipsum, quemadmodum à venerabili fratre nostro Cunrado, Salisburgēsi Archiepiscopo, vobis pia deuotione collatus est, VVindeberge cum omnibus appēdiciis suis, Tierolfingen mansum vnum, cum pascuis, cultis & incultis, quæsitis legitimè & acquirendis, in sylua, quæ vulgò dicitur Amphinger Forst, pascua Portene, areamque Seulingen, in Frasthuzinga nominatur, in Ratisponensi Episcopatu, prędium in loco, qui Mosuogl vocatur; sicà nobili viro VVolphero, vxore quoque & filiis suis rationabiliter vobis concessū est, sanè laborū, sorte agrorū vestrorū, quos propriis manib. ac sumptib' colitis siue de nutrimētis vestrorū animaliū nullus à vobis decimas exigere præsumat. Decernimus ergò, vt nulli omnino liceat præfatum Monast. temerè perturbare, aut eius possessiones auferre, vel ablatas retinere, munere aut aliquibus vexationibus fatigare, sed omnia integra conseruentur eorum, pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt vsibus omnimodis profutura, salua sedis Apostolicæ autoritate & Diœcesanorū Episcoporum Canonica iustitia. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica secularisnè persona, hanc nostrę cōstitutionis paginam sciēs, contra eam temerè venire tentauerit, secūdò tertioué commonita, si non satisfactione cōgrua emendauerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se diuino iudicio existere de perpetrata cognoscat, & à sanctissimo corpore & sanguine Dei & Domini nostri Iesu Christi aliena fiat, atq; in extremo examine districtę vltioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco iusta seruātibus, sit pax Domini nostri Iesu Christi, quatenus vt hîc fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum iudicem præmia pacis inueniant. Amen. Datum apud vicum Pronianum, Gbido sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconus, Cardinalis & Cancellarius, 5. Calend. Februarij, Indict. X. Incarnationis Dominicę Anno 1146. Pontificatus verò Domini Eugenij Papæ tertij anno secundo.

IN NOMINE sanctæ & indiuiduæ TRINITATIS, Ego Conradus, per gratiam Dei Salisburgensis Ecclesiæ Archiepiscopus, licet, testante Apostolo, omne, quod antiquatur & senescit propè ad interitum, sic præsentem Ecclesiam effusione sacrosancti sanguinis Christi, in plenitudine temporum redemptam & cōsecratam elabi & vacillare videamus, tamē in hoc nostro tempore, in quod fines seculorū deuenêre, abundante iniquitate, multorumque charitate refrigescente, Deus omnipotens, qui nunquam secundùm diuitias bonitatis suæ humano generi defuit, multipliciter nos consolatur, dum nobis in his diebus hominum, non Deum, sed semetipsos amantium, multis modis auxiliatur. Denique, cùm propter perseuerantiam malorum iuxta verba libri dicentis Iob: Terra tradita est in manus impij, Diaboli videlicet, magnum Ecclesiæ suæ lumen accendit, dum ordinem Cistercensiū, qui præsentem mundum Maiestatis virtute calcant is actu & habitu, vt passim in domo sua, quæ est Ecclesia, luceant, exaltauit & dilatauit. Quia verò, mediante diuina cooperatione, ad honorem Dei, pro qualitate collatæ nobis industriæ, Ecclesiam nostram administrauimus & disposuimus, plures nos adierunt, doctrinamque nostram prosecuti sunt, sua Deo conferre potissimùm iudicauerunt, factumque est diuina præeunte inspiratione; Quòd VVolfherus de Tegernvvanck, vxorq; eius Hēma, filij quoque eorum, VVolfherus & Heinricus, prædium suum Senozingen iuxta fluuium, qui dicitur Rote Moseuogln, DEO & beato Rudperto contradiderunt, nobisque & Successoribus nostris, possessioni, prouisioni & defensioni ad ordinem Cisterciensium Monachorum designauerunt; eo tenore, vt Episcopali traditioni omne ius Cœnobiorum nostrorum, in collationibus liberorum hominum, vel Ministerialium nostrorum irrefragabiliter possideant.

Nos

NOS igitur fratres toto cordis affectu suscipientes, Abbatem illius, Geronem nomine, consecrauimus & stabiliuimus. Considerantes autem situm loci non esse aptum illi ordini, consilio habito, traditionem suam fundatori reddidimus, vt concambium faciendum firmiùs faceremus, altaque consideratione consilij ad habitationem fratrum & situm Cœnobij ad prefatum ordinem obseruãdum, antiquam nostram Ecclesiam Raitenhaslach, quæ tunc vacabat, tradidimus cum decimis, dote & familia, omnibus & necessariis, remota Parochia, insuper & Tirolfingen mansum vnum cum pascuis, cultis & incultis, quæsitis & inquirendis, in sylua, quæ vulgò dicitur Amphinger Vorst, areamq; Schuzingen, supra Seulingen, quam à Monachis S. Petri cambuimus, & pascua portene ex nostra rraditione illis in perpetuum assignauimus, & receptum locum Schuzingen atque Mosuogln ad sustentationem præfato Abbati & fratribus reddidimus, vt pro temporalibus nostris sempiterna cum ipso metamus. Confirmamus etiam Pontificali autoritate & Bano, eisdem filiis nostris, cum traditione ista omnia, quæ præfatus VVolfherus illuc contulit, siue alij, vel adhuc ab eo, siue ab aliis fidelibus conferenda sunt, atq; exinde præsens priuilegium conscriptum, nostroque sigillo insignitum, volumus vt tam posteris quàm præsentibus hęc fundatio & plantatio notificetur. Primæ igitur traditionis testes hi sunt, Heinricus Episcopus Ratisponensis, Otto Frisingensis, Romanus Gurcensis, Guido Diaconus Cardinalis, Baldaricus Abbas Salisburgensis, Gebeno Præpositus Salisburgensis, Berchtoldus Abbas S. Emerani, Gotfridus Abbas Admuntensis, & alij Abbates quã plurimi, Hugo Præpositus Berchtersgadensis, Herbordus Sevvensis, Gotscalcus Bamburgensis, alijque Præpositi, Clerici & Monachi multi, Comes Leutoldus de Bleigen, Heinricus de Hegeleu, Albertus de VVersen, Leutoldus de Haberlant, Menigoz Pincerna, Duringus de Diethramingen, maximaque multitudo tam Nobilium quàm Ministerialium, eiusdemque traditionis vel concambij sunt testes, Otto Episcopus Frisingensis, Romanus Episcopus Gurcensis, Heinricus Præpositus Gurcensis, Hermannus Prępositus Frisingensis, Engelramus Archidiaconus, Leutoldus Capellanus, Engelbertus Marchio de Ystria, Engelbertus Comes de Halle, Hartmañus & filius eius de Nustorf, Volckmarus de Liechtenstein, Heinricus de Hegele, Engelscalcus de Friesach, Gotfridus de VViettingẽ, Ruodolphus de Tysenberch, Meingoz Pincerna, alijq; quàm plurimi. Actum Salisburgæ, Año incarnationis Dominicę. 1146. Indict. 9. Nonas Iunij, primo anno Eugenij Papæ, regnante Conrado Romano Rege, suscepit autem hanc traditionem & confirmauit Reuerendus Archiepiscopus, Conradus Salisburgensis, Anno XLI. sui Pontificatus.

In Nomine sanctæ & indiuiduæ TRINITATIS, Ego Eberhardus, per Dei gratiam Salisburgensis Ecclesiæ Archiepiscopus, exigẽte officij nostri debito, omnium pauperum Christi vtilitati debemus prouidere, & sub obtentu diuinæ misericordiæ bonæ voluntatis affectum exhibere, vnde Christi pauperibus in Monasterio Raitenhaslach Deo seruientibus, beneficij munus exhibentes. Tradidimus eis duos mansus in Harde sitos, cum omnibus pascuis, in omnimodam proprietatem, insuper etiam vnum mansum in Raine situm, quem Ministerialis noster Sibotho, videlicet de Surberch, in beneficium habuit, petitione ipsius Sibothonis eidem Monasterio, item in omnimodam proprietatem delegauimus. Quia verò præfati fratres in eadem Parochia redditus aliquos habent, vt de eisdem redditibus nullæ decimę ab eis exigantur, cùm essemus Muldorph, talem confirmationem in manus nostras suscepimus, vt fratres Plebano singulis annis 8 o. denarios Losenses persoluant, nec ab aliquo Plebano per decimarum exactionem inquietentur. vt autem hęc, quæ ad tradendum memoriæ futuris temporibus conscripsimus, incon-

uulsa eisdem frattibus permaneant, pręsentis paginæ chartam, per sigilli nostri impressionem confirmamus, subponentes testium nomina, qui interfuisse & ptimæ traditioni duorum mansuum, & secundæ traditioni vnius mansus cognoscuntur. Primæ igitur traditionis Testes hi sunt, Hartmannus Brixinensis Episcopus, Hartvvicus Ratisbonensis Episcopus, Hugo Salisburgensis Præpositus, Gotschalcus Baumburgensis Præpositus, Heinricus Salisbnrgensis Abbas, & alij Abbates quàm plurimi, Engelbertus Marchio de Ystria, Heinricus Comes de VVolfrateshusen, Heinricus Comes de Vrantenhausen, VVolframus de Dornberch, VValchun de Staine, Vlricus de Arbingen, Hartnit Castellanus, cæterique quàm plures, tàm Nobilium quàm Ministerialium. Secundæ traditionis hi testes sunt, Hugo Salisburgensis Præpositus, Gotscalcus Baumburgensis Præpositus, Gerhoch Richerspurgensis Præpositus, Vlricus Kiemensis Præpositus, Haymo Abbas de Sevvm, Heinricus Abbas de Peũrn, Rudpertus Præpositus de VVerdt, Engelbertus Matchio de Ystria, Seifridus Comes de Lenbenaue, Hartmannus de Nusdorf, Leutoldus de Siesdorf, Harnit Castellanus, Lntvvinus de Sebelingen, VVisnit dc Bongeñ. VVagingerberga.

RANSHOVEN MONAST. ORDINIS CANONICORUM REGULARIUM S. AUGUSTINI.

IMPERATOR Arnolphus Cæsar Augustus, filius Carolomanni Regis Bauariæ & Italiæ, ædiculam sacram, quam ad preces VVichingi Episcopi Patauiensis, Cancellarij sui, Christo Domino Deoque nostto, & D. Pancratio à fundamentis in Randenisdorf seu Rantersdorf extruxit, Ellenbrechto Sacerdoti committit ea lege, vt ipse quidem pareret Parocho Oetingensi, at post morrem eiusdem, Sacellum in Randersdorph, posthac foret sub ditione Templi Oetingensium, vbi brachium sancti Philippi Apostoli reconditum reseruabatur, et pater Imperatoris Arnolphi Carolomannus Rex Boiorum & Italiæ sepultus est. Extat ibi diploma Arnolphi, cuius datum Anno 898. anno II. regni, Imperij autem III. Actum ad Reginam ciuitatem, &c. Sequenti qnoque anno, hoc est, Anno 899. idem Imperator Arnolphus duo agri ingera orientem versus, viginti carrucas fœni, molam aquatiam in ripa fontis, qui ex cliuo, cognomine Prylo, erumpit, tantũ lignorum, quantum opus est & foco & ædificiis perpetuò donat Sacerdotibus, ibidem rem diuinam facientibus. VVichingus superior Episcopus Patauiensis, Cancellarius Imperatoris Arnolphi, Isengrinius Illustris Comes, ministerialis Imper. hæc impetrârunt Sacerdotibus. Extat ibi diploma.

ELLENPRECHTVS præfuit huic Sacello annis 22. Obiit Anno 920. post cuius obitum venit in potestatem Otingensium, sub quorum procuratione & Parochia fuit ampliùs centũm annis.

ANNO 1002. Rantenisdorf, vel Rantensdorf, fuit inter cætera, data dos D. Chunigundæ Augustæ, à D. Heinrico II. Imperatore Romanorum, Duce Boiorum, qui obiit Anno 1024. vxor verò Anno 1039. ambo sepulti Bambergæ in Templo maiori, ab ipsis magnificè constructo & dotato. Hunc S. Heinricum primum huius Cœnobij autorem fuisse quædam diplomata testantur.

ANNO Christi 1040. Heinricus tertius, Dux Boiorum, quintus huius nominis, fuit in Boiaria, profecturus in Vngariam, tradit Ducatum Boiariæ Henrico sexto, Nepoti, ex fratre D. Chunigundæ Augustæ: & præsentibus sedecim Episcopis (inter quos præcipui fuerunt Theodomarus Archiepiscopus Salisburgensis, Beringerus

Episcopus Patauiensis, Nizo qui & Nicerius Leodiensis Pōtifex) Templum D. Pangratij refecit, ampliauit, Parochiam instituit, certisque limitibus vltra & citra Oenum distinxit, decimasque omnium rerum, piscationum quoque & venationum donauit, quemadmodum in priuilegio scriptum legitur. Præfuit ea tempestate Parochiæ Sacerdos quidam, nomine Hantus, primus Parochus, Is administrauit Ecclesiam S. Pangratij annis 20. Obiit circa Annum Christi 1060.

HANTO, quem quidam cum primo eundem esse putant, secundus Parochus fuit, tempore Ottonis, Ducis Bauariæ. Is Otto è Bauaria pulsus est ab Henrico IIII. Imperatore, Duce Boiorum, eius nominis septimo, Anno 1070. successitq; in Principatu Boiarico Ottonis gener, VVelpho primus Dux Boiariç, qui profectus Hierosolyma, Obiit Anno 1101. relinquens duos filios, VVelphonem secundum Ducem Boiariæ, & Henricum VIII. qui ambo potiti sunt Boiaria.

CIRCA Annum 1085. Segiburga fœmina quædam, cum fratre Etenbetto, quçdam prçdia in Haselpach (cuius Templum anno præcedenti, ab Altmanno Archiepiscopo Salisburgensi consecratum fuit) tradidit D. Pancratio.

TERTIVS Parochus Herenbertus de Phaphing extitit tempore superiorū Ducum Bauariæ VVelphonum, posteà inuitati sunt Canonici Augustiniani, fuitq; extructum Monasterium decem penè annis, & Parochia in Cœnobium commutata, quæ administrata fuit à Sacerdotibus popularibus annis fermè octoginta.

ERAT hoc tempore in toto Romano Imperio maximæ autoritatis Cunradus de Abensperg, Archiepiscopus Salisburgēsis, & plerique Sacerdotes populares, eius nomine, religione, & iustitia moti, disciplinam Augustinianam profiteri cœperunt, eiusq; hortatu & suasu, Heinricus octauus huius nominis, Dux Boiorum, Canonicis & mystis Augustinianis Parochiam & Templum D. Pangratij tradidit, contuberniumq; sacris D. Augustini initiauit, eiusque religionis sacratis viris & fœminis illud dicauit. Nam ibi sacratarum fœminarum Cœnobium fuisse, testantur pleraque vestigia & monumenta, quæ adhuc extant in libris, instrumentis, Templo & Monasterio maximè occidentem versus. Non plures tamen, quàm sex receptæ sunt, quarum vna fuit Præposita, ita scribit Cunradus primus, D. Pancratij Præpositus.

PRÆPOSITI S. PANGRATII, VSQVE AD NOSTRA TEMPORA FVERVNT HI SEQVENTES.

RAPHOLDVS primus Præpositus, cuius mentionem facit diploma superioris Heinrici octaui, Ducis Boiorum, in quo, consensu VVulfhildç vxoris, dat decimas in pago Raneshouē, de nemore VViblehart ad aram D. Pangratij, cum aliis quoque prædiis, &c. cuius datum est in palatio Ranshouen, Anno 1128. præsente Ottone Palatino, Friderico de Regenespurch Aduocato, Helperto de Geren, &c. Auentin. lib. 6. fol. 618. Decimo ab hinc anno, nempe 1135. primò consecratum est Monasterium à Reginoberto Episcopo Patauiensi, sexto Idus Nouembris, Heinrico Duce IX. Boiorum, filio Heinrici Magni, genero Imperatoris Lotharij, qui dictus fuit superbus. Ita annotauit Conradus primus Præpositus 14. à Burghusio oriundus, vir diligētissimus, his verbis: Extabat adhuc, dum hæc scripta sunt, imago Reginoberti, etiam in scripto nomine depicta in pariete veteris Templi. Subidem tempus Anno Christi 1138. in valle & ripa Oeni (vbi nunc Brundunum vrbs sita est, quæ tum adhuc sedes nobilium erat, qui inde cognominabantur, & in Ranshouen, vt liber donationum indicat, sepulti sunt) Sacellum D. Stephano dedicauit superior Chunradus, Archiepiscopus Salisburgeñ. & Romanus Gurcensis.

Nobiles de Braunaw.

PROXI-

PROXIMO deinceps anno, Fridericus de Ror, & vxor eius Bertha, prædiū in Ror donant, & Richonum filium disciplinę D. Augustini addicunt, autores fuēre Chunradus Salisburgensis & Romanus Gurcensis, Episcopi. Atq; hi Nobiles à Ror, vt liber donationum demonstrat, sepulti sunt in Monasterio Ranshouen. Nobiles de Ror.

ANNO 1142. Imperator Conradus tertius Templum sancti Pangratij in tutelam Imperij accipit, quod ait ab Heinrico Augusto, Proauo suo, extructum, decimisque donatum esse.

RAPHOLDVS primus Præpositus obiit Anno 1146. I.

MANEGOLDVS, vir doctus, & artium Magister, impetrauit ab Eberhardo Archiepiscopo Salisburgensi Parochiam Hochenvverch, & confirmationem priuilegiorū ab Eugenio III. Pont. Max. suffragante Heinrico X. Archiduce totius Boiariæ Orientalis & Occidentalis, filio D. Leopoldi. Sedit annos 11. Obiit Anno 1157. II.

MEINHARDVS, qui & Megenhardus, impetrauit ab Hadriano quarto Pontifice Summo priuilegiorum comprobationem, efflagitante Henrico XI. qui Leo cognominatur, Duce Boiorum & Saxonum potentissimo, qui dedit Megenhardo Præposito donaria & priuilegia; vbi fatetur à suo parente Heinrico Magno, Duce Boiarię & Saxonię, primùm inuitatos esse Sacerdotes D. Augustini religionem profitentes. Præfuit Meinhardus annis 5. Obiit Anno 1162. III.

ALTMANNVS confirmationem Ecclesiæ Hochenvverch de integro impetrauit ab Eberhardo Episcopo Salisburgensi; sub eo Anno 1169. Basilica D. Michaëlis consecrata est. Præfuit annis 16. Obiit Anno 1178. 12. Calend. Maij. IIII.

ALHARDVS, qui integrè Adelhardus, Euangeliorum vetustum codicem faciundum curauit. Præfuit annis 3. Obiit Anno 1180. V.

LIVTHOLDVS præfuit annis 6. Obiit Anno 1186. Is perhibetur fuisse thesaurarius Ottonis VVitlspachij, primi Ducis Boiariæ. VI.

ETICHO præfuit annis 9. Sub eo Anno 1189. primo anno expeditionis Asiaticæ Imper. Friderici primi Diepoldus Episcopus Patauiensis, ipse quoque cruce signatus, duo altaria consecrauit. Nondum enim fuisse videntur in his locis illi titulo tenus Episcopi, quos Suffraganeos vocant: ipsi locorum Pontifices omnia Ecclesiastica officia obibant. Ericho Præpositus impetrauit à Pontifice Cœlestino III. confirmationem priuilegiorum. Obiit Anno 1196. VII.

BERTHOLDVS præfuit circa Annum Christi 1200. tempore Ludouici primi, Comitis Palatini Rheni, & Ducis Boiariæ, filij superioris Ottonis. Obiit Anno 1209. Sedit annis 13. VIII.

VVICHARDVS publica sententia euicit, obtinuitq; vt Ranshouen perpetuò absolutum sit à iure Archidiaconi Patauiensis. Rexit annos 15. Obiit Anno 1224. 4. Calend. Aprilis. IX.

MARQVARDVS fuit Monasterij Præpositus annis 6. Obiit Anno 1230. X.

HENRICVS primus, vir prudens ac peritus, Archidiaconusq; ob sapientiam, relatus est in numerum domesticorum Sacerdotum ab Imperatore Friderico secūdo. Sub eo (sicut annotauit Chunradus primus Pręposit us) ab hôstibus ex Obernperg Monasterium combustum est, iuxta versum in pauimento Basilicæ, ac laterculis coctilibus hæc clades in Annum Christi millesimum, ducentesimum duodequadragesimum refertur, quam Cunradus quarto demum anno, hoc est, Anno Christi 1243. factam fuisse annotauit. Incendium hoc factum in magno illo schismate inter Pontificem & Imperium, scilicet Fridericum secundum, de quo latè Auent. in Annalib. suis, fol. 687. cum præcedentibus lib. 7. Henricus Præpositus cùm summa industria rem Cœnobij annos 15. rexisset, obiit Anno 1245. 7. Calend. Augusti. Emit domum Patauiæ. XI.

XII. ORTLIEBIVS præfuit annis 10. Sub eo rursus instauratur Cœnobium, consecratumq; templum ab Ottone, Episcopo Patauiensi, oriundo de Lonstorph, Anno 1255. Obiit eodem anno, &c. Superiorum antistitum sepulturæ cognitæ quidem non extant. Ideo plura de eis scribere non licuit. Subsequentium extant monumenta.

XIII. SEIFRIDVS sedit annis 23. cessit administrationi, & ad priuatã vitam rediit, sextoque pòst mense defunctus est, Anno 1277. sexto Idus Iunij. Impetrauit decimas templi S. Ioannis ad Mætickam à Petro Episcopo Patauiensi, Item à Clemẽte IIII. Pont. Max. vt Parochias per suos Symmystas atque Canonicos administraret. Sub eo consecrauit duas aras, vnam viuificæ cruci signo immortali, alteram ad meridiẽ indiuiduæ Trinitati, superior Petrus, Episcopus Patauiensis. Iisdem temporibus, quemadmodum ipse Sifridus ad Clemẽtem quartum in Epistola deplorat, ob diuturnum bellum Regis Bohemiæ, & Ducum Bauariæ, Ranshouense contubernium ad tantam inopiam redactum est, vt, vbi ante 24. Sacerdotes, aliique 50. homines alerentur, vix tum 3. pascerentur.

XIIII. CVNRADVS primus, Burghusij natus, Archidiaconus Matlcensis, vir diligentissimus atq; ingeniosissimus, electus Anno Christi 1277. feria 3. quæ fuit proxima dies post festum Bartholomæi, registrum siue libellum, priuilegia, census, prædiaque continentem confecit. Legatus Heinrici, Ducis Bauariæ, ad Cæsarem Rudolphum missus, ab Alberto, filio Cæsaris, Duce Austriæ, immunitatẽ vectigalium vini impetrauit, & in numerum domesticorum Sacerdotum relatus est, quicunque eius concioni sacrificioq; interfuit sceleribus expiatus, denûm dierum venia donabatur. Opera sua instaurauit Cœnobium, pauimentum templi strauit laterculis literisq; coctilibus pulchrum suæ diligentiæ industriæque monumentum. Præfuit annis 34. Obiit Anno 1311. 8. Idus Maij. Sub eo Sacellum D. Stephani translatum est in vrbem Brundunum, ibi maior ædes & Parochia constructa sunt. Quo etiam tempore 1283. templum Ranshouen consecratum ab Heinrico, Comite de Roreneck, Episcopo Ratisbonensi. Heinricus XII. Boiariæ Dux, sumptus magnificẽ præbuit. Inde obuiam profectus est Alberto, Duci Austriæ, qui in cella circa Ried cum Friderico, Episcopo Salisburgensi, hostili animo castra metatus fuerat. Redierunt tamen in concordiam Duces.

XV. CVNRADVS secundus Brundunensis multam familiam more Principum aluit, grande æs alienum contraxit, gubernauit Monasterium annis 21. Obiit Anno 1332.

XVI. VLRICVS primus, ob profusionem Antecessoris sui, leges gubernandi ab Alberto Episcopo Patauiensi accepit. Sacellum iuxta ædem D. Michaëlis eo tempore Spiritui sancto, & D. Osvvaldo extructum est ab Vlrico Schön, ciue Brundunensi, Anno 1337. Rexit annos 10. Obiit Anno 1342.

XVII. VVERNHERVS refici & pingi curauit Capellam D. Catharinæ, vbi pictus fuit. Rexit annis 21. Obiit Anno 1363. 4. Nonas Octobris. Pauperum amatorem fuisse perhibent, & quàm paucissimis prædia locâsse tributis. Sub eo fundata est Missa in superiori Choro, ab Imperatore Ludouico quarto.

XVIII. HENRICVS secundus præfuit annis 12 Obiit Anno 1375. quarto die ante Calend. Octobris. Sub idem tempus Albertus Thomlinger ædificauit sacram ædiculam, extra ostium templi Occidentem versus D. Andreæ, Anno 1372.

XIX. STEPHANVS pingi curauit Sacellum S. Barbaræ, Anno 1376. Rexit annis 13. Obiit Anno 1388. in festo conceptionis Deiparæ.

XX. HENRICVS tertius, nomine Gamperl, gubernauit Monasteriũ annis quinque. Migrauit ex hac vita Anno 1393.

MATTHIAS Cœmiterium Brundunensibus concessit, quod cõsecrauit primo die Dominico Quadragesimæ Ioannes Minorita, Suffraganeus Patauiensis, Anno 1406. Qua etiam tempestate Xenodochium conditum est Brunduni. Præfuit annis 33. Vita functus est Anno 1426. 3. die Septemb. humatus est in medio templo, vbi eius extat monumentum marmoreum. XXI.

HENRICVS quartus, cognomine Prellar, homo ambitiosissimus & iracundus, æs alienum conflauit, ideoq; amotus est à Præpositura. Iterum tamen electus, præsedit annis 9. Obiit Anno 1435. 7. Calend. Augusti. XXII.

ERASMVS Ridmundt præfuit annis 9. Obiit Anno 1444. in festo S. Margarethæ. Pictus extat in specularibus Bibliothecæ. Posuit primum lapidem fundamẽti templi Brundunensium, quod hac ætate extat, Anno 1441. Hactenus Nobiles dũtaxat Monasterij Canonicos ex legesque maximè Præpositos fuisse fama refertur, quod & in aliis quibusdam Cœnobiis reperitur. XXIII.

FRIDRICVS Gunderstorfer primus religionis seueríoris iugũ suis symmystis imposuit, decreta dedit, ad præscriptum viuere modum, dormire, precari coëgit, Monasteriumque reformauit iuxta D. Augustini dogmata; tum nouas leges victitandi, cubandi, psallendi, tacendi, vestiendi, datas Cœnobio reperio: Nam quanquã etiam anteà literis librisq; scribendis operam dederint huiusmodi Symmystæ, cœtũ iuuenum æmulantium studia habuerint, atq; bonis moribus ac artibus instituerint, tamen nec ista præter rem videbantur. Præfuit Fridericus annis duntaxat 4. Obiit Anno salutis 1448. XXIIII.

VLRICVS secundus, Puecher cognominatus, antea Decanus, præfuit annis 3. Obiit Anno 1451. in vigilia S. Thomæ Apostoli. XXV.

THOMAS VVitil gubernauit annis 11. Obiit Anno 1462. in festo sancti Benedicti Abbatis. Euangeliorum nouum codicem, quem plenarium vocant, fieri curauit. XXVI.

ERHARDVS Gossenperger imprudens rerum humanarum fuit, æs alienum contraxit; sexto itaq; gubernationis anno à dignitate remouetur, vixitq; priuatus 25. annis. Obiit Anno 1493. XXVII.

VVOLFGANGVS Hospes & aduena, post Erhardum dignitate motum, euocatus ex Tyrenstain, Austriæ Monasterio & oppido, vir rei familiaris peritissimus, alter Monasterij conditor, primum lapidem templi Michaëlis, quod modò extat in Ranshouen, ponè Monasterium posuit, Anno 1474. anno priore Sacellum leprosorum dedicatum fuerat. Dormitorium à fundamento construxit. Iniit dignitatem Anno 1468. Rexit annis 23. & Anno 1491. 15. Calend. Aprilis obiit. XXVIII.

LEONHARDVS Callinger succedit VVolfgango, gubernauit Monasterium annos tantummodò 3. menses 6. migrauitq; ex hac vita, Anno 1494. decimo die ante Calend. Augusti. XXIX.

BLASIVS Rosenstingl construxit ædiculam sacram Deiparæ virginis in ambitu. Præfuit annis ferè 10. Mortuus est ægritudine animi octuagenarius, flexis genibus, Anno 1504. eleemosynarius fuit, etiam calceos de pedibus detractos pauperibus dedit. XXX.

CASPAR Durndl à Müldorf oriundus, vir humanus & modestus, rerum diuinarum humanarumq; peritissimus atque diligentissimus, pleraque redimendo emendoque Cœnobium non parum ditauit. Misit ad publica gymnasia Viennam Sacerdotes suos, qui honestis literis & Philosophicis vsque ad supremam palmam operam darent; consumpsit in hoc egregio facto, aliquot nummorum aureorum centenarios. Vniuersum Templum de integro à fundamentis ædificauit, delubris instruxit, pingendumque curauit. Eius opera & iussu Annales huius Monasterij perscripti sunt, Anno 1516. deinde recogniti, Anno 1523. per Ioannem Auentinum abbreuiati & completi, Anno 1579. Anno 1508. idem Opt. Pater, feria secunda post XXXI.

Lætare, primum lapidem adyti siue Chori, cohærentisque ædificij posuit. Altitudo lapideorum parietum absoluta est in vigilia sancti Martini, proxima deinceps æstate tectum perfectum est, Anno 1510. Testudines, cameraque Chori facta, Anno 1512. ædes domusque eorum, qui victum in Monasterio emere solent, extructa est, Prebendarias vocant.

XXXII. AVGVSTINVS, cognomine Munick, vt autoritate, eruditione & pietate insignis, ita modestia vitæ, cæterarumque virtutum dotibus, necnon rei familiaris gubernatione haud inferior Casparo Türndl, cui Anno 1529. fœlici successit omine. Is, inquam, Augustinus in ipsa die Ambrosij, quæ erat 4. Aprilis, Anno 1529. electus in Præpositum & confirmatus rexit annis 31. atque Monasterium, quod à Præcessoribus emendo, redimendoq; ditatum fuerat, singulari arte, industriaque indefessa, in omnibus conseruauit. Atque, quæ ad vsum quotidianum necessaria erant, nihil eorum, quin extrueret, prætermisit. Fuit amans pauperum, beneficus fautor literarum & literatorum. In Schola propria pro Tyronibus pauperculis iuxta cœmiterium ædificata, ratione temporis, ad 100. & vltrà benignè aluit, quibus etiam non modò Magistros & Præceptores magnis sumptibus præfecit, sed illis ipsis æquè de victu, amictu, libris atque aliis ad studia & sustentationem necessariis rebus prouidit atque prospexit, & multos inde ad Academias suis sumptibus misit; ita vt eodem tempore Ingolstadij septem sustentauerit Studiosos. Et quamuis magnos hanc in rem sumptus faceret, nihil tamen æris alieni contraxit, nec in re familiari procuranda quicquam damni fecit. Fuit ab ineunte ætate deuotioni, pietati, orationibus & rebus spiritualibus summè & semper deditus, quibus ritè expeditis, regiminis sui curis omni animi sedulitate ac fidelitate vacauit, vltimo senio confectus, Prælaturam sponte resignauit, Anno 1560. die 5. Iunij. Hoc totum tempus, quo à secularibus occupationibus liber fuit, orationibus, gemitibus, & suspiriis ad Deum pro communi salute effusis tradidit, noctes diesque Deo inseruiens. Anno demum 1566. 28. die Octobris, solus in campo deambulando Apoplexia ictus diem obiit, ætatis suæ anno 78.

XXXIII. ADAM Gensleutner, patria Carnus, sed in Bauaria à pueritia educatus, post resignationem D. Augustini vnanimiter electus, præest adhuc hoc M. D. LXXX. Anno viriliter ac laudabiliter.

NOBILITAS QVAE SEPVLTA EST IN HOC MONASTERIO,

	Nobiles de Brauna,	Thomlinger de Aufhausen,
	Haintrich von Ahaim/	Notltich de Ptaunau,
	Werdorffer/	Neußlinnger de Vorstorn,
	Neomar/	Odar/
	Eringer/	Die Esel/
	De Ror,	Raidenpücher/
	Seifrid Dorffer de Däckelfing,	Rosstlheld.
	Waldt/	De VVolffsperg milites,
Comites,	Stähl Milites de Iulbach,	De Tarstorph milites,
	Granfftn de Vrendorph,	Berchtold Schick/
	Planckenpach milites,	Lenberger.

DE ADVOCATIS.

CVRATORES vel Aduocati Sacerdotum Ranshouensium more maiorum fuerūt de familia Burghusiana procreati, qui variè ab ædibus & pagis, vbi habitārūt, cognominantur, nempe Comites de Schalach: Comites de Hægiromosa, Comites de Burghusio. Defecerunt circa Annum Christi 1164. successerunt Duces Boiariæ.

DE

DE ANTIQVITATE RANSHOVEN.

Bidavm Colonia quondam Romana iuxta Oenum in ripa Noricorum, à Boiis Anno 520. capta, profligatis Romanis, Rantemsdorf, siue Ranshouen vocata fuit. Fuerunt ibi teloneum, forum, palatiumq; Regum & Principum Boiariæ ante conditum Brundunum, sicut hoc testantur antiqua monumenta.

RAMSAV ORDINIS S. AVGVSTINI MENDICANTIVM.

GEORGIVS de Fraunberg, de Hag, habitãs in castro Hochenburg, infra VVasserburgum iuxta Oenum, Ramsau Monasterium pro Augustinianis fratribus mendicantibus construxit, in Comitatu Hagensi, Anno 1412. aliàs 1414. Albertus Episcopus Ratisponensis consentit, & dat Parochiam in Kirchdorf, ad quam Ramsau tãquam filia pertinebat, è conuerso Dominus Georgius renunciauit iuri pignoris, quod habebat in prædicto castro Hochenburg, hoc modo vt Ecclesiæ Ratispon. post mortem suam liberè atque absque vlla refusione cederet, &c. Idem Georgius Monasterio huic Caploniam, vt vocant S. Nicolai, In der Weyttaw im Lufsenthal zum Spital genannt / fundatam olim à Nobilibus de Velbm, quam ipse & sui Antecessores, nescio quo titulo multis annis possidebant, autoritate Pontificia tradidit ac vniuit, Anno Domini 1426. Prædicta Caplonia aliàs pertinet ad Parochiam S. Ioannis, cuius verus Pastor ac Ordinatius est Episcopus Chiemẽsis, &c. cui Capellani pro tempore per Priorem & Conuentum in Ramsau præsentari solent. Auen. lib. 7. fol. ...

RASSONIS COMITIS DIESSENSIS MONASTERIVM, VVLGARITER, zů S. Grafrath.

ANNO 954. Rasso Comes ex Andecensi familia, Dux Boiarici Regni limitis Orientalis, vir nobilis & strenuus, Cœnobium in honore Saluatoris omnium VVerdee, iuxta Amperam construxit, in pede sui castri Razenberge, & illic Monachos collocauit: quod etiam S. Vdalricus Episcopus consecrauit. In hac Ecclesia Comes iste functus vita, sepultus requiescit, ad cuius tumulum signa fuerunt ædita. Auentinus fol. 495.

Haec Ecclesia posteà ab hostibus Ecclesiarum penitus deuastata est; defuncto Comite Rassone, successit Fridericus Comes, frater ipsius, armis strenuus, qui ad sanctam terram iter faciens obiit, ibique sepultus est. Alius verò ac tertius Fridericus, dictus Roch, apud sanctum Blasium, sepultus est in nigra sylua, secundùm Ioannem Auentinum.

REICHERSPERG MONASTERIVM CANONICORVM REGVLARIVM S. AVGVSTINI

AD Oenvm supra Obernberg & Passau fundâsse scribuntur Bernhardvs Comes de Reicherspperg, & Dietpurg ipsius coniunx, quæ fuit soror Gebhardi Archiepiscopi Salisburgensis, ex familia Comitum de Helfenstain, pro vt ponit

Münsterus in sua Chronographia, ex relatione D. Lucretij, Cancellarij olim Salisburgensis. Idem Bruschius de Laureaco veteri, sub Altmanno Episcopo, folio mihi 130.

In Chronica autem Salisburgen̄. non fit mentio ipsius Gebhardi familiæ præterista verba, alto Sueuorum genere natus, patre Catholdo & matre Azala. Auentin. fol. 552. scribit: Bernhardum & coniugem eius Dietburgim, sororem Gebhardi Salisburgen̄. Episcopi, & vnà cum filio Gebhardo, Comitibus à Plain, Reicherſperg fundâſſe. Credibile eſt illos Reicherſperg poſſediſſe, prout alia multa bona in Auſtria, ſupra Anaſſum Bohemiam verſus. De quo vide in libro meo Stemmatum Bauariæ.

CONRADVS Archiepiſcopus Salisburgẽſis dedit huic Monaſterio, pro meliori ſuſtentatione pauperum fratrum ibi, decimas Parochiarum, Putina & Bramberg, vnà cum decimis noualium in ſylua Purinenſi, vſq; ad terminos Vngarorum, & vſq; ad montem Hartperg; excepta tamen Canonica portione Parochorum ibi, Anno 1142.

Confirmat ac magis declarat hãc donationem Succeſſor Cõradi, Eberhardus Archiepiſcopus, Anno 1156.

Similiter quoq; Conradus Archiepiſcopus, Anno 1179. ac poſtremò Fridericus Archiepiſcopus, Anno 1448. Extant diplomata ibi.

In libro 10. rapſodiarum Ioan. Auentini ita annotatum reperio: Anno Domini 1084. Reicherſperg caſtro VVernherus præpotens Boius, ſuper flumine Oeno, Pataueñ. Diœceſis, vxor eius Dietpirga, ſoror Gebhardi Archiepiſcopi Salisburgẽ. Is poſt mortẽ vnici filij Gebhardi & vxoris, cùm oriretur lis iam eo viuo inter agnatos eius de hæreditate, Caſtrum demolitur, Diuò Michaëli Templũ dedicat, Canonicis Regularibus attribuit pòſt Albinus, filius Arbonis, fratris huius VVernheri, viuente patruo, Sacerdotes pellit, prædium occupat, VVernherus in tutelam præſenti Gebhardo Archiepiſcopo Salisburgeñ. tradit, paulò pòſt obiit 3. Non. Octobris, ſub gradu aræ S. Crucis, cum filio & vxore ſepultus.

Sepvlti ſunt ibi Nobiles de Schvvent, de S. Martino, de Trenbach, Succeſſores ipſorum de S. Martino, de Kalling.

ROR

MONASTERIVM inferioris Bauariæ, non procul à Laber fluuio, in vico eiuſdem nominis ſitum, ordinis Canonicorum Regularium ſancti Auguſtini. Cõſtituitur ſeu fundatur hoc Monaſterinm à Magno, filio Rudperti, Nepote Babonis Comitis Abenſpergenſis, cum vxore Irmogarda ac filio Alberto, dictis de Ror, Anno Domini 1133. in honorem beatæ Mariæ virginis. Idem Dominus Alberrus de Ror pauper Chriſti factus, communem vitam ibidem duxit, ſepultus in Choro ante ſummum altare. Diripitur hoc Monaſt. ab Alberto & Conrado, Com. Moſpurgeñ. in ſchiſmate, quod fuit inter Fridericum ſecundum Imper. & Gregorium nonum, Auent. lib. 7. fol. 680.

Advocati huius Monaſterij erant Domini Abenſpergenſes, poſt quorum obitum Duces Bauariæ vnà cum ditione Abenſpergeñ. Aduocatiam tenent.

Sepvlti ſunt in hoc Cœnobio Domini de Abenſperg, quondam Comites, Comites de Roteneck, dicti de Alnpach eiuſdem familiæ, Item Domini de Lapide, qui etiam de illa familia fuerunt. Qui vult, latiùs poteſt videre in libro meo primo Genea-

Genealogiarum Bauaricarum. Item Nobiles, Ebran, olim dicti de VVildenberg, Ouensteteri, Hinzenhauseri, Erblspecken, Stumpfen, Regldarfer, Schurfen, Preisingeri, Marschalci, Hachsenackerer, Menckhouer, Kärgl, Othingeri secund. Auent: in annalibus fol. 737. licet ibi nullum ipsorum monumentum reperiatur.

ROT

MOnasterium ad Oenum fluuiũ supra VVasserburgium Ordinis S. Benedicti. De fundatione huius Monasterij nihil certius potest tradi, quã ipsum Heinrici quarti Imperatoris subsequens diploma, quod ibi integrum ac illæsum extat &c. ac ita habet:

IN nomine sanctæ & indiuiduæ TRINITATIS. Hainricus diuina fauente clementia, quartus Romanorum Imperator Augustus, Ideo fidelis nostri Cononis Palatini memoriam posteris transmittimus, quæ præterea semper in benedictione erit, quòd Deum & sanctum Petrum omnium rerum suarum hæredem reliquit. Habuit enim duos liberos, quibus substantiam suam diuisit, Cononem scilicet & Irmingardam, quæ, cùm marito traderetur, portionem sibi debitam accepit, & de parte reliqua omnem calumniam legitimè refutauit; Deinde filius quoq; duxit vxorem, celebratisq; nuptijs, dum multi conuenissent, inierunt consilium parentes cum filio & nuru sua, ne in die bonorum, immemores essent malorum, & vt illi, qui omnia dedit, aliquid tribuerent. Conuenerunt ergò in hoc, vt in loco & fundo, qui dicitur Rota, quem præterfluit Oenus fluuius, qui etiam in Comitatu Arnolphi Comitis Monasterium construerent, ibiq; Monachos Deo famulantes congregarent. Placuit sic filio, placuit Nurui, simulq; cùm parentibus, ad altare sanctorũ, Martini & Aniani, procedentes tradiderũt Deo & S S. eius, quicquid in regno nostro possederunt, si absq; liberis obirent. Nurus quoq; dotem, quam ex marito acceperat, Monasterio in legitimam possessionẽ tradidit, cùm omni patrimonio, quod in Lotharingia possederat, si ex eodem marito Conone liberos non generaret. Euolutis autem aliquot diebus, filius ad seruitium nostrum vocatus in bello cecidit, & sic omnis hæreditas ad Monasterij ius, cui traditum fuerat, redijt: Orbatus verò pater tota mente ad Deum conuertitur, sublatoq; corpore filij & assumpta Nuru, quæ sine prole remanserat, ad Monasterium properat, exequias celebrat, celebratisq; exequijs, traditionem renouauit. Dat socer hæreditatem, Nurus dotem non conditionaliter, vt prius, sed perfectè Deo & Sanctis eius in perpetuum; offeruntur viri militares, qui dicuntur Ministeriales, cum prædijs & possessionibus suis, quos domi forisq; custodes lateris habebat, quibus etiam iura statuit, vt Monasterij gloriam teneant, & Abbatibus liberè ac regulariter substituendis honesto loco, gradu & ordine deseruiant. Traduntur familiæ diuersæ, sexus & ætatis, quibus etiam tertiam partem seruitij sui relaxauit, hisq; dispositis traditionem consummat, & prædia notata inferius Deo & fratribus, regulariter viuentibus confert.

[*renunciavit.* — *Scil. Elisabetham ex Lotharingia oriundam, vt infrà sequetur.* — *Ministeriales i. Vasalli.* — Aigen leut.]

ROTA, in quo est Monasterium cum Ecclesijs, decimis, terminis & appendicijs.

ROTA, quæ adiacet Glane flumini cum Ecclesijs &c.

Item in Luickental, Stegen &c. & quicquid à Striehen, vsq; ad Loehperch habuerunt, præter vnam mansionem apud VVisnichvvaneh, quam filiæ ad pernoctandum tradiderat, cùm de loco ad locum transiret.

[Zu täglicher Herrschafft.]

Item apud Hall patellam salis.

Item

ITEM in Bozen, curiam & vineas.

ITEM in Carinthia castrum, quod dicitur Vrsen, & circa castrum sexaginta mansus.

ITEM iuxta Moram fluuium.

ITEM in Marchia iuxta Rabam fluuium Chuniberge cum terminis &c.

IN oriente Breittenovve &c.

IVXTA Danubium versus Vngariam Viskahege &c.

IN Crungovve curiam ad Gruninbach, sex vineas &c.

VLTRA Chambe Costingen & Nezvvetingen &c.

IVXTA fluuium, qui dicitur Naba Vnderchestarf.

CVRIAM suam Ratisponæ iuxta sanctum Cassianum &c.

IN Sueuia villam, quæ dicitur Ellingen.

HAEC omnia cum omni iure tradidit &c. De quibus etiam Nurus sua Elisabeth statim Monasterium inuestiuit, & posteà in beneficium accepit. His ergo prædiis atque redditibus, vir fidelis Rotensé Monasterium fundauit, ac fundatum beato Petro ac Romanæ Ecclesiæ tradidit, per manum Eberhardi de Räzenhouen, qui & primus Bisantium annuatim persoluendum Lateranensi palatio persoluit &c. obtinuit quoque Monasterio Abbatis liberam electionem, Baptisma, sepulturam, & vt Aduocatum non habeant, nisi quem velint, quia iam legitima successio Aduocatorum cessauerat, mortuo sine liberis filio, & ad filios filiæ ius illud non pertinebat.

HENRICVS Imperator hæc omnia confirmat Ratisponæ, Anno 1073.

FRIDERICVS secundus confirmat eum insertione diplomatis Henrici quarti &c. Anno 1226. Datum apud Piscariam: inter alios testes, Renaldus Dux Spoleti.

PRAEDICTA fundatio hoc modo facta est. Cũ prædictus Palatinus nullum hęredem haberet, vt sub tuitione Imperij esset, & Abbates illius Ecclesiæ Aduocatum ab Imperio reciperent, & haberent; vnde Conradus Episcopus Ratisponensis eandẽ Aduocatiam nomine Imperij aliquandiu tenuit, post cuius obitum, quidam Ministeriales Ducis Bauariæ, nempe quidam Vlricus ex concessione Regis, filij Imperatoris Friderici secundi, alter Alhardus, ex concessione Comitis Tyrolensis &c. prò dicta Aduocatia contendebant, Imperator Fridericus secundus ad instantiam Friderici Abbatis, irritatis prædictis concessionibus, eandem Aduocatiam Conrado Comiti de VVasserburg & hæredibus suis, si ad eam idonei & Abbatibus acceptabiles fuerint &c. contulit, nomine Imperij tenendam. Datum huius priuilegij Parmæ, Anno 1226.

IOANNES Auent in Annalib. fol. 581. & 552. De fundatione huius Monasterij ita scribit: Cõradus, cuius filius Conradus atque Irmogarda Nurus, Auus, paterque Poppo, in eisdemq; templis hi proceres conditi sunt &c. quinam fuerit Auus, pater, queue Popo, mihi non constat, Irmogarda filia fuit fundatoris, non Nurus, quæ dictio in Autographo non inuenitur.

HABVIT hoc Monasterium aliquando suos Officiales hæreditarios, sicuti & alia quædam potentiora Monasteria Bauariæ, Magisterium coquinæ, quem aliâs Truchsässen vocant, olim tenebant Nobiles de Otling. Iohannes Otlinger delegebat hoc Domino Ioanni de Fraunberg de Hag, Anno 1361. hinc Ladislaus Comes de Hag prætendebat, nescio quid iuris in illo Monasterio. Nobiles de Schönstett, in Varnpach vicini illius Monasterij Camerarij officium cum quibusdam bonis ad illud pertinentibus, ab Abbate in feudum tenebant. Vtrumq; officium morte istarum familiarum extinctum est. De cæteris officiis nihil certi habeo. Hinc factum

est,

est, quòd Procurator fisci Imperialis prætendit hoc Monasterium Imperio Rom. illius collectis ac oneribus immediatè subiectum esse. De qua re Ducibus Bauariæ in iuditio Cameræ Imperialis litem iam dudum mouit, qui constanter & iustè negant, asserentes ad Ducatum Bauariæ per omnia, sicut & cætera Monasteria in secularibus, ab antiquis temporibus semper pertinuisse ac pertinere. Ea autem iura fiscalis non ad hoc, sed aliud eiusdem nominis Monasteriū, in Rhetia prope Dinklspüchl situm, ac Rot dictum, quod Comites Otingen. ab Imperio, iure hypothecario tenere dicuntur, spectare, &c. neq; fiscali tuitionem & Aduocatiam Imperij patrocinari. Nam idem in plerisq; alijs Bauariæ Monasterijs, de quibus nulla penitus controuersia est, reperitur, quòd in Mundiburdium ac defensionem Imp. ac Regum Romanorum recepta, Regia dicerentur Monasteria, vt Ebersperg, Tegernsee & alia &c. pleriq; etiam veterum Imp. ac Regum, ante Palatinos VVirlspacen. Ducatum Bauariæ tenebant, ac per vicarios suos administrabant, quorum iura in Ottonem VVitlspachium, ac suos Successores transfusa sunt, & vtcunq; sit, Principes Bauariæ se longissima possessione ac præscriptione vltra trecentos annos, scientibus ac patientibus Rom: Imperatoribus ac Regibus extensa, defendere ac tueri possunt &c. sub iudice adhuc lis pendet hoc Anno. 1579. Dispensatum est cum Monasterio hoc propter esum carnium, quem ante annos 40. usurpauerant, per D Laurentium Campegium, Cardinalem Legatum Apostolicum, Anno 1522.

Benefactores huius Monasterij, quorum ibi memoria habetur.

Conradus Comes de VVasserburg, cum consensu vxoris, Dominæ Kunegundis, multa bona, prædia ac curias contulit Rotensi Monasterio, Anno 1230. Iuxta diplomata ibi, ego ita puto citra tamen veritatis præiudicium, Fundatores huius Monasterij fuisse de eadem familia, & eorundem insignium, de quo vide latiùs, Comites de VVasserburg, in libro meo primo Genealogiarum Bauaricarum.

Benefactores & qui ibi sepulti sunt,

OTTO Liber de Steinhart,
BERCHTOLDVS de Vagen,
CONRADVS de Sächsenkam,
VVALTHER, Otmar, Othackher de Schaltorf. } Anno 1255.
IOANNES Schonstetter.
HECTOR Schonstetter, } Anno 1349.
PETRVS Schonstetter, Anno 1440.
HECTOR, Ioannes, Erasmus Schonstetter de VVarnpach, Anno 1466.

SALVATOR

MOnasterium Ord. Præmonstratensium, Bernhardus, & Fridericus, Berengarij, vulgariter die Petinger dicti, Monasterium hoc S. Saluatoris condunt, D. Norrperti sacris initiant, Monachos ex Osterhouen accersunt, Bernhardus de Pranpach Episcopus Patauiensis fit autor & dedicat, Auent. fol. 726. Habuit hoc Mōasteriū olim populares seu seculares Presbyteros & cōuersos ex Nobilitate, nullius alterius ordinis aut professionis. Monachi Osterhouenses renunciārunt huic Monasterio erga fratres per Laudum & transactionē, cum confirmatione prædicti Bernhardi, Episcopi Patauiensis, Anno 1299. Extant diplomata in Osterhouen, posteà receperunt ordinem Præmonstratensium, & rursus se Monasterio Osterhouensi subiecerunt, cui etiam vniti, aut, vt vocant, incorporati sunt, Anno 1309. secundùm diplomata ibi in Osterhouen.

SCHAM.

SCHAMHAPT

COLLEGIVM Canonicorū Regulariū sancti Augustini, Schamhapt ad fontes riui, dicti Schambach, supra vicum Altmanstain, quædā nobilis matrona Gertrudis, vidua Berchtoldi, cum filia Luitgarda instituit Collegium pro Canonicis Regularibus sancti Augustini, circa Annum Domini 1130. Confirmat Heinricus, Episcopus Ratisbonensis, ac ampliùs dotat, cum Parochia ibidē, nec non cum filiabus suis, ac omnibus decimis ad eam pertinentibus, de quo extat ipsius diploma de eodem anno. Berchtoldi mariti quondam fundatricis meminit Ioan. Auent. lib. 6. fol. 622. sed de familia nihil. In alia quadam huius Heinrici Episcopi confirmatione Biburgen. Monasterio super Parochia Adlungestorf data, de Anno 1133. citatur inter alios testes, Rachvvinus de Schamhapt. Sequitur tenor confirmationis:

IN NOMINE sanctæ & indiuiduę TRINITATIS, Ego Heinricus, Dei gratia Ratisponensis Episcopus, Christi fidelibus: in perpetuum nouerit omnium fideliū præsens ætas & successura posteritas, qualiter ego Heinricus, Dei gratia Ratisponensis Episcopus, prædium, quod dicitur Schamhäpt, suscepi, & Successoribus meis Episcopis piè & intemeratè tenendi atque tuendi reliqui. Quædam enim Nobilis vidua, Gertrudis nomine, cum vnica filia sua Lucarda, seculo renunciantes, & Deum facultatum suarum hæredem esse cupientes, pro salute animarum suarum, parentumque suorum, tradiderunt ad Altare sancti Petri in ciuitate Ratisponensi, præsente Clero & populo, prædium suum, quod Schamhäpp dicitur, & omnia, seu in terris, siue in syluis, aut in aquis vel mancipiis, atque in omnibus, quæ hęreditario iure possidebant; ea videlicet conditione, quatenus regulares Canonici secundùm regulam sancti Augustini ibidem ordinentur, & ordinati inuiolabiliter conseruentur, quibus etiam necessaria de prædictarum rerum redditibus ministrentur; Ipsi autem regulares Canonici in obedientia & tuitione Episcopi Ratisponensis permaneant, ac liberam potestatem Præpositum seu etiam Aduocatum eligendi habeant, qui Aduocatus defensor, non grauator Ecclesiæ debet existere, nec ad posteros suos hæreditario iure, nisi ex consensu Præpositi ipsam Aduocatiam trāsmittere. Nos quoque cum consilio Chori & Ministerialium nostrorū piam deuotionem ipsarum adiuuantes, & locum in melius crescere cupientes, pro remedio animæ nostræ, Successorumque nostrorum Parochiā ipsam, in qua ipse locus situs est, cum omnibus appendiciis suis, videlicet Capellis suis in Preitenhule, in Megmerstorf, in VVinden, in Pandorf, in Tanhausen, in Schafhule, in Sandrotstorf, & decimis totis & indiuisis ipsis perpetualiter habenda contulimus; sepulturam quoque omnium de Episcopatu nostro, qui eam sibi postulauerint, liberè habeant, decimamque pro laboribus propriis & animalibus, nulli omnino persoluant. Præcipimus etiam vt fratres inde apostatantes Apostolico & Episcopi Anathemati, nisi resipuerint, subiaceant. Si quis verò Episcopus, quod absit, prædictam Schamhaptensem Ecclesiam perturbare, aut bona vel Aduocatiam eius inbeneficiare, aut iura mutare, aut cessare voluerit, si non resipuerit, diuinę vltioni subiaceat, & fratres eiusdem Ecclesię sedē Apostolicam appellandi ius habeant, & ad ipsam confugiendi, atque ita à Domino & potestate Ratisponensium Ecclesiæ discedendi libera erit facultas, vel ipsa hęreditas ad proximos redeat hæredes. Et, vt hęc talis traditio & institutio indubitata ac inconuulsa futuris maneat temporibus, hanc inde chartam conscribi, & sigillo nostræ autoritatis præcepimus muniri. Huius autem traditionis & institutionis Testes sunt, more Bauarorum auribus tracti, Albertus Decanus, Gotfridus Capellanus, VVolfherus Custos, Idungus Magister scholarum, Heinricus Capellanus, Berchtoldus Cellarius, Rupertus de Tanne, Berchtoldus de Chambe. Laici verò hi sunt, Otto vrbis Pręfectus, & filius eius Heinricus, Leutoldus Comes, Otto Comes-

Comes de Metn,& frater eius Heinricus, Ernestus filius Marchionis Leopoldi, Rupertus de Allenpach, Vichnant de VVolfspach, Geroldus de Pärgen, Ribinus de Mangolting, Hertvvich de Aspach, Albero de Tunbrunne, Erchenpertus de Sturn, Ministeriales,& plures alij. Data Anno incarnationis Dominicæ M. C. XXXVII. Indict. X. quarto Calendas Maij.

Advocatiam huius Monasterij habuerunt Domini de Abensperg in feudum, quam Vlricus de Abensperg, ab Vlrico de Lapide, fratris sui filio emit, cum cõsensu Heinrici Episcopi Ratisponēsis, tanquàm directi Domini; cum pacto, si intra sexennium ab eo non redimeret hoc ius redimendi, Ludouico Duci Bauariæ cederet, Anno 1292. hac ratione Aduocatia ista, vt puto, ad Duces Bauariæ peruenit, quam postea Ludouicus Imperator, vnà cum dominio ac castro Altmanstain, Nobilibus de Hauzendorf impignorauit, Dominus Ioannes de Abensperg rursum redemit.

Reperio Nobiles de VVildenstain hanc Aduocatiam etiam aliquãdo tenuisse, vt puto, pignoratitio titulo, quam Heinricus de VVildenstain de Rotenburg vendidit Domino Heinrico de Hauzendorf, cum omnibus iuribus, sicuti per successionem à parente & auo suo ad ipsum peruenerat, Anno 1340. Dominus Heinricus rursum vendidit, vnà cum oppignoratione castri ac dominij Altmanstain, Domino Ioanni de Abensperg, Anno Domini 1374. Quod ius sui Successores vsque ad Nicolaum vltimum huius familiæ tenuerunt, cui tam in dominiis, quàm in aliis iuribus Principes Bauariæ successerunt, hinc puto primos fundatores fuisse de familia Abenspergen.

Nobiles qui ibidem anniuersaria fundàrunt,& dotàrunt Monasterium, Domini de Abensperg, Aduocati illius Monasterij.

MENDORFER,
HINZENHAVSER,
SANDERSTORFER,
MVCKENTALER.

SCHEFTLARN

De institutione huius Monasterij ordin. Præmonstratēn. scribit Auentin. lib. 3. Annalium, fol. 303. his verbis: Tessalonis Ducis ope & fauore Vlricus Sacerdos equestris ordinis decem millia passuum supra Monachium in Pipino pago, in ripa Isaræ D. Dionysio construxit ædem, tradiditque Monachis diui Benedicti: à Scapha nunc cognomen, mutatis quoque cæremoniis habent. Nam candidati sunt,& diui Nordoperti mysta Premonstratenses se nominant. Alibi in monumentis illius Monasterij ita habetur: Temporibus Tassilonis Ducis Bauariæ, VValchericus Decanus in Teyningen, vir nobilis, primus fundator claustri Scheftlarn de propria hęreditate, & vocabatur tum Petenpach,& fuerunt ibi Canonici regulares, posteà Benedictini, qui fuerant expulsi per Arnoldum impium, Ducem Bauariæ, & Vngaros.

Anno 1140. Otto Magnus, Frisingensis Episcopus, erexit & renouauit claustrum prædictum,& posuit ibi Canonicos regulares, de ordine Præmonstratensium in perpetuum duraturum.

Extat ibi vetus diploma, eius tenor talis est: Ego ipse Petto, Episcopus & Abbas, primùm ob Dei amorem, seu pro peccatis meis minuendis, seu pro æterna retributione, dono Hächingen & Puelocham. Actum in Monasterio sancti Dionysij, sub oppido villę, quæ nuncupatur Skeftilari, publicè: Testis Orendil Comes, sexto Idus Augusti, Anno VI. Imperij Domini nostri Caroli Magni Imperatoris, Regni eius in Francia 38. &c. *Auentin. fallit.*

VASTATVM est hoc Monasterium per Vngaros, sicut & cætera, restitutum deinde per Heinricum Ducem Bauariæ. & Ottonem Episcopum Frisingēsem, fratres, diui Leopoldi Austriaci filios, qui loco Benedictinorum substituerunt Præmonstratenses, Anno 1140. Ioan. Auentin. in Annalib. fol. 630. in fine obscurè, a enō satis correctè de hoc & aliis tribus Mon: ita habet: in Boiaria tum hæ ędes sacræ dedicantur, Heinricus Dux Boius, Otto frater eius, Episcopus Fruxinensis, in superiore Boiaria quatuor templa sacrârunt, de integro ædificant extra mœnia Fruxineñ. oppidi Præmōstratis Neostephotam, Sylurnum, Schlechdorf, Scaphulariam, olim ante annos amplius 300. conditam, sub Tessalono III. diui Benedicti sacris initiatam, ab Vgris euersam reficiunt: mystis popularibus Augustinianis Nardobertinis dicant, &c. Originale seu Autographum habet condita, initiata, euersa; aliàs ad Scheftlarn solùm fieret relatio, quod non quadrat, cùm Schliers Monast. quoq; sub Tessalono sit conditum, idem Auent. fol. 303. Item ab Vngaris euersum fol. 482. Schlechdorf antea sub Vtilone fol. 292. euersum quoq; fol. 482. Est ergo sensus, quòd Neustift de nouo ædificârunt, alia tria Monastæ refecerunt, &c.

CONRADVS de Sachsenhausen eligitur ibi in Præpositum, Anno 1320. optimè administrauit, restaurauit pleraq; ac multa prædia emit. Obiit Anno 1346.

IOANNES Præpositus opimam Parochiam in Scheuring Dominij Liechtenbergensis iuxta Lycum, vnà cum decimis acquisiuit, ac Monasterio incorporauit, vt vocant.

NOBILES ibi sepulti, Schvveickerus de Gundelfing in ambitu ibi, inscriptio illius lapidis, propter vetustatem non est legibilis. Vixit autem hic Schvveikerus, circa Annum 1350.

DE Bairpronn vicino castro, Conradus vltimus illius familiæ, vnus ex præcipupujs militiæ Ducibus Ludouici quarti Imperatoris, ibi in capella Parochiæ anniuersarium & Missam quotidianam instituit, cum vxore sua de Preising, qui obiit Anno 1333.

RHELINGERI de Haldenberg, prope Lycum Parochiani Scheuringenses sepulti ibi in ambitu,

SCHEYRN.

Auentin in Annalibus fol. 614.

SCHYRVM siue Schyrense Monasterium ord. S. Benedicti supra Pfaffenhouen situm, Comitum initio Schyrensium magnificum castrum fuisse legitur, quod construxit Arnolphus Comes Schyrensis, filius Arnoldi mali. In Monasterium verò conuersum est hoc modo: Inchoata erat ab Ottone & Alberto, nobilibus viris, solitudinemq; amantibus hominibus, in horum ipsorum Comitum ac Principum Schyrensium ditione, montanis videlicet Bauariæ, iuxta altissimum eius Prouinciæ iugum, quod Accolæ den Wendelstein vocant, Eremitica quædam cella & Ecclesiola, Annum Christi circiter 1077. consentientibus, Ottone Schyrensi Comite, eiusq; vxore, Domina Haziga, Aragonum Regis filia, & vtriusq; filijs, Ecchardo, Bernhardo & Ottone, Principibus Schyrensibus. Hæc cella iussu Ellenhardi, Frisingensis Episcopi, ea tempestate ægrotantis ac grauiter decumbentis, à Pontifice quodam Polensi consecrata est. Decedente verò paulò pòst ex hac vita Principe Ottone, Anno nimirum Christi 1079. Domina Haziga, relicta Ottonis coniunx, iterum iam vidua facta (habuit enim prius maritum Hermannum, Comitem de Castl & Sulzpach) cum filiorum suorum consensu, ex humili ac Eremitarum domo ac Ecclesiola, celebre Monasterium construere, & in memoriam mariti sui liberaliter dotare decreuit.

Transtulit

TRANSTVLIT verò Monastieam sedem in paulò amœniorem locum, qui hodie adhuc à pterfluente pisculẽtissimo fluuiolo Visehbachavv diei soler, & qua tuordecim miliaribus à Schyro, septem à Monaco, duobus à S. Quirini Tigurino Monasterio abest, ad pedem montis Khuezagel cognominari in Aiblingensi districtu situ, vbi adhuc hac tempestate duo sunt templa, quorum aliud S. Martino, alterũ B. Virgini dicatum est, & Præpositura Monasterio Schyrensi incorporata. Hunc locũ Domina Haziga fundatrix & pagis & vineis plurimis ditauit, in hoc loco cœpit Monastica D. Benedicti congregatio; in hoc Domina fundatrix mortua & humata, at postea Schyrum translata est. Sed nec iste locus diu satis placuit, post sex enim annos à prima translatione, iterũ mutata est sedes: & secundò translatum Monasterium è montanis, in paulò liberiorem agrum ad Glanum fluuium, qui non procul inde in Ambram cadit, Vsenhofium, antiquitus Glanegk à fluuio dictum, tribus miliaribus à Schyrensi Monasterio situm. Illic in monte S. Petri (vbi hodie adhuc Templum visitur, ab Ottone, Hazigæ fundatricis filio, & à Berrholdo Comite de Burggheim ante duas aras ibidem sepultis, cõstructum) tertiò inchoatum est Monasterium, sub primo adhuc Abbate Erchenboldo. Quo loco cùm sedecim annis mansum & propter aquarum in sublimi monte, S. Petri defectum, locus iste etiam parum commodus Monachis visus esset: quartò translatum est Cœnobium nuper inceptũ, in ipsam Principum Schyrensium (vnanimi eorundem omnium consensu) auitam arcem ac sedem, amplam illam quidem, sed admodum ruinosam ac ferè desertã, & ad extremam prorsus internecionem spectantem. Hæc Schyrensis Monasterij initia sunt & exordia certissima. Monumẽtorum nihil ampliùs ibi est celebrium, quàm in media Ecclesia sublimis tumulus Ottonis fundatoris, ac D. Hazigæ fundatricis.

IN INGRESSV domus Capitularis est alius de terra eleuatus tumulus, sub quo 120. vtriusque sexus Comitum ac Principum Schyrensium corpora sita, & in subterranea crypta, quasi ordine collocata esse dicuntur. Nomina ipsa Comitum ac Principum istorum interciderunt, sed præcipuorum huius loci fundatorum ac benefactorum extant. Ludouicus Imperator dedit huic Monasterio omnimodam iurisdictionem in suos subditos, exceptis homicidio, stupro violẽto ac furtis, & hoc propter maxima damna pro Imperatore perpessa, Anno 1315. Confirmat hoc Ludouicus Marchio Brandenburgeñ. filius, vnà cum aliis Cœnobij priuilegiis, Anno 1348. &c.

SEQVITVR CATALOGVS ABBATVM DICTI MONASTERII.

ERCHENVVOLDVS primus Abbas à Guilielmo Hirsaugiensis Cœnobij Præsule mittitur, cum 12. fratribus, fundatrici D. Hazigæ, Anno 1096. Præfuit is in Visehbachavv annis 6. Posteà Cœnobium transfert ad Eysenhouen, consensu Cõradi Comitis Schyrensis & aliorum D. Hazigæ Nepotum, vbi iterum piè præfuit annis 8. Decessit senex, anno 4. Sub eius gubernatione obiit Domina fundatrix Haziga, Aragoniæ Regina, cuius filius Otto Comes multis reliquiis hunc locum donauit & illustrauit. I.

BRVNO vir egregiæ nobilitatis, filius nimirum materteræ Heinrici Imperatoris, successit Erchenboldo, acceritus ex Hirsaugia, quod magnificum & potẽtissimum est Benedictini instituti Cœnobium in Ducatu VVirtenbergensi ad Nagoldum amnem, inter Kalbium & Thermas Cellenses, in nigra sylua situm. Præfuit in Eysenhofen 8. annis, posteà translato Monasterio, vt dictum est, Schyrum, ibi iterum annis 8. Obiit Anno 1127. II.

VLRICVS, siue Hildericus primus, subrogatur Brunoni: Prçfuit per vnius tantùm anni spacium & remouetur à Principibus Schyrensibus. III.

IIII. VLRICVS secundus, vir nobilis admodum religiosus, duobus tantùm annis functus est munere Abbatis. Obiit Anno 1130.

V. MARQVARDVS successit Vlrico secundo, sed non diu præfuit, vix enim completo vno anno, per Principes gubernaculo amouetur: causa literis mandata nō est.

VI. GOSOLDVS quinque præfuit annis, & ab administratione, fortasse non abs re, amouetur iterum, Anno 1135.

VII. VLRICVS tertius, vir & prudēs & religiosus admodum, subrogatus Gosoldo sapienter & piè præfuit annis 25. Impetrauit mitram & sandalia à Pontifice Alexandro IIII. Cæcus tandem factus, contra omnium voluntatem magistratu se abdicās, Vischbachum reliquum vitæ exegit, vbi & ex hac vita emigrauit & sepultus est.

VIII. EBERHARDVS, alibi Eckhardus, vnanimi fratrum consensu electus Anno 1160. vir natalibus quidem clarus & genere nobilis, sed leuitate & superbia infamis, quæ communia solent esse degeneris nobilitatis vitia. Amouetur igitur anno suæ gubernationis vndecimo, p Comites & Principes de VVitteleinspach, Anno Christi nimirum 1171. quo 12. Calen. Februarij igne combustum periit totum ferè, hactenus tantùm ligneum Cœnobium.

IX. BALDEMARVS eligitur omnium fauore post depositū Eberhardum. Præfuit sapienter & prudēter 32. annis, vir Ecclesiasticarum rerum perquàm studiosus, hospitalis, & pauperum non vulgaris patronus. Instaurauit igne collapsum Monasterium non infœliciter. Homo admodum seuerus, qui legitur non carne tantùm, sed & adipe ad mortem vsque abstinuisse. Obiit Anno 1203.

X. HARTOMANNVS, vir senio penè confectus, à Ludouico Boiorum Duce vix exoratus, Abbatiæ clauum accepit, anno, quo Antecessor inter viuos esse desiit; cùmq; tribus annis præfuisset, iterum cessit, malens priuatus viuere in quiete, quàm tanta dignitate conspicuus cum tanta inquietudine.

XI. CONRADVS constituitur Abbas, Anno 1206. consecratur in festo Simonis & Iudæ, præsente Duce Ludouico. Erat iuuenis simplex, sed pręsentia Principis excitata adolescentis simplicitas præclarè sese posteà exercuit, familiaremq; rem & Ecclesiasticam gnauiter administrauit. Sub eo Monasterium hoc Deiparæ virgini cōsecratum, 7. Iduum Octobris, ab Ottone II. Episcopo Frisingensi, Anno 1215. Diuo Martino templum lateribus coctis ædificauit, Sacellumq; omnium Sanctorum, quod dedicatum est à Patriarcha Aquilegiensi. Romam iuit, vnde purpuram deportauit. Palæstinam voti reusiturus, ab Archiepiscopo Salisburgensi voto solutur. Præfuit annis 20. & resignauit liberè, præsentibus, Ludouico Bauarorum Duce, & Episcopis, Aystetensi & Frisingensi, sub eo claruit Cunradus Monachus & Prior, diligentissimus & indefatigabilis innumerorum librorum scriptor, & Schytensium Chronographus.

XII. HENRICVS eligitur Anno 1226. consecratur in festo S. Matthiæ. Præfuit annis 33. Extruxit turrim quadratam, Sacellū S. Catharinæ, granarium, & valetudinarium, aliaq; plurima, multa etiam vetera instaurauit; abalienata redemit & recuperauit, ac etsi tunc temporis varia essent inter Principes & Episcopos bella, tamen omnibus ex æquo charissimus fuit, quia hospitalis & munificus. Resignauit tandem senio grauatus, Anno 1259.

XIII. RVDOLPHVS Abbas in Thierhaupten pfuit Monasterio Schyrensi vix per vnū annū, & amouetur iterū, quòd inutilis esset, & negligens rerū Cœnobij gubernator.

XIIII. LVDOVICVS designatur Abbas, Anno 1260. Præfuerat antea Cœnobio VVeichenstephensi. Præfuit hic annis 13. satis negligenter, idcirco etiam parum honorificè dimissus est à Principibus.

XV. ARNOLDVS subrogatur Ludouico, Anno 1273. sed imperitus administrationis rei familiaris, septimo anno ab electione sese Magistratu abdicauit.

d FRIDE-

FRIDERICVS, Prior S. Emerani Ratisponæ, omnium suffragiis declaratur Abbas Schyrensis, Anno 1281. vir in literis satis doctus, sed in procuranda re familiari parum fœlix, adeò vt sub eo Cœnobium ad extremam inopiam redigeretur. Vendidit plura, quàm emit. Præfuit annis decem. Exautoratus deinde Ratisponam rediit, vbi non sine ignominia dicitur apud sanctum Emmeranum ex hac vita emigrasse. xvi.

VLRICVS quartus, cognomento Perchtinger, ex Cœnobio S. Quirini in Degernsee accersitus, fœlicissimè præfuit annis 20. Emit vineas in alpibus. Obiit Anno 1311. sepelitur apud S. Quirinum, iuxta aram S. Erasmi, xvii.

CONRADVS secundus, cognomento Perger, præfuit cum omnium dolore, & querimonia annis 13. inutilissimè. Obiit Anno 1323. xviii.

VDALSCALCVS præfuit per vnum saltem annum, nec tamen integrum. xix.

VLRICVS quintus, cognomento Leutzenauer, eligitur Anno 1324. Præfuit annis sex, & aliquot mensibus parum vtiliter. Lapsus equo expirauit, Anno Domini 1330. xx.

CONRADVS Leutzenauer, Germanus frater Vlrici quinti, ex Abbate VViltsburgensi, constituitur Schyrensis Monasterij pater, vnanimi conuentualium consensu. Præfuit annis 15. laudabiliter & vtiliter. Consequutus est ab Imperatore Ludouico quarto, Bauaro Parochiam oppidi vicini Pfaffenhofensis ad Ilmium fluuiolum siti, senex tandem imbecillis se magistratu abdicat. xxi.

VVOLFGANGVS vir quidem genere Nobilis, sed non proinde virtute, homo superbus & leuis, præfuit inutilissimè 7. annis, nihil gerens memoria dignum, cōflans æs alienum grande. Obiit Anno 1353. xxii.

VLRICVS sextus, cognomento Morspack, vir prudens reiq́ue familiaris administrandæ, cum singulari laude & fœlicitate peritissimus. Præfuit sapienter & vtiliter annis penè 23. Obtinuit apud Ludouicum Marchionem Brandenburgensem, Ludouici Imperatoris filium, Parochiam oppidi Voburgensis ad Danubium siti. Obiit Anno 1376. xxiii.

VLRICVS septimus, cognomento Münnenbeckius, præfuit annis 24. fideliter & fœliciter. Consecutus est à Pontifice Maximo Vrbano sexto confirmationem supradictarum donationum, Parochiarum Voburgensis & Pfaffenhouianæ. xxiiii.

CVNRADVS de Mur præfuit annis 12. vir bonus & mansuetus. Ophtalmia deinde grauiter laborans, Abbatiam Conuentui resignauit. xxv.

CVNRADVS quintus, cognomento Tegernbachius, designatur Abbas, Anno 1413. Præfuit annis 8. inutilissimè, quibus magnum æs alienum contraxit. xxvi.

LVDOVICVS VValchius cum magno Cœnobij detrimento præfuit annis sex, prædia oppignorans, vsum fructum vendidit: Obæratus itaque amouetur, Anno 1427. xxvii.

CONRADVS sextus, cognomento VVieckmannus, vir callidus, & ingenio versuto præditus, pertinaciæ tamen singularis. Habuit graues concertationes cum Conuentu, difficulter tandem compositas per arbitros, autoritate Concilij Basiliensis datos, Ioannem Grinebaldum Vicarium Frisingensem, & Ioannem Tulbeckium. Præfuit parum vtiliter annis 9. amouetur tandem Anno 1436. xxviii.

IOANNES Degernbeckius, vir eloquens & singularis industriæ, præfuit annis 13. augens æs alienum. Condidit duo sacraria & supremæ aræ delubrum. Obiit Anno 1449. xxix.

VVILHELMVS Krenberger ex Tigurino Monasterio in Abbatem Schyrensem vocatus, præfuit annis 18. Fuit vir religiosus & eruditus, qui Bibliothecam præclarè auxit, obseruantiamq́ue secundùm Benedicti institutum Cœnobio intulit. xxx.

b 3 Obiit

Obiit Anno 1467. sepelitur in media Ecclesia prope tumulum fundatorum, Ottonis Comitis, & D. Hazigæ.

xxxi. GREGORIVS, cognomēto Sperlin, ex Parochia Schyrensi pauperibus quidē sed honestis parentibus prognatus, vir multis præclaris virtutibus præditus, præfuit sapiēter & vtilissimè annis 22. Quibus & Bibliothecam præclarè auxit, & plurima ædificia pulchrè construxit, Sacellum videlicet D. Ioan. Baptistæ, sacrarium minus, zytharium seu praxatorium, & ambitûs duas partes cocto latere cōcameranit, muro laterìcio cinxit hortum, magnam æris alieni partem dissoluit. Calculo laborans obiit ætatis suæ anno 68. Christi verò 1489.

xxxii. PAVLVS, cognomento Prevv, patria Voburgus, vir integer & religionis Benedictinæ obseruantissimus, præfuit 16. annis Obiit Anno 1505. Monaci in Conuentu fratrum minorum ictus Apoplexia, Dominica post conuersionem S. Pauli, corpus Schyrum refertur, & honorificè sepelitur.

xxxiii. M. IOANNES, cognomento Turbeyt, ex Patauino Episcopatu oriundus, communi omnium suffragio eligitur, Anno 1505. vir, qui honestis literis & Philosophiæ, vsque ad supremam palmam in Ingolstadiano Gymnasio operam dedit. Rerum Ecclesiasticarum, reique familiaris administrandæ, suprà quàm dici potest, peritus & gnarus, vnde grande æs alienum à maioribus conflatum 2000. aureorum nummum dissoluit. Opera incepta à suo Antecessore perfecit, & ipse de integro multa extruxit, portas vtrasque cum domibus cohærentibus magnificè ædificauit. Fuerat priùs Præpositus in Vischbachau, vbi egregium thesaurum cumulauit, quod nemo alius antea fecerat; plurimum auxit Clenodia, argentea que monumenta, vir vitæ integritate nemini secundus, Principibus charissimus, præcipuè Alberto Principi prudentissimo ac eloquentissimo, Maximiliani Imperatoris genero, qui per eum pleraque D. Benedicti Cœnobia ad seuerioris religionis iugum reuocauit. Literatorum & literarum fautor maximus, Auentini Chronographi Boiorum singularis Mecœnas. Præfuit laudabiliter & omnium optimè annis 30. Obiit Anno 1535. 8. Calend. Aprilis, sepelitur in medio Templo prope mausœolum fundatorum.

xxxiiii. ANDREAS, cognomento Geishouerus, vir religione & deuotione insignis, benepræfuit annis duodecim. Obiit Anno 1547. 21. Decembris, sepelitur in medio ferè Templo, cum præclaro monumento, quod illi pio affectu erigi iussit Successor.

xxxv. IOANNES Chrysostomus, cognomento Hirsbeckius, vir procera corporis statura præditus, literis verò & virtute clarissimus, eligitur Anno 1547. Habuit Germanum fratrem Paulum Hirsbeggium, sacræ paginæ Doctorem, & Ratisponensis summæ Basilicæ Cōcionatorem. Hic Capellam in ambitu, quam Capitularem vocant sepulturam Comitum Schyrēsium, è fundamentis extruxit, ac figuris illorum decorauit. Obiit Anno Domini 1558.

xxxvi. GEORGIVS Neupeck ex VVolnzach, Bauarus, expulsus VVerdeæ Monasterio sanctæ Crucis in Principum bello Anno 1552. exul Schyram venit, vbi benignè receptus, ita se gessit, vt Vischpachauensi Ecclesiæ præficeretur, hinc defuncto Ioanne Crysostomo, concordibus votis in Abbatem electus est, Anno 1559. Hic tanquàm bonus Oeconomus Templum Schyrense renouauit, ac Monasterium multis necessariis, ac pulchris ædificiis exornauit. Obiit Anno Domini 1574.

xxxvii. BENEDICTVS Prummer Monacē. eodem anno electus, hoc 1581. Anno adhuc præest, quod Deus sibi ac Monasterio bene vertat, &c.

SCHLECH.

SCHLECHDORF

COLLEGIVM Canonicorum regularium S. Augustini. Hoc Monasterium situm ad radices alpium in superiori Bauaria, cõstitutum seu fundatum est cum Beurn, Polling ac aliis Monasteriis, à Landfrido VValdramo & Elilando, fratribus, Comitibus ab Antorf & Loysa, sub Vtilone Duce Bauariæ; deuastatur per Vngaros, sub Ludouico Imperatore, circa Annum 907. Auent. fol. 482. reficitur per Heinricum Ducem Boiorum, & Ottonem Episcopum Frisingen. fratrem eius, vnà cum Schliers & Scheftlarn, circa Annum Domini 1140. Auent. fol. 630. alibi Auentin. in Annalibus fol. 292. ponit: Schlechdorf & Polling post Vngarorum deuastationem receperunt regulam S. Augustini. Nam ab initio erant Ordinis S. Benedicti. Tenues sunt hoc tempore huius Monasterij census ac redditus, vt vix tres aut quatuor Canonicos alere possit. Dicitur ibi requiescere corpus S. Tertulini Martyris, viri industrij ac Nobilis Romani, sub summo Altari.

SCHLIERS

DE institutione & fundatione huius Monasterij, ordinis Canonicorum Regularium, ad lacum Schliers, inter Oenum & Mangualdum flumina ad radices alpium situm, scribit Auent. in suis Annalib. lib. 3. fol. 303. Adalund, Hildeuald, siue Hiltpold, Odacer, Gariouald a, siue Gariobald, Antonius, claris orti natalib. ad Sylurnum lacum, Monachis atris, hoc est, Benedictinis templum ædificârunt, Aribo Episcopus Frisingensis dedicauit, Berchtoldum iuris diuini consultum ipsis Patrem dedit, & hoc sub Tessalone, Duce Bauariæ, circa Annum Domini 760. De hac fundatione scriptum reperio in libro magno traditionum Frisingæ, cuius stylus nõ omnino congruus est, &c: Regnante in perpetuo Domino nostro Iesu Christo; Ego itaque in Dei nomine Adalunc simul cum fratribus nostris, nomine Hiltipalt seu Kerpalt, nec non & Antonij, siue Otakir, inspirante diuina gratia, secularia negotia deserẽtes, locum nobis elegimus de cõmuni hæreditate nostra, siue parentũ nostrorum in vasta solitudine Eremi, quę dicitur Schliersee, & ibidem, adiuuante dño Deo nostro, cellulam more solito construximus. Nam & oratorium cum consensu Episcopi Dñi Aribonis ædificauimus, deinde aduocante prædicto Episcopo ad consecrandam prædictam Ecclesiam ita factum est. Deinde sub ditione ipsius Episcopi nosmetipsos commendauimus per omnia, & inde de manu Episcopali electũ nobis Magistrum, virũ venerabilem, nomine Berchteol, in nostro suscepimus Magisterio, deinde post biennium complacuit fratribus eligere prædictum Berchteol ibidẽ Abbatem per consensum fratrum, adduximus eum ad prædictũ Episcopum, iuxta ordinem regulæ S. Benedicti, electum ordinauit & nobis posuit Abbatem. Ideoq; decernimus cum consensu ipsius prædicti Episcopi nostri, vt secundùm autoritatẽ S. Benedicti regulam regerent, & ibidem regulariter de ipsis fratribus sibimetipsi eligerent Abbatem, ipso ordinãte Episcopo de domo S. Mariæ: Si ibidem forsitan defuerint, tales intra ipsos fratres de domo Episcopali eligant Abbatẽ, ordinante Episcopo. Actum in prædicto Monasterio Schliersee, sub die consul: quod fuit 12. Calend. Februar. Indict. XII. regnãte Dño Tassilone, anno 32. Et ipsi subscripti fratres inuicẽ restes extiterunt. Hos fundatores puto fuisse familiæ VValdecensium Dñorum, tametsi enim hoc Monasterium, cum aliis plerisq;, circa Annũ 907. per Vngaros vastatum, per Ottonem Epũm Frisingeñ. cum fratre Heinrico, Duce Bauariæ, ex familia Leopoldorum Austriacorũ Marchionum, vnà cum alijs Monasterijs Bauariæ, circa Annum 1140. restauratum sit, translatis eò Canonicis regularibus, nihil tamen præcipui contulerunt, vt puta qui in Bauaria nihil proprij habebãt, atq; ibi modico tẽpore regebant, vnde pro fundatoribus huius Monasterij nõ habendi, sed potiùs Dñi VValdecenses.

Propter vetuſtatem huius familiæ, quæ omnia circum circa poſſedit, poſt deuaſtationem antiquæ arcis VValdeck, cuius rudera in præalta rupe, ſupra lacum adhuc extant in Schliers & VVallenburg habitauit, merum ac mixtum Imperium vnà cum Aduocatia Monaſt. imò etiam in pleriſq; Monaſterij prędiis, à maioribus ſuis datis, partem cenſuum, vulgariter die Stifftpfenning / in ſignum Dominij retinuit & habuit, vnde ab ipſis Canonicis in libro de origine & fundatione Monaſterij Anno 1378. ſcripto, in pleriſque locis fundatores illius nominantur, qui ibidem ſua ſepulchra anniuerſaria ac ſacra habent. Itidem in quodam laudo inter Canonicos & Dominum VVolffgangum de VValdeck, vltimum illius familiæ, per Sixtum Friſingenſem Epiſcopum, & Albertum Bauariæ Ducem, Anno 1467. prolato cautum eſt, vt prædictus VVolffgangus pro altero fundatore inſcriberetur. ita vt prædixi, puto, ſaluo tamen aliorum iudicio. Poſt obitum VValdeccēſium tranſlatum eſt hoc Monaſterium, autoritate Pontificia per Albertum, Ducem Bauariæ, vnà cum Yllmünſtrenſi Monachium, & vnione facta, inſtitura eſt ibi collegiata Eccleſia ad diuam virginem Mariam, Anno Domini 1495. Vbi latiùs de hac re.

SCHÖNENFELD INFERIVS

MONASTERIVM Monialium Ciſtercien. ordinis, Berchroldus Comes à Graiffpach, huius nominis ſecundus, cum vxore Adlhaid (quam quidam Regis Cypri filiam nominant) Burckhaimij Monaſterium D. Georgio dicant, Virgines ſanctas ibi collocant, ſed quòd is locus minùs idoneus pietati eſſet, ſolitudinem amantium Sibothonis Epiſcopi Auguſtani licentia, precibus Conradi Cęſaris, conſentiente Berchtoldo atque vxore Adlhaide, fundatoribus, tranſlatio facta eſt, ad hunc locum Schönenfeld, non longè ab hoſtiis Lici, Anno Domini 1241. &c. Auentin. lib. 7. Annalium, fol. 682. Sibothonem Epiſcopum Seceueltam nominat, ſed hunc in familia Seceuldenſium Dominorum non reperio, vt Bruſchius in Metropoli Moguntinenſi notauit. Fuit de familia Dominorum de Gundelfingen, quod veriùs puto, & Auentinum fortè in eo deceptum, quòd Gundolfingenſes Domini caſtrum Seceueld in Bauaria aliquanto tempore poſſederunt. Sed hoc centum ferè annis poſt hunc Sibothonem, vt in libro meo Stemmatum Bauariæ latiùs inuenitur, quoniam huic Monaſterio ferè, paucis exceptis, Nobiles Virgines præfuerunt, libet illorum Catalogum breuibus annotare.

Anno 1242. venit in Schönenfeld Kunegundis VVeikmanin, cum aliis ſororibus ex Grauen Burckhaim Magiſtra.

Anno 1268. Irmengardis de Meilnhart fit Magiſtra.

Anno 1274. Domina Eliſabeth de Neiffen fit Prioriſſa.

Anno 1275. Iuditha Truckſäſſin de Graiffpach eligitur Prioriſſa.

Anno 1283. eligitur Domina Gertraud de Lechſperg, prima Abbatiſſa.

Anno 1306. Guta de Stras.

Anno 1324. Domina Anna, Comitiſſa de Neifen.

Anno 1337. Gettrudis Marſchalckin de Dornſperg.

Anno 1343. Agnes de Muor. Sub iſta Ludouicus Marchio Brandenburgenſis, Dux Bauariæ, vniuit Monaſterio Parochiam in Burckhaim cum pertinentiis, Anno 1358.

Anno 1367. Vrſula de Schmiehen.

Anno 1377. Eliſabeth Comitiſſa de Nyffen.

Anno 1392. Agnes de Pfalhaim.

Anno

Anno 1400. Clara de Holzhaim.
Anno 1411. Elisabeth Hirschlacherin.
Anno 1423. Affra de Gumppenperg.
Anno 1445. Martha Marschalckin de Dornsperg.
Anno 1464. Anna de Knöring.
Anno 1487. Lucia Zennerin. Obiit 1513.
Anno 1513. Barbara Gentnerin.
Anno 1534. Anna Hausnerin de Stetperg.
Anno 1541. Lucia Ebranin.
Anno 1559. Margreth Leutgebin, quæ resignauit facta Abbatissa in Kiembsee.
Anno 1565. Vrsula Grossin de Trockhau, dicta Pferffelderin eligitur, quæ hoc Anno 1579. adhuc laudabiliter regit.

Sepulti sunt ibi Nobiles de Straß, qui ibi propriam Capellam habent in Capitulo.

Item Nobiles de Gumppenperg, nunc Domini.

SEELIGENTAL

Monasterium virginũ Cisterciensis ordinis. Ludomia, aliàs vulgariter Ludmilla, Ducissa Bohemiæ, vxor primò Alberti à Pogen, tertij huius nominis, potentissimi Comitis ante syluam Bohemicã, ex quo tres filios habuit, Luipoldum, Berchtoldum & Albertum quartum, secundò nupta Ludouico Duci Bauariæ, filio Ottonis de Vvitlspach, primi Ducis, ex quo vnicum filium Ottonem suscepit, viduata Anno 1231. anno sequenti Landeshoutæ in suburbano sacratis fœminis Monasterium cõstruxit, Cisterciensibus initiauit, dotem suam dedit, vbi eius sepulchrum, necnon cæterorum Principũ inferioris Bauariæ ostenduntur, Extat diploma, cuius tenor sequitur: Aust. lib. 1. fol. 656

In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Cùm ad effodiendum & inueniendum cœlestem thesaurum Christum, in agro sanctæ Ecclesię absconditũ, & comparãdam preciosam margaritam, vitam scilicet cõtemplatiuam, quibusdã bonę voluntatis hominibus debilitate & consuetudine contradicentibus, corporis vires nõ sufficiãt, necesse est delicatis huius seculi & diuitibus, qui corporali exercitio & labore proprio bene operando, caput Christi discumbentis in conuiuio vngere nequeunt, de mammona iniquitatis, quasi capillis pedes eius, videl: pauperes salrem tergant, & eos sibi inde amicos faciant, vt, cùm defecerint, eos in æterna tabernacula recipiant. Verè enim tunc homo deficit, cùm gratiam, quam peccando perdidit, per bonum corporis exercitium recuperare nequit, & tunc in æterna tabernacula eum recipit, qui accepto ab eo eleemosynarum beneficio Deum pro peccatis suis orando recõciliare minimè desistit, vt tunc opus misericordiæ suppleat, quod carnalis fragilitas elaborare recusat; sic scriptum est. Peccata tua eleemosynis redime, quia sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna peccatum. Et iterum: Date eleemosynas, & omnia munda erũt vobis. Nouerint igitur vniuersi, tàm præsentes, quàm posteri, quòd ego Lodomia, Ducissa Bauariæ, de portione substãtiæ, quæ ex hæreditate parentũ meorum me contingit, cum vidua illa Euangelica, ne vacua appaream in conspectu Dei omnipotentis, aliquid in gazophilacium Domini mittere cupiens, annuente & cõsentiẽte dilecto filio meo Ottone, Illustri Duce Bauariæ & Palatino Comite Rheni, ad instaurationem Conuentus Virginum sanctimonialium Cisterciensium ordinis, qui inter religiones cæteras, quasi stella matutina fulget in medio nebulæ, & quasi sol domum Domini, sanctam videlicet Ecclesiam illuminat, quamuis in eodem sexu, in partibus heu Bauariæ minimè sit cognitus, in hospitali Landeshuet, in fini-

infinibus Ratisponensis Diœce. vt quasi custodes, super muros Hierusalem constitutæ, tota die ac nocte pro beneficio impenso laudare, & pro peccatis meis & delictis, & maritorum meorum defunctorum, videlicet Ludouici Ducis Bauariæ & Adalberti, Comitis de Pogē, pro salute & incolumitate filiorū meorum, prædicti scilicet Ducis & Adalberti Comitis, & successorum nostrorum, nomen Domini non cessent deprecari, quasi Domino minuta has quinq; villas, sitas in Parochia de Chambe, ante syluam Bohemicam, conruli scilicet Schvuarzenbach, Zlemungen, Vieztir superius, & Vieztir inferius, & Risenride; ita videlicet, vt prædictarū villarum conhabitatores nunquā ad aliquod seruitium, tam taliarum quàm censuum siue exactionum, nisi ad exsolutionem viginti & vnius libræ, & dimidiæ minus duodecim denarijs, & duarum scapharum, vnius tritici & vnius siliginis in perpetuum cogantur ab aliquo. Et, vt prædictarum villarum filius noster sæpe dictus, Dux & successores, sine omni talionis vel exactionis, siue alterius quocunq; nomine censcantur seruitij, quibus pauperes à suis iudicibus uel Aduocatis solent grauari, perpetui sint iudices & defensores. Acta sunt hæc anno Gratiæ, Millesimo, Ducentesimo, tricesimo secundo, Indictione quinta, præsiden. Ratisponensi Ecclesiæ venerabili Domino, Sifrido, eiusdem Vrbis Episcopo, & dilecto filio nostro sæpe dicto Ottone, Ducatum Bauariæ & Palatinum Comitatum Rheni tenente: Quorum sigillorum & nostro testimonio præsentem paginam fecimus roborari. Testes autem, qui huic dationi interfuerunt hi sunt, Leuroldus Pincerna, Hermannus de Curia, Gotfridus Srösl, Heinricus de Chazpach, Vlricus de Taphheim, Ludouuic de Nortvvinaere, Dipold de Hachenstorf, Purckhart de Hachesdorf, Marquardus de Schyr, Heberhardus de Ilmardorf, & frater Hainricus de Lengenfeld, & plures alij.

HAINRICVS, & Otto, Duces inferioris Bauariç, dederunt huic Monasterio, in quo ipsi cum progenitoribus suis sepulturam habent, priuilegium immunitatis sal per Burckhausen, & Scharding absq; teloneo & muta vehendi, Anno Domini 1319.

VVulphingus de Goldeck cum consensu filij sui Vlrici Ottonis de Goldeck, & aliorum propinquorum, dedit huic Monasterio ius 32. plaustra, vulgariter 32 Füder Nachhets Saltz/ annuatim ac perpetuò ex sua salinaria sartagine in Hellel, intra tempus Paschæ ac Pentecostes tollendi, Anno Domini 1331. sub sigillis amborum, patris & filij.

Sunt ibi sepulturæ Principum Landshuotensium,

Item Nobilium de Preising, qui ibi in porticu propriam Capellam, anniuersarium & Missam habent.

Nobilium Feuer de Pfetrach.

Nobilium Kärgl de Suespach.

SEEMANSHAVSEN,

ORdinis sancti Augustini, Seemannus Nobilis Bauarus Archidiaconus, siue Chorepiscopus, vt alij vocant, Ratisponensis, Seemanshausen in inferiori Bauaria in pago Rhodani Augustinianis Monachis Contubernium erexit, circa Annum, 1260.

SEON

SEON *siue* SEVN.

EST aliud Monasterium Sein in valle Sein Prouinciæ Treuirensis conditum ab Hainrico, Comite de Sein, sub confirmatione Iohannis Archiepi Treuereñ. Extat diploma de Anno. 1202.

Hoc nostrum Monasterium, Seon siue Sevvm vel Sevven, ordin. S. Benedicti secundùm vetera diplomata &c. fundatum est ab Arbone Comite Damasiano ac Andeceñ, qui in Bauarica Norica, non procul à Chiemensi lacu, Burgilum Castellum suũ in templum vertit, D. Lamperto dedicat, tradit'q; Benedictinis Monachis, incolæ à lacubus, qui ibi sunt frequentes, vocant Socum, Hainricus sanctus, hoc & alia Monasteria largiter locupletat. extant diplomata, Auent fol. 508. 692.

VLRICVS Abbas Seunensis cum conuentu elegerunt Ludouicum Palatinum Rhein, Ducem Bauariæ in Aduocatũ & protectorem suum, vigore priuilegiorum suorum, tam Pontificiorum quàm Imperialium, ita vt post illius obitum siue pater, siue alij ipsius proximi agnati eandem Aduocatiam irreuocabiliter tenerent, alij verò nemini eandem cõcederent, Monasterium eius priuilegia & iura defenderent. Extat latinum diploma, cuius datum in obsidione castri Hademarsperg, Anno 1247. Testes, Luizmanus VVernherus de Laber, Hademarus de Laber, Siuridus de Frovvẽberch, Siuridus de Frovvenhouen, Siuridus probus Asinus, germanicè frumb Esel/ Vlricus de Mosen, Hainricus de Ysolzried, Diethericus Pincerna de Ode, Ortholphus de Laimingen, Arnoldus de Prisingen, Vlricus de VVildenvvart, & alij complures.

Idem Ludouicus Dux dedit Monasterio priuilegium exemptionis à teloneo in Ratenberch, ratione vini, olei, casei & reliquorum victualium, dans illi curiam suam in Ahrain, è contra Abbas dedit Duci aliqua sua intra cæterorum fundorum in vico Kufstein, & intra fossatum Ratinberch. Acta sunt hæc apud Chufstein: Testes Albero nobilis de Prückberg, Magister D. Præpositus in Illmünster, H. de Isolzried, Vlricus de Mosen, Conradus, Pühlar, Vlricus de Fruinsperch, & C. filius ipsius, B. Prandelinus, & alij, Anno 1257.

STEINGADEN.

VVelpho Dux Spoleti, Lycariorũ & Ambronum Tetrarcha seu Comes, frater Hainrici Bauariæ & Saxoniæ Ducis, Monasterium Steingaden ordinis Præmonstrateñ. iuxta Lycum pro Præmonstratensibus Monachis cõstruxit, Anno Domini 1147. Vbi ipsius, necnon filij sui VVelphonis, qui ante patrem Anno 1169. obiit, mausœola ostenduntur, ipse pater post magnam prodigalitatem, cùm liberis careret, conuersus ad se, in summa pietate vitam finiuit, Anno Dñi 1191. De quibus vide latiùs Iohan. Auent. in Annalib. suis. lib. 6. fol. 620. 644. 656. De fundatione huius Monasterij extat confirmatio Philippi Roman. Regis, de Anno 1201. & Friderici secundi Imper. de Anno 1220. sequentis tenoris:

IN nomine sanctæ & indiuiduæ TRINITATIS, Philippus secundus, diuina fauente clementia Romanorum Rex & semper Augustus, diuinę remunerationis & ęquitatis intuitu Ecclesiis, à progenitoribus nostris fundatis, non solùm tradita beneficia conseruare tenemur, verùm etiam de concessis nobis à Deo aliqua eis fœliciter erogare, & circa tranquillitatem ipsorum & augmentum, operam efficacem & curam adhibere diligentẽ. Ea propter omnibus Christi fidelibus, tàm posteris quàm modernis, notũ esse volumus; Quòd nos animaduertentes diuinę religionis cultũ, & hone-

honestam fratrum conuersationem Monasterij Staingadensis,quod fundauit prædilectus Auunculus noster,inclytus Dux VVelpho,& proprijs curauit prædijs ditare,quodq; ibi pro eo & omnibus eius posteris preces,sine intermissione fundantur ad Dominum,ipsum Monasterium cum omnibus sibi attinentibus,in plenitudinem gratiæ nostræ & sub specialem maiestatis nostræ suscipimus protectionem,ad honorem Dei & sancti Iohannis Baptistæ: fratribus verò illic militantibus,ex innata nobis benignitate confirmantes,quicquid antedictus Auunculus noster & charissimi fratres nostri, Hainricus gloriosus Romanorum Imperator, & Conradus Illustris Sueuorum Dux,pro remedio animarum suarum Monasterio eorum contulerunt & confirmauerunt,& quæ nos ipsi vel alius quispiam eis donauit,quæuè in posterum iusto acquisitionis titulo, procurante Domino,poterunt adipisci.Possessiones verò, quas in præsentiarum obtinent, proprijs duximus exprimendas vocabulis; fundum verò,in quo ipsum Monasterium situm est, totamq; terram claustro adiacentem ab amne,qui dicitur Rotinbach,vsq; ad amnem,qui vocatur Marpach,& à fluuio Lyeo,vsq; ad fluuium,qui dicitur Hylaehe,cum vijs, semitis, pratis,agris cultis & incultis,cum aquis,aquarumuè decursibus, molendinis, piscationibus,montibus & nemoribus,cum mancipijs & colonis, & cum omnibus pertinentijs suis ex integro: Insuper prædium Dornovue, prædium Cella, prædium Schongo,prædium Hochinsurche,prædiū Germaring,prædium Inginried, Sevvm, Burenchoue, Emichinried,Franekinoue, VVathinried, Franckinried,Husen,Buren,prædium Mouthardishouen, Adilinried,Erfingen, Ternnbaehe,Vochegovve, Vrbache,Chistilingen,Vrtingen,prædium in Sibeneiche, prędium in Iglingen, decimam apud Sibeneiche,quam dedit Hermannus de Mazzinsiess,curiam VVidergeltingen,cum Ecclesia & omni iure, curiam Stadlen, curiam Bittingavv, cum pertinentijs suis,Ecclesiam Gebreine,Tullansperg,Titinhusen,curiā Horne,cum piscationibus & omnibus appendicijs eius,in montanis curiam Schardis,curiam Loning, curiam Hagnache,bona Vmiste, curiam Vmindigen, præterea nouale vnum,quod vocatur Vronrute,& prædium Langemoss,tradita à fratribus nostris, Friderico & Conrado,Sueuorum Ducibus. Indulgemus ad hæc fratribus memoratis,vt quicunq; hominum nostrorum Fiscaliniorum, siue etiam Ministerialiū offerre se & bona sua ad eos volūt,liberè facere possint,& absq; consensus nostri requisitione statuentes,& regio districtè percipientes edicto,vt nulla vnquam de inceps persona, cuiuscunq; sit conditionis, hanc nostram irritare audeat confirmationem,vel sæpe dictos fratres,in bonis suis,aliquo inquietudinis modo grauare; quod qui fecerit,centum lib: auri purissimi componat, dimidium fisco nostro, reliquum passis iniuriam. Testes huius rei sunt, VVolfgerus Batauiensis Episcopus, Berchtoldus Dux Meraniæ,Schvvigerus de Mindilb.& alij quàm plures, signum Domini Philippi secundi, Romanorum Regis inuictissimi. Ego Conradus Herbipolensis Episcopus & Imperialis aulæ Cancellarius recognoui,Acta sunt hæc añọ ab incarnatione Domini M. CC. I. Indict. V. regnante Domino Philippo secundo,Romanorum Rege glorioso, anno regni eius quatto.Datum apud Norinberg, 12. Calend: Octobris.

IN nomine sanctæ & indiuiduæ TRINITATIS. Fridericus Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus,& Rex Siciliæ, diuinæ remunerationis intuitu &c, (per omnia vt suprà) nisi mutatis mutandis, VVelphonem vocat consanguineum, & gloriosus pater noster inuictissimus Imperator Hainricus, & charissimus patruus noster Conradus,Illustris Sueuorum Dux&c. Testes huius rei sunt, Sifridus Episcopus, Chuno Elvvangen. & Fulden. Abbates, Berchtoldus de Tannenberc, Schvvigerus de Mindlberc,Engelscalcus & Harman de Heginberg, Vlricus Præpositus

positus de Möringen, & alij quàm plures &c. Signum Domini Friderici Regis Rom: inuictissimi Regis Siciliæ.

Ego Conradus Spirensis & Metensis Episcopus, & Imperialis aulæ Cancellarius recognoui. Acta sunt hæc anno ab Incarnatione Domini, 1220. Indict: vii. Regnante Domino Friderico Rom: Rege glorioso, Anno regni eius viii. Datum apud Augustam. xvi. Calend. Septembris.

Advocatia huius Monasterij ad Duces Bauariæ peruenit, post Concilium Constantiense.

Nobiles ibi sepulti de Schvvangavv,
De Hocheneck Sueui.

SVBEN

IVxta Oenum in Inferiore Bauaria Engelbertus, tertius huius nominis Dux Charinthiæ de familia Comitum Ortenbergensium vnà cum coniuge sua Vta Comitissa de Sultzpach, seu, vt alij ponunt, de Bütten, quod verisimilius puto, constituerunt, seu, vt vulgò dicitur, fundarunt Monasterium Suben, pro Canonicis Regularibus S. Augustini, quod hodie valdè exiguos ac tenues habet redditus. In quodam scripto Catalogo Episcoporum Tridentinorum, ex Iohanne Pincio: reperio ita scriptũ, Altemañus ex Comitibus Bauariæ fundator Monasterij Suben, Diœcesis Patauien. &c. Episcopus 67. Auentino plus crediderim, qui sine dubio vetera monumenta illius Monasterij vidit. *Auent: in annalibus fol. 332.*

TEGERNSEE

ALbertus & Ottogerion Illustres Boiariæ Comit. ita In Diplomate appellantur isti duo fratres, in superiori Vindelicia intra Isaram & Oenum in faucibus Alpium, prope lacum Tigurinum, contubernium Monachis fundarunt, quorum Præsul, Boiariæ Antistites omnes dignitate antecellit. Nam Cœnobium fossa, mœnibus, tormentis bellicis, & aliis huiusce modi instructũ, instar Regiæ possider, more Principum equestris ordinis officiales perpetuos habet, vt infra dicetur. Instauratur hoc Monasterium ab Vngaris exustum, per Otthonem Imperatorem secundum & Ottonem filium Luitolphi, fratris Ottonis secundi, Ducem tum Boiariæ & Sueuiæ, qui Monachis Cœnobium cum prædiis restituunt, Hartuicum præficiunt, & prophanos qui religiosorum locum occuparant, migrare iubent, Anno 979. Fuerunt isti Fundatores Comites de VVarngevv & Tegernsee, quidam suspicantur fuisse filios Grimoldi Ducis Superioris Bauariæ, ex familia primorum Ducum & Regum Bauariæ, occisi in tumultu. Diploma Heinrici sexti astipulatur, in quo hos fundatores Regali prosapia ortos dicitur his fratribus has ditiones inter Isaram & Oenum Alpibus subditas, scilicet VVarngevv & Tegernsee, à Carolo Marcello fuisse traditas, autor est Auent: lib: tertio Annalium fol. 286. Diploma Ottonis secundi, cuius exemplum infra in fine ponitur, habet, hos duos germanos fratres & Illustres Comites in suo & de suo patrimonio temporibus Pipini Regis Francorum ipsius permissu, condidisse hoc Monasterium, vnde præsumitur, hos de antiqua nobilitate Bauariæ fuisse, qui vnà cum fratre Vttone etiam alias ditiones in Bauaria & in Austria tenuerunt. Vto enim ad Ilmum fluuium Monast: Illmünster instituit, quo ossa S. Arsatij transtulit. Ioan: Auent: fol. 291. Superiores duo fratres infra Anassum instituerũt Monast: S. Hypoliti, vulgò Sant Pölten. De *Auent: in annalibus fol. 303.*

fundatione huius Monasterij extant quædam in libro quodam scripto Monasteriorũ Bauariæ, & Indice Abbatũ huius Monasterij de filio Ottocari in Gallia, à filio Regis Pipini in ludo Schachorum occiso, quæ tanquam fabulosa Auent: in Chronica omisit. Ego de hac re nihil certiùs puto inueniri, quàm quòd in priuilegiis tum Ottonis secundi, tum Heinrici sexti & Friderici secundi Imperatorum continetur, quorum exemplum sequitur circa finem.

IMPERATOR quoq; Hainricus sanctus huic Monasterio bona quædam ac prædia in Austria dedit, Item Cortem VVarngevv dictam, quam Piligrinus Comes hactenus in beneficium tenuerat, quæ etiam ad idem Monast: antea dotaliter pertinebant pro remedio animæ suæ & Chünegundis conthoralis, necnon parentum nostrorum Ottonis scilicet senioris nostri tertij Imperatoris Augusti ac aliorum. Ita sonant verba Diplomatis, quod datum est Anno 1009. Imperator Fridericus primus plura priuilegia huic Monasterio dedit, præcipuè quod ad Aduocatos & eorum iniustas exactiones pertinet, Anno 1157. 1163. Testes inter alios Hainricus Comes de VVolfratshusen, Degenhardus de Seeueld, Hainricus de Stauf, Lazarus Goliermus, Egilolphus, Heinricus, Pertoldus de VVolfratshusen, Rupertus de Rickerspirn, Albertus de Porta.

POST mortem Betchtoldi Ducis Meraniæ Aduocati huius Monasterij, Abbas & Conuentus secundum priuilegia sua, volentes alium habere Aduocatum, elegerunt Fridericum secundum Imperatorem, qui etiam in suam protectionem eos suscepit, Anno 1230.

DEDERE quoq; priuilegia Duces Austriæ, Leopoldus Dux Austriæ, in quo priuilegio citatur inter alios testes, Hainricus de Hagenavv Ministerialis, puto Austriacum fuisse, Anno 1204. Item priuilegium dedit Ottokarius, Dux Austriæ & Stiriæ, Marchio Morauiæ. Testes Comes Hainricus de Ortenberch, Hainricus de Schaunberg, Gebhardus de Tolnz Liberi. Item Hainricus de Hag. Actum Krembsmünster, Anno 1252.

ITEM, Ludouicus quartus Imperator dedit huic Monasterio priuilegium super iurisdictione in angulo, vulgo Jm Winckhl, in quo Abbatem Marquardum vocat, Den Erbarn Fürsten/ Anno 1321.

HABVIT hoc Monasterium ab antiquis temporibus, quemadmodum cæteri tam Ecclesiastici, quàm seculares Principes Imperij, suos Nobiles & perpetuos officiales, Marschalcum, Camerarium, Magistrum Coquinæ & Pincernam. Marschalci officium vnà cum pertinentibus prædiis & redditibus, olim VVicknando de Iringspurg, Ottoni filio & successoribus masculis, Anno 1286. fuit concessum, quibus defunctis, successêre in officio Nobiles de Thor, sicut in castro Iringspurg.

CAMERARII fuêre olim Nobiles de VVarngevv, Hainricus Cameratius de VVarngevv, Anno 1273. Testantur literæ illius Monasterij, quod officium hodiè obtinent Nobiles de Pienzenavv.

ARCHIMAGIRI officium, quod alias Truchsässen Ampt dicitur, tenebant aliquando Nobiles de Hochenrain, postea Nobiles dicti Turndl, sed ex gratia tantùm & precariò, Gregorius Turndl Matthias, Turndl, Anno 1500. Hodiè nobiles de Höchenkirchen. Itidem non iure hæreditario sed precariò.

Pincernæ seu Pocillatoris officium olim habebant Nobiles, dicti de Elıng. Leonhardo vltimo illius familiæ defuncto, Iohannes Sunderndorffer à Mauro Abbate hoc officium impetrauit, Anno 1515. Pariter precariò tantùm, non iure hæreditario. Hinc Abbates isti à Romanis Imperatoribus & Regibus sæpè Principes appellati sunt, quorum series seu Catalogus sequitur.

ADAL-

ADALBERTVS, fundator cum fratre Ottokario primus Abbas, Anno 719. cl. fratrum Pater. I.

BACHO	Isti quatuor gubernârunt Monasterium annis. 169. laudabiliter, vsq; ad tempora Heinrici primi sub Annum 920. Aliud nihil de his in Fastis seu Annalibus Monasterij. Sed inter istos ponit Auentinus Meginhardum circa annum 795. fol: 338.
ISKERVS	
MEGILO	

II. III. IIII.

HARTVVICVS Abbas S. Maximi Treuiris, per Ottonem secundum Imp. intercessione Ottonis, Ducis Bauariæ, imponitur Monasterio Tegernseensi post despoliationem & exustionem Ducis Arnolphi. Poppo Comes Aduocatus adduxit eum Anno 978. exinde Abbates fuerunt sub tutela Imperij. Hartuicus benedicitur ab Abrahamo, Episcopo Frisingensi, & restituitur Regularis Obseruantia, Anno 979. Obijt Anno 982. V. Auent: fol. 507.

GOSPERTVS postulatus ex Monasterio S. Haimerani, genere nobilis, Hartuici Successor, benè & laudabiliter præfuit, Annis 20. Obijt anno 1001. Sepultus circa Altare SS. Martyrum Ioannis & Pauli. VI.

GOTHARDVS Altachensis, & Hersfeldensis Abbas, ab Hainrico Sancto Imper. inuitis fratribus institutus Abbas, Anno 1001. Vt reformaret locum insolentia Monachorum penè collapsum, Monachis verò eam translationem contra statuta esse vociferantibus, Gotschalco quoq; Frisingense Episcopo, Gothardum, quod alienæ incubaret prouinciæ carpente, Gothardus ad Henricum redit, peruicaciam Monachorum incusat, Hainricus Tigurinos petit, Eberhardum vel ingratis imponit. Auent: fol. 507. Reliquit Gothardus Abbatiam, post annum & duos menses. VII.

EBERHARDVS primus Sueuus, per Heinricum Imperatorem & Bauariæ Ducem inuitis fratribus præfectus, Anno 1002. Reliquit Abbatiam propter Monachorum insolentiam post duos annos. Obiit Anno 1003. 4. Nonas Martij, iuxta Chronicon Monasterij. Sub hoc Abbate S. Hainricus cū S. Künegunda coniuge, interuentu S. Gothardi, dederunt Monasterio duos regales mansus in Leubn in Austria, qui etiam plura alia dedit sub Abbate Peringerio. VIII.

PERINGERIVS concorditer electus, Anno. 1003. benè ac piè rexit nouem annis, Obijt Anno 1012. IX.

BVRCKHARDVS Hersfeldensis Monachus, à B. Gothardo Abbate suo huc missus, Anno 1013. fuit bonus Pastor, Præfuit quatuor annis, Obiit anno 1017. 3. Calend: Nouembris. X.

ELLINGERVS ex Conuentu electus, Anno 1019. Huic Hainricus Sanctus quinq; regales Mansus inter duos flunios Piestnichen & Triestnichen sitos, dono dedit, Anno 1020. Monasterio postea sunt intercepti; depositus est tamen Anno, 1026. sub Conrado Franco, Imperatore. Sub eo Ecclesia in Strenberg, in Austria, facta est Parochialis, exempta ab omni subiectione vicinarum Ecclesiarum, dedicata à Benone Episcopo Pataujensi, Concedens omnes decimas illius Parochiæ, pro quo quinq; Mansus in Sciphausen accepit. Confirmat Conradus Imperator, vnà cum filio Heinrico, Anno 1034. Rediitad Abbatiam post obitū Albini Hersfeldensis Monachi, Anno 1031. Sub eodem Ellingero, Anno, 1035. Monasterium igne perijt, & sequenti anno à furibus spoliatur, Ellingerus tam de incendio, quā de rapina à fratribus falsò accusatus, per Heinricum, Imperat. secunda vice deponitur, Anno, 1041. & suspenditur ab officio per Episcopum Frisingensem, mittiturq; ad agendam pœnitentiam in Monasterium Altahense, ibi per tria Lustra in scribendis XI.

bendis libris egregiam operam nauauit. Tandem defuncto Hainrico Imperatore, ad Tegernsee reuertitur, sub Abbate Seifrido, anno 1056. Eodem anno ibidem moritur: Sepelitur primò in Capitolio, deinde Anno 1236. Sub Abbate Heinrico translatus est in Ecclesiam, & sepultus in abside Versus aquilonem, vbi hodiè est memoria S. Viti & omnium Martyrum, cum hoc Epitaphio ornatur:

Abba Ellingere hîc Clerum populumq; tuêre.

XII. ALBINVS Hersfeldensis Monachus, deposito Ellingero succesit, Anno 1026. Obiit, 1031.

XIII. ALTANVS, Abbas Ebersperge nsis deposito secunda vice Ellingero, curam Monasterij gessit, per VI. Hebdomadas.

XIIII. VLRICVS Abbas S. Emerani fit Abbas Tegernseensis, per Henricum Regem; Anno 1041.

XV. HERRANDVS ex Conuentu electus, Anno 1042. Vir doctus, sedit quatuor annis, depositus à Rege Hainrico, Obijt Anno 1046. III. Nonas Maij.

XVI. ECKBERTVS Hersfeldensis Monachus, post Herrandum præfuit, seu intertruditur. Homo ferox & ambitiosus, ad altiora semper aspirans, Fuldensibus Monachis Abbas constituitur, Anno 1048. quo eodem ibi moritur.

XVII. SEIFRIDVS, Hersfeldensis Monachus, per Hainricum Imperatorem tertium fit Abbas, Anno 1048. Sub quo Abbate Anno 1053. Corpora SS. Martyrum Chrysogoni & Castorij à quodam fratre à Verona, ex Monasterio S. Mariæ ad organa, ad hoc Monasterium translata sunt, sicut & eodem tempore corpus S. Anastasiæ Virginis & Martyris ad Benedict: Buren: Monasterium. Anno 1054 Bibliotheca elegāter scripto auro & argento ornata, Imperatori Hainrico tertio data est, pro qua restituit Monasterio prædia in Vnholzing & Hettenpach, per Arnoldum Ducem quondam ablata, nihil ab eo præclarè gestum legitur, nisi quod necessariis ædificiis Monasterium instaurauerit, Obiit anno 1068. Anno 20. Sui regiminis, sepelitur in ambitu, cum tali Epitaphio:

Hæc præsens fossa multorum contegit ossa,
Abbatemq; pium claudit lapis iste Sefridum.

XVIII. BERNHARDVS secundus Abbas S. Emerani natione Sueuus, per Hainricum quartum fit Abbas Tegernseensis, genere & virtute Nobilis fuit, laudabiliterq; & piè gubernauit, multa ædificia reparauit, aliqua de nouo extruxit, Claustrum muro cinxit, Ecclesiam in Gmunden construxit, obijt Anno 1091. Idib. Maij, humatus est in medio Ecclesiæ.

XIX. VDALSCALCVS, frater Comitis Sibothonis, de Neuburg & Grueb Aduocati Monasterij, electus per Heinricum quartum ex Conuentu. Construxit ex bonis Monasterij Dithrāszellen. Monasterium: iuxta confirmationem Innocen tij tertij, Obiit anno 1102. Idibus Nouembris.

XX. ARBO, Obijt 12. Calend. Ianuarij, construxit Ecclesiam in Egern, & priuilegium decimarum noualium in Ecclesiis Monast: impetrauit, Anno Domini. 1112.

XXI. CONRADVS, impetrauit priuilegiorum confirmationem, ab Eugenio tertio, qui Monasterium sub protectionem sedis Apostolicæ recepit, Anno 1150.

XXII. RVPERTVS, Comes de Niuenburg, canonicè electus, cum voluntate Heinrici, Comitis de VVolfratshausen Aduocati, per Fridericum primum Imperatorem de Sceptro inuestitus, Obiit Anno 1186. Calend. Iunij. Huius tempore Alexander tertius Pontifex confirmat priuilegia, Anno 1178. Item Vrbanus. III. Anno 1186. confirmat vsum Mitræ & annuli ab Alexandro antea concessum.

CONRA-

CONRADVS hic impetrauit ab Ottone secundo, Episcopo Frisingense, vt Ecclesiæ in Tegernsee & Egern fierent parochiales: Nam antea Ecclesia in Gmunden sola erat Parochialis totius anguli Tigurini. Obijt. 17. Calend. Ianuarij. XXIII.

MANEGOLDVS. Abbas in Krembsmünster, natione Sueuus, Anno 1206. fit Episcopus Patauiensis. Ibi 5. Idus Iunij obijt. Fuit hic filius Diepoldi Com: Bergen. & Gisalæ, Comitissæ Andecen. vide Patauienses Episcopos. XXIIII.

PERCHTOLDVS primus. Sub hoc Abbate Tegernsee, Dietramscell & alia vicina Cœnobia, per Ludouicum Ducem Bauariæ, & Ottonem Comitem de Phallai, in bello, quod contra Hainricum Marchionem Histriæ, tunc Aduocatum Monasterij, gesserunt, miserè desolata & vastata sunt. Deinde Anno 1211. ob dissidium Manegoldi Episcopi Patauiensis & cuiusdã Rapetonis, Com. Palatini Bauariæ, de familia Co. Ortenbergens. huic Monasterio, cum quibusdã alijs, graue damnum illatum, posteà Anno 1214. tertia vice igne exustum est. Obijt 18. Calend. Martij, Anno, vt videtur, 1217. XXV.

HEINRICVS, fidelis dispensator Ministeriorum Dei. Huic Otto secundus, Episcopus Frisingensis, omne ius, quod in Ecclesia Saxenkam habebat, resignauit, impetrauit confirmationem priuilegiorum ab Honorio tertio Pontifice, & Friderico secundo Imperatore, renunciauit Abbatiæ, Anno 1242. & ingreditur Monasterium Salmensvveilern ordinis Cisterciensis. XXVI.

PERCHTOLDVS secundus à fratribus & quibusdam Laicis Abbas creatur, à Metropolitano Salisburgen. Eberhardo, & à Rege Conrado confirmatur, reclamante fortiter Conrado, Episcopo Frisingense, fuit crudelis in fratres, prodigus bonorum vtensilium Monasterij; tandem exautoratus & excommunicatus ab Adriano Pontifice. Obijt 13. Calend. Septemb. XXVII.

VDALRICVS secundus de Parterhausen Abbas postulatur, Anno 1248. fuit optimus Præsul, restaurator Monasterij. Impetrauit priuilegium à Friderico Duce Austriæ, scilicet exemptionem teloneorum in Austria, Anno 1251. XXVIII.

RVDOLPHVS obijt 6. Calend. Iunij, vt videtur, Anno 1266. XXIX.

HAINRICVS secũdus. Sub hoc Abbate Ludouicus, Dux Bauariæ, Monasterio dedit molendinum in Gruob, vt anniuersarius habeatur, pro Ottone Comite de Phalai, Anno 1269. Anno 1273. fundata est Missa quotidiana ad omnes Sanctos, per Vdalricum Velschlos, Equitem auratum: Quo anno idem Abbas mortem obijt, 9. Calend. Octobris. XXX.

LVDOVICVS Comes in Graispach, primò VVeichenstephensis & Schyrensis, pòst Tegernseensis Abbas, per Conradũ Episcopum Frisingensem, Ludouicum & Ottonem, Duces Bauariæ, institutus; sub hoc Ecclesia in Gemundt incorporata est Monasterio, consensu Conradi Episcopi Frisingensis, emit domũ Frisingæ: Item Monachij am Anger, quæ adhuc hodie ad Monasterium pertinet: exoluit multa debita: sub hoc Abbate VVicknandus de Irinspurg, Aduocat⁹ Monasterij, renũciauit iuribus & redditibus Aduocatiæ ibi, fũdata ibi Missa perpetua, pro qua etiã alia bõa dedit; Añ o 1286. Quo año officiũ Mareschalci ipsi & filio eius Ottoni, vnà cum certis bonis & redditibus ad illud officiũ pertinentib⁹, ab Abbate concessum est. Rexit laudabiliter, primus Claustrũ muro cinxit. Obijt Anno 1286. quinto idus Februarij. XXXI.

HAINRICVS tertius. Hic cum consensu Conuentus concessit in feudum VVicknando de Yrinspurg, castrũ Eberzhausen, iuxta locum ibi situm, cum quibusdam prædijs. Eodem anno VVicknandus fundauit Missam Spiritus sancti. Obijt Anno 1287. 5. Idus Aprilis.

MARQVARDVS, Comes de Vetingen, Auunculus D. Emichonis, Episcopi Frisingensis: Iste malè præfuit. Itaq; Anno 1297. Emicho Episcopus Frisingensis regimen Monasterij per quadriennium cuidam ex fratribus, Vdalrico Perchtinger, XXXII.

comendauit. Eodem tempore Ecclesia in VVarngevv Monasterio est incorporata. Hoc tepmore Hainricus Bohemiæ & Poloniæ Rex, Dux Carinthiæ, Comes Tyrolis dedit Monasterio priuilegium exemptionis Teloneipro XII. Plaustris vini Athesini, pro Anniuersario suo. Item aliud priuilegium dedit Monasterio Ludouicus Imperator, super Iurisdictione in angul Anno 1321. Obiit iste Abbas, Anno 1323. IX. Calend. Maij. Iste Marquardus emit Castrum in Heberzhausen, quod VVicknandus de Irinspurg emerat & ædificauerat cum prædiis & pertinentiis, ab Ottone filio VVicknandi, quod postea solotenus destructum est.

XXXIIII. HAINRICVS quartus, dictus Rainer, benè gubernauit, reparauit multa ædificia, resignauit Abbatiam amore quietis, Anno 1339. Obiit Anno. 1345.

XXXV. SIBRANDVS vel Sigibrandus Geltinger, intrusus per Duces Bauariæ Anno 1339. fratres elegerant Conradum Kazpeck, cuius frater Otto ipsum Sigibrandum interemit, inter Rosenhaim & Aibling, auff dem grab weg.

XXXVI CAROLVS Hauzendorfer, Abbas Monasteriensis Ratisponensis Diœcesis, per fratres postulatus, Anno 1347. Obiit 1349. VI. Nonas Octobris.

XXXVII. CONRADVS tertius Kazpeck ante Carolum electus vt supra, Obiit anno 1362. VII. Calend. Iunij; Hic à Principibus mediam partem Iuris Aduocatiæ redemit.

XXXVIII. CONRADVS quartus Eglinger, Obiit anno 1372. III. Calendas Aprilis.

XXXIX. GEBHARDVS Taufkircher, fit Abbas Año 1375. Obiit. 1393. III. Id[9] Martij. III.

XXXX. OSVVALDVS de Thor. Iste impetrauit confirmationem priuilegiorum tam à Ducibus Bauariæ quàm Austriæ: Item nouum priuilegium ab Ernesto & VVilhelmo Ducibus Bauariæ, quòd ciues Tolnzenses nullũ ex inquilinis Tegernseensibus sine consensu Abbatis reciperent, Obiit Anno 1418. VII. Calend. Maij.

XXXXI. GEOGIVS Turndl. Sub hoc Monasterium graue æs alienum contraxit, propter bella inter Duces Bauariæ, Obiit Anno 1423. 16. Calend. Februarij.

XXXXII. HILTEPRADVS Castner, Sub huius regimine Anno secundo anterior pars Chori inter cœnandum corruit, Altare S. Chrysogoni vnà cum arca, in qua Sacrum ipsius corpus asseruabatur comminuit saluis tamen Reliquiis. Huic Abbati Fridericus Archidux Austriæ Imperator priuilegium dedit, vina Athesina liberè vehendi, pro quo diem anniuersarium instituit, confirmatum postea per Sigismundum Archiducem Austriæ Anno 1449. resignauit dignitatem Anno 1426. Obiit Anno 1446. Nonis Iunij.

XLIII. CASPARVS Aindorffer Nobilis, sicuti & cæteri Monachi omnes. hoc tempore, quod sub hoc Abbate cessauit, autoritate VVilhelmi Ducis Bauariæ, post Cõcilium Constantiense per Visitatores ordinarios, p Scrutiniũ eligitur Iuuenis annorum. 24. ob egregia merita alter fundator dictus, Monasterij instaurator, reformator, locupletator, qui totum Monasterium ferè ex nouo construxit. Sub hoc inuenta est vena Petrolei, quod S. Quirini vocatur; rexit annis 34. Obiit. 1461. 17. Ianuarij, ætatis 58.

XLIIII. CONRADVS quintus Ayrnschmalz de VVeilhaim electus canonicè mitis & bonus Oeconomus, emit 450. libros, 1100 lib. denariorum Monaceñ. construxitq; nouam Bibliothecam, Ecclesiam de nouo ædificauit, picturis & altaribus exornauit, ædificauit granarium. Item cellam vinariam. Item fossam cum muris & propugnaculis ad refugium subditorum. Item ante obitum construxit nouam Basilicam, ad S. Leonhardum in angulo. Item pontem lapideum super fluuium Mangfald. Rexit Annis 31. Obiit Anno 1492. VIIII. Calend. Februarij, ætatis 66.

QVIRI-

QVIRINVS primus Reglerde VVinschaim Franeus, eligitur canonicè Anno 1492. VII. Idus Februarij, anno ætatis 33. æmulorum iniuria adactus resignauit officium, Anno. 1500. concessit in Monasterium Mansee, ibi obiit. 1510. VIII Idus Iulij. XLV.

HAINRICVS dictus Khuntzner de Kuofstain, fit Abbas Anno ætatis 32. plus prouidus & bonus Oeconomus, deponit Abbatiam ob debilitatem Anno. 1512. quam post Abbatis Mauri resignationem iterum assumpsit, qua denuò seabdicat, Anno. 1543. 17. Obiit Aeno 1544. 17. Calend. Ianuarij. XLVI.

MAVRVS Leyer, ex seculari Sacerdote fit Monachus, & Hainrico resignāti succedit, sed cum esset ætate & annis grauis, resignauit officium anno. 1528. Iste multa ædificauit, aquæductum de montibus ad dormitorium mira industria transuexit, Obiit anno. 1534. XLVII.

AVGVSTINVS Sturzenprugl de Schvvaz diligenter & fideliter rexit annis 13. obiit. 1556. VI. Idus Octobris. XLVIII.

BALTHASAR Erlacher de Königstorf, eligitur ætatis suæ Anno 32. Obiit. 1568. Hic magnis impensis pro pauperibus scholam instituit, & plures eorum aluit. XLIX.

QVIRINVS Rest de Schvvaz electus Anno. 1568. regit adhuc Anno. 1580. L.

PRIVILEGIVM TEGERNSEEN:

MONASTERII PER OTTONEM

Secundum Imperatem, de Anno. 979.

IN nomine Sanctæ & Indiuiduæ TRINITATIS Otto diuina fauente Clemētia Imperator Augustus: Quia Regum vel Imperatorum pia consuetudo semper fuerat, Ecclesias DEI, ob æternæ retributionis præmium suis condonationibus exaltare vel renouare; Ideircò & nos prædecessorum nostrorum religiosam deuotionem sectari studentes, propter salutis æternæ mercedem, & statum Regni ac Imperij nostri Ecclesias & sumptus DEO militantium libenter præaugmentare cogitamus. Vnde & notum esse volumus vniuersitati fidelium nostrorū tam præsentium quàm futurorum, qualiter charissimus frater noster Otto Allemannorum & Bauarorum Dux, Serenitatis nostræ intulit auribus, esse quoddam in Bauaria sui Ducatus Prouincia, Cœnobium Tegarinsee dictum, quod duo Germani fratres & Illustres Comites, in suo & de suo patrimonio temporibus Pipini Regis Frāneorum, ipsius permissu condiderunt, & regio mundiburdio commēdauerunt, & à S. Papa Zacharia, ipsi Germani fratres Adalbertus & Otgarius, quos supra delibauimus, corpore beati Quirini Martyris impetrato, venerabile reddiderunt, vbi omni patrimonio suo cōtradito, ipsi coma capitis deposita, Monachico habitu suscepto, vnus de duobus frātribus Adalbertus nomine, in eodem loco centum quinquaginta Monachorum primordialis extitit Abbas. Hæc nempè principalis & regia extitit Abbatia, & religiosis Abbatibus quàm pluribus insignis, priuilegiis antecessorum Regum Pipini videlicet & Caroli Magni, Lodouici, Carolomanni roborata & ab omnium districtione personarum immunis, donec Laicorum tradita Dominio, Claustrum & officinas Monachorum cum vxoribus habitare cœperunt & sordebant canibus claustra sacrata domus, ex quo Monachis stipendiis suis ereptis, tota ibi religiosa deperiit vita & spurcicia atq; nefariis rebus inualescentibus, mox cœlesti vindicta Monasterium & omnia eius ædificia, cum libris & Ecclesiastico cultu igni concremantur.

Nos ergo Imperiali miseratione huic loco hactenus prolapso succurrere volentes, per interuentum dilectissimi Nepotis ac fratris nostri Ottonis Ducis, supradictorum Regum & Imperatorum autoritatem sequentes, ipsi Cœnobio, Tegarinseo dicto, in pago Sundergoe, & in Comitatu Luitpoldi Comitis sito, & in honore Apostolorum, Petri & Pauli, atq; Quirini Martyris dedicato, secundùm regularem vitam, Hartuicum nomine præfecimus Abbatem; quem etiam cum loco illi à nobis commisso in Mundeburdium nostræ defensionis suscipientes, sibi & omnibus huic loco succedentibus Abbatibus, sub regia & imperatoria tuitione manere, ac nostra autoritate concessimus; ita vt ipse præfatus Abbas, suiq; Successores, sub regia & imperiali defensione, rectitudinem illius Monasterij deinceps habeant, omnesq; res ad prædictum Monasterium iure modò aspicientes, vel quas Deus illuc in futuris amplificare voluerit, in pratis & alpinis, pascuis, syluis, aquis, aquarumuè decursibus, piscationibus, molendinis, vijs ac inuijs, cum decimatione totius Abbatiæ, & præsenti ac futura syluarum extirpatione, sub Abbatis eiusdem loci potestate, absq; ullius personæ contradictione, perenniter subsistant. Insuper etiam Monachis præsentibus ac futuris inter se eligendi Abbatem, nostræ Maiestatis Imperio, potestatem concessimus, & vbicunq; eorum naues, siue carri, vel sammarij aduenerint, absq; telonei exactione pertranseant. Et, vt hæc nostræ concessionis autoritas firma in futuris temporibus & inconuulsa permaneat, hoc nostræ Maiest. præceptum inde conscribi & manu propria subtùs notatum, sigilli nostri impressione iussimus insigniri.

Signvm Domini Ottonis, inuictissimi Imperatoris Augusti.

HILDIPOLDVS, Episcopus & Cancellarius ad vicem VVilligisi Archicapellani recognoui. Data quarto Idus Iunij, Anno Dominicæ incarnationis 979 indictione. 6. anno verò regni secundi Ottonis xIIII. Imperij autem II. Actum Bruomadæ fœliciter, Amen.

PRIVILEGIVM TEGERNSEENSIS MONASTERII, PER HAINRICVM SEXTVM & Fridericum secundum Rom: Imperat: datum.

IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Fridericus secundus diuina fauente clementia Rom: Imperat: semper Augustus, Ierusalem & Siciliæ Rex &c. Si ad Ecclesias & loca venerabilia benignè dirigimus aciem mentis nostræ, ac eorum profectibus intendimus diligenter, nedum æternæ retributionis merita, sed & laudis præconium consequimur temporalis. Inde est igitur, quod notum volumus vniuersis Imperij fidelibus, tam præsentibus quàm futuris, quod cùm Hainricus venerabilis Abbas Monasterij Tegernseen. dilectus Princeps & fidelis noster, ad nostræ Maiestatis præsentiam accessisset, quoddam priuilegium eidem Monasterio suo, à Diuo Augusto Imperatore Hainrico, charissimo patre nostro, inclytæ recordationis indultum nostræ celsitudini præsentauit, & humiliter supplicauit, vt priuilegium ipsum innouari, & quæ continebantur in eo, ipsi & Successoribus suis, ac Monasterio supradicto confirmare de nostra gratia dignaremur. Cuius priuilegij tenor talis est:

HAIN-

HAINRICVS sextus diuina fauente clementia Rom. Imper. & semper Augustus. Bonam & religiosam consuetudinem antiquorum Regum seu Imperatorum imitãtes, honestis personis atq; venerabilibus locis Maiestatis nostræ defensionem impendere ac præsidium debemus, quatenus & Imperij nostri sublimitas exinde clarius eniteat, & diuina gratia largius nobis salutis & auxilij suffragium impendat. Nos siquidem ex relatione Illustrium virorum & ex priuilegijs antecessorum nostrorum liquidò compertum habemus, quòd duo Comites Otkarius & Albertus Regali prosapia exorti, in pago Bauariæ, qui Sundergav dicitur, quoddam Monasterium Tegernsee nomine, magnis atq; copiosis expensis laudabiliter condiderunt, diuitiis & magna gloria sublimatum magnorum Regum Pipini, Caroli, Ludouici, Carolomanni conniuentia & arbitrio principalem atq; regalem Abbatiam instituerunt, ibiq; trium Martyrum corpora Quirini, Chrysogoni, Castorij, venerabiliter collocauerunt. Cumque eadem Ecclesia à primo fundationis tempore, in Monachalis Ordinis disciplina per dies multos plurimum profecisset, ab Arnoldo Duce Noricorum, affectante Rom. Imperium & discordante cum Rege Heinrico, primò redditibus despoliatã, & penè vniuersa, quibus ditata & dotata fuerat per beneficiũ transierunt in vsus Laicorum in hac discordia sibi famulantium. His malis imminẽtib⁹ & temporalibus stipendijs deficiẽtibus, defecit vtiq; diuini seruitij cultus & dispersis personis, quæ ad militandum DEO ibidem collectæ erãt, Laici Claustrum & officinas Monachorum cum vxoribus inhabitare cœperunt, quorum porcis & canibus sacrata loca sordebant. Et cum multæ nefariæ res inualescerent, Monasterium & omnia eius ædificia, cum libris & Ecclesiastico cultu, cœlesti vindicta igne concremantur, processu temporis Otto secundus interuẽtu Nepotis sui Ottonis Ducis Bauariæ & Sueuorum, aliorumq; Illustrium virorum, Imperiali miseratione intendens prolapso Monasterio succurrere, & quendam Hartuicum nomine præfecit Abbatem, quem etiam cum loco illi commisso in Mundiburdium suæ defensionis suscipiens, sibi & omnibus huic Monasterio succedentibus Abbatibus, sub Regia & Imperatoria tuitione subsistere, sua authoritate cõcesit. Et vt ipse Abbas præfatus, suiq; successores sub Regia & Imperiali defensione regimen ipsi us Ecclesiæ de cætero possideant, nihilominus indulsit, cuncta quoq; ad præfatum Cœnobium pertinentia, vel quæ in futuro munificentia Regum & Imperatorum, largitione Pontificum, oblatione fidelium adipisci poterit, tam quæsitis quam inquisitis, in pratis & in alpinis, pascuis, syluis, aquis, aquarùmue decursibus, venationibus, piscationibus, molendinis, viis & inuiis, cum decimatione totius Abbatiæ, & præsenti ac futura Syluarum extirpatione sub Abbatis eiusdem loci potestate, absq; omnium personarum contradictione perenniter esse constituit; Insuper etiã Monachis tam præsentibus quàm futuris, liberam potestatem & facultatem eligendi Abbatem de Maiestatis suę imperio concesit, & vbicunq; eorum naues siue Carri vel Sammarij aduenerint, absq; Telonei transeant exactione. Nos igitur intuitu diuinæ gratiæ prædictorum Imperatorum, nec non dilectissimi Patris nostri, fœlicis memoriæ, Friderici Imperatoris vestigia sequentes, cuncta quę illi statuerunt, & nos eadem authoritate approbamus, Ecclesias quoque & Basilicas in suis dotibus erectas, singulariter exprimentes, cellam beati Martini, quæ Diethramicella dicitur, quam de præfato Cœnobio fundatam & dotatam esse cognouimus Ecclesias Gemunden, Egetden, VVäkirchen, Ritchersplürn, VVarngevv, VValde, Holtzkirchẽ, Busenchaim, Sachsenkãm, Piburgh, Hadelaching, Harde, Isenpach, Kempnatẽn, Münnchẽ, Cronav, Phrũpach, Vatersteten, VValchstat, Serchingen, Vnholtzingẽ, Celle, Streneberck, & Basilicas in Achelciten, in Finsingen ad S. Leonhardum, cum fundis & prædijs adiacentibus & plebe. Confirmamus etiam huic Monasterio authoritate nostra hæc prædia in Leuben, in VVachavv, in Cresenpach, in Piburch, in Isenpach, in Ostermünnchen, in VVarngevv, in Otolsingen, in Hechingen, in Finsingen, Vnholdtzingen, in Hetnapach.

PRAETE-

Praeterea quæcunq; generantur in humo, vel quæ latent sub terra, siue sint venæ salis vel ferri, vel argenti vel auri, vel cuiuslibet metalli, eidem loco concedimus & corroboramus. Et quia redditus, de quibus Imperio seruire tenebantur, sunt per Arnoldum Ducem ablati, neq; nobis, neq; alicui Successorum nostrorum Regum & Imperatorum, aliquod seruitium ab eodem Cœnobio conferri sancimus, vt hi qui omnipotenti Deo militaturi ibidem collecti fuerint, abundantiori studio valeant Deo seruire &c. Nouerit ergò vniuersitas fidelium, quòd iam prædictum locum, sic in nostram & omnium successorum nostrorum Regum & Imperatorum protectionem suscepimus, vt sit Regalis Abbatia in perpetuum omnimoda libertate sublimata, & ab omni subiectionis obligatione libera, vt nullus Episcoporum vel Archiepiscoporum, vel Ducum, vel Marchionum, vel Comitum, vel aliqua omninò persona, præsumat hanc molestare, vel à iuris sui statu dimouere. Si Dux Bauariæ Dei compunctus amore, vel Abbatis & fratrum placatus obsequio aliquos redditus, de antiquitus ablatis redditibus Monasterio restituere voluerit, nostro permissu & beneuolentia fieri concedimus & stabilimus, vt Dux illi in Ducatu succedens, vel aliquis successorum suorum, ea quæ per nos statuta sunt, nullatenus possit refringere. Compertum etiam habemus, decorem atq; reuerentiam eiusdem Monasterij ex Aduocatorum importunitate & praua consuetudine valdè imminutam esse, & antiquam pulchritudinem antecessorum nostrorum diligentia, decenter exornatam, in eadem domo penè deletam audiuimus. Nos autem antiquorum Regum & Imperatorum institutionibus honorem deferētes, & iustis precibus dilecti consanguinei nostri, Manegoldi eiusdem Monasterij Abbatis facilem aditum indulgentes, quæcunq; in eadem domo, vitiosa consuetudo aut iniqua exactio, ex Aduocatorum violentia, vel cæterorum hominum negligentia emersisse videtur, ex consensu Berchtoldi Ducis Meraniæ, qui nunc in præsentiarum Aduocatus est, iudicio atq; sententia Principum penitus reprobauimus, specialiter panium & cæterarum rerum, quæ in Epiphania Aduocato fiebant, de cætero exigi & offerri prohibuimus. Statuimus quoq; vt Abbas absq; omni respectu Aduocati Castaldiones, officiales, Villicos, Mansionarios in locis necessarijs prouideat atq; disponat, vectores ad vinum deportandum, sicut voluerit, exhibeat, Officiales Abbatis, coci, pistores & reliqui quicunq; in emunitate Monasterij Abbati & fratribus ministrare consueuerint, si rixati fuerint, coram Aduocato non cogantur inde rationem reddere, si vulneribus se inuicem læserint & legitimis quærimonijs euocati fuerint, Aduocatus emēdationem atq; vindictam, absq; odio & saluo honore Abbatis imponat. Sculteros & precones de cætero nullos instituat, ad quod officium Abbas viros aptos, quos voluerit prouideat; ab his autem quos Castaldiones & dispensatores Abbas instituerit, Aduocatus nihil contra voluntatem Abbatis exigat. Porró exactiones frumenti siue aliarum rerum, quas Aduocatus singulis annis à Clericis eiusdem Monasterij, à Villicis & Mansionariis facere consueuerat, de cætero fieri nostra authoritate inhibuimus. Ad hæc mandādo præcipimus, vt nullus de cætero Aduocatus Ministerialibus eiusdem Monasterij violentiam aut iniuriam studeat inferre, quod si attentare præsumpserit, nostram Maiestatem is qui læsus est, appellare non differat. Si quis Ministerialium, extra sui Monasterij Collegium, matrimoniū contraxerit, omne patrimonium cum feudo ab eadem Ecclesia conquisito liberè, & sine omni contradictione Monasterio succedat, nullo malo ad alienandum præueniente ingenio. Nullus etiam ibi Aduocatus hæreditario iure existat, sed Abbas cum fratrum & Collegij consilio, iustum & idoneum defensorem licenter eligat, qui postquam de iure & rebus Ecclesiæ cōseruandis, per Sacramentum certitudinem fecerit, Bannum à Rege vel ab Imperatore suscipiat, quòd si postmodum Sacramenti oblitus fuerit, & iura Ecclesiæ violauerit.

lauerit,& tam ipsos Monachos quàm eorum homines & possessiones, hospitationibus & indebitis placitis & exactionibus vexauerit, Abbas regia suffultus authoritate hanc plenam potestatem subrogandi sibi meliorem Aduocatum & vtiliorem habebat, de legitimis & annalibus ipsorum Aduocatorum placitis, sic Principum sententia decreuimus, sicut coram Imperatore Heinrico quarto diffinitum habemus

Statutum habemus, vt ad placitum cuiuslibet Aduocati, semel in anno, quãdo præceptum fuerit omnes pertinentes certis in locis conueniant, ibiq; in seruitium suum plus non exigat, nisi duos modios Tritici & duos porcos, tres cados vini vel medonis, decem cados ceruisiæ, quinq; modios auenæ in pabulũ equorum triginta. Vt autem ea quæ ad vsus fratrum pertinent minus distrahãtur, hæc subscripta in vsus Aduocatorum sunt deputata, videlicet, satisfactio temeritatum, ita tamen, vt si qua dispendia fratres in suis rebus patiuntur, primò eis sua restituantur, & tertia pars Bannorum sit Aduocatorum, duæ partes sint Abbatis & fratrum, VVergelda Abbatis & fratrum sint, & mancipium pro mancipio. Præterea si Prælati Ecclesiæ, aliqua necessitate cogente, damnum sibi vel rebus suis illatum, saluo ordine suo recuperare non valuerint, ipsos Aduocatos in competentem locum aduocent, vbi causas querimoniæ diligenter discutiant, nihilq; ibi ab eis vel eorum Colonis, quasi sub iustitia exigãt, sed cum charitate, hoc quod eis impẽsum fuerit accipiant. Sanè fratribus eiusdem Monasterij præsentibus, atq; futuris, imitatione dilectissimi Patris nostri Friderici Imperatoris aliorumque Antecessorum nostrorum Regum & Imperatorum, liberam facultatem eligendi Abbatem concedimus; electus inuestituram à Rege, vel ab Imperatore per Sceptrum accipiat, nihil tamen dati curiæ de iustitia exhibeat, eo quòd redditus & prædia primæ fundationis, per Arnoldum Ducem Bauariæ distracta sunt, vt prædictum est, sed quòd daturus est pro suo arbitrio fiat & pro bona voluntate, nec cogantur ire in expeditiones Imperatorum. Insuper quæcunq; bona ad idem Cœnobium pertinere videtur, siue futuris temporibus, iustis & rationabilibus modis prouenire potetunt, salua & illibata eidem perpetuo iure permanere decreuimus. Et ne quisquam hominum vniuersa hæc nefario ausu præsumat inuadere, occupare, minuere vel quolibet modo alienare, cuncta sub nostræ Maiest. tuitione suscepimus, & præsentis scripti priuilegio cõmunimus. Si quis autem contra hanc nostræ auctoritatis paginam temerè venire præsumpserit, centũ libras purissimi argenti fisco nostro persoluat, & totidem supra dicto Monast. componat. Vt autem hæc nostræ potestatis auctoritas firma futuris tẽporib. & inconuulsa permaneat, præsentis scripti & sigilli nostri attestatione corroboram⁹. Huius rei testes sunt, Heinricus VVirzburgensis Episco. Otto Frisingẽsis Episcopus, Conradus Abbas de Salueld, Heroldus Abbas de S. Burckhardo in VVirzburg, Berchtoldus Dux Meraniæ, Comes Alberrus de Pogen, Comes Fridericus de Abenberg, Comes Vlricus de Perge, Comes Berchtoldus de Perga, Berchtoldus Burggrauius de Henneperck, Comes Sifridus de Vechingen, VValtuvinus de Steine, Berchtoldus de Iffeldorf, Rupertus de Vrne, Cuno de Menzenbergk Sifridus Marscalcus de Hagenavv, Eberhardus Marscalcus de Anebos, alij & quam plures. Acta sunt hæc, Anno incarnationis Dominicæ, M.C. XCIII. Indictione vndecima Regnante Domino Heinrico sexto Romanorum Imperatore gloriosissimo Anno Regni eius vicesimo tertio, Imperij verò tertio, Datum apud VVirzburgk, XV. Kalend: Iulij.

Nos autem præfati Abbatis, dilecti Principis nostri deuotis supplicationibus benigniter inclinati, attendentes quoq; deuotioẽ sincerã, quã idẽ Abbas habere dinoscitur erga nostræ celsitudinẽ Maiest. cõsiderantes etiã, quòd exhibeamus obsequium Deo gratum, si Progenitorum nostrorũ Diuorũ August. memoriæ recolẽdæ, vestigia prosequẽtes, circa profectum prędicti Mon. tam liberaliter intẽdimus,

quia

quia libenter prædictum priuilegium, ficut de verbo ad verbum fuperius fcriptum eft, iufsimus innouari, & quæ continentur in eo prænominato Abbati Succefforibus fuis & Monafterio fæpè dicto de innata Benignitatis noftræ gratia, perpetuò cõfirmamus. Vt autem hæc noftra confirmatio robur obtineat perpetuæ firmitatis, præfens priuilegium fieri & figillo Maieftatis noftræ iufsimus communiri. Huius rei Teftes funt, Berchtoldus Venetus, Patriarcha Aquilegienfis, Eberhardus Salisburgenfis Archiepifcopus, L. Regimus Archiepifcopus, Sifridus Ratifponenfis Epifcopus, Carolus Sedunenfis Epifcopus, Epifcopus Tergeftinus, Heinr. Præpofitus Patauienfis, Conradus Præpofitus Indicenfis, Leopoldus Illuftris Auftriæ & Stiriæ Dux, Otto Dux Meraniæ & Palatinus Burgundiæ, Bernhardus Dux Carinthiæ, Raínaldus Dux Spoleti, Rapoto Comes Palatinus & frater eius Comes Hainricus de Ortenberch, Vlricus de Pecka, Aldemarus de Kuenring, Engelhardus & frater eius Fridericus de Adelechavv, Conradus de Hohenloe, Comes Romãdiolæ, Albertus Rundeffinde, Gotfridus de Salzburgck, & alij quàm plures. Acta funt hæc Anno Dominicæ incarnationis Millefimo, ducenteſimo, trigefimo, Menfe Aprili, tertiæ Indictionis, Imperante Domino noftro Friderico DEI gratia Inuictifsimo Romanorum Imperatore femper Augufto, Ierufalem & Siciliæ Rege, Anno Imperij eius Decimo, Regni Ierufalem quinto, Regni verò Siciliæ Tricefim o fecundo fœliciter. Amen. Datum apud Fogiam, Anno, Menfe & Indictione præfcriptis.

THIERHAVBTEN.

THierhaubten Monafterium Ord: S. Benedicti infra Auguftam Vindelicorum tribus miliaribus, non procul à Lico ad Riuum Ach fitum, fundatum ac inchoatum in honorem SS. Petri & Pauli Apoftolorum, à potentifsimo Duce Bauariæ Teffalono, Anno Domini. 750. quo feré tempore idem Dux VVeffefpromen eiufdem ordinis Abbatiam, inter Amperam & Lycum fluuios erexit, auctum verè & locupletatum poft primam incinerationem, & quafi denuò reædificatum, ac fecundariò fundatum eft à Lothario Imparatore, Ludouici Pij filio, Anno Domini 846. Iohan. Auent: libro 4. Annalium fol. 378.

TERTIO renouatum & auctum à Gebhardo Ratifponen. Epifcopo, Comite Dieffenfi & Hochẽvvartenfi fecundum Ioan: Auent: in Annalibus fuis, f. 508. non VVitlfpacenfi, vt Brufchius in fua Centuria opinatur &c. nec non à fratre Prædi: Gebhardi Epifcopi Comite Rapothone fundatore Hochenvvartenfis Monafterij ac Hemma eius Coniuge, quam Brufchius alibi Ducifſam Auftriæ, alibi verò, nempè in Centuria fua, Comitiffam VVerdeæ vocat, quod verefimilius eft, Anno. 1022. Contulerunt autem huic Monafterio & VVitlfpacenfes Comites, multa bona, Mattheus Marfcalçus de Piberpach vicino caftro, Canonicus Auguftenfis, in libro fuo de Calatinis, capite, 50. & 79. refert aliquas infcriptiones in hoc Monafterio extantes, de Palatinis VVitlfpacenfibus, & eorum traditionibus &c.

DOMINA Gebba de Pach pijfsima ac nobilifsima fœmina fumma huius Monafterij benefactrix, quæ & aurea & alia precioſa ornamenta plurima dedit.

SVB Iohanne Abbate XIX. viro magni ingenij & confilij, Ludouici Bauariæ Ducis Confiliario benè merito, incendio perijt Monafterium per eundem magnificè reftauratum, Anno Domini. 1403.

IN bello Bauarico hoc Monafterium, vnà cum pagis fuis miferè uaftatum eft, Albertus Dux Bauariæ pro reftauratione ipfius dedit Teloneũ & vngeltum, vt vocant, in villa ibi, vfq; ad ipfius & fucceſſorum fuorum reuocationem, Anno Domini.

ni 1506. Petrus Abbas ita restituit ac instaurauit, vt eius secundus fundator dici meruerit, quianno 1511 obiit; reuocatio deinde facta est prædictæ concessionis. Monasterium hoc in bello Schmalkaldico bis direptum est, tam ab hostibus Cæsaris, quàm ab ipsis Hispanis, extra tamen Clenodia aurea & argentea vasa ac suppellectilem meliorē, quæ ingruente bello, mandato Illustrissimi Ducis Bauariæ VVilhelmi piissimæ memoriæ, ad tutiora loca tempestiuè fuerant translata ac deposita.

Sepulti sunt ibi Nobiles Hinterskircher de Schönleuten.

VIE PACH.

BERENGARIVS seu Beringerus Comes de Leonberg aliàs Leonsperg, cum consensu Agnetis vxoris, quæ dicitur fuisse familiæ Dominorū Pflueg ac liberorum suorum Hainrici & Elisabethæ, Viepachium inferius in monte Isaræ iminenti infra Lanndshuotam, quod antea Venatorium Tugurium erat, in templum commutat, 12. Virgines eò collocat, Ord: S. Augustini dedicat, ac Augustinianis Monachis Ratisponensibus gubernandum committit, ita tamen eùm ad dies vitæ suæ aliquos census sibi reseruauerat, constituit, vt post suum obitum numerus iste Monialiū duplicaretur; & cum illa domus & Hofmarchia Viepach, à Ducibus inferioris Bauariæ feudalis esset, Duces Otto, Ludouicus ac Stephanus fratres, huic fundationi non solum consenserunt, verum etiam feudali Iure liberarunt; hinc etiam quasi pro consociis fundationis habiti sunt, Anno Domini 1296.

BERINGERVS fundator eum coniuge ac filio ibi aliquot annis deuotè vixisse, obiisse ac sepultus esse ꝑhibetur, Obüt autē Beringerus Año 1296. Tunc Hainricus Dux Bauariæ prioribus XII. addidit, XVIII. Virgines. Auēt: lib: 8 fol. 726. Alibi autem habetur, hunc Beringerum eodem anno, quo primum lapidem claustri posuit, decessisse, postea Hainricum Ducem Bauariæ, filium Stephani erexisse Claustrum, muros, Ecclesiam, & habitacula Dominarum construxisse, auxisse numerum ad triginta, ac quædam bona dedisse. Idem Auent: fol: 790. ponit, Ludouicum Imperatorem hoc Monasterium auxisse.

HAINRICVS prædictus filius fundatoris, dedit Monasterio Vineam propinquam, eam feudi iure liberat, Anno 1309.

BERINGERVS Comes de Leonsperg, fortè filius Haintici aut patruelis, qui aliàs Bernhardus nominatur (nam hæc nomina sæpè confundūtur) dedit Monasterio huic, pro anniuersario, Aduocatiam in Reisfing. Anno 1314.

CONRADVS Episcopus Ratisponensis eximit hanc Capellam seu Monasterium à Parochia Kirchperg, ad quam prius pertinebat.

ALIVS Episcopus Ratisponensis eandem Parochiam Kirchperg, per Concambium pro alia Parochia Monasterio dedit.

FRIDERICVS Dux Bauariæ, Anno 1385. donauit partem decimæ Vini de Landshuet, cum LX. vrnis cereuisiæ, ex duobus braxatoriis, & prædictum Claustrum pio animo defendit.

IOANNES Ratisponensis Episcopus, considerata magna paupertate huius Monasterij, dedit illi Parochiam in Lozenkürchen ad Vilsam, Anno 1402.

VILSHOVEN

COLLEGIATA Ecclesia ad ostium Vilsi fluminis excurrentis in Danubium in Vrbe Vilshouen. Auent: de fundatiõe huius Collegij scribit in Añalibus lib:7. fol: 798 quòd circa annum, 1366 Hainricus Tuschl cum filio Schvvikhero duodecim Mystarum collegium in Vilshouen instituerit, atq; mox sequenti anno, XII Calend: Octobris decesserit. Quod non omnino conuenit cum scriptura, ad parietem Chori, ibidem affixa, quæ habet Año 1388 obiit; miles Hainricus dictus Tuschl, fundator Collegij in Vilshouen, quod Schvvikherus filius consummauit, &c.

S. VITI

ORDINIS S. Benedicti. Diethmatus Comes de Leonberg, ac Lungionũ, fund. Leonburg, nunc Leonsberg arx est Inferioris Bauariæ, quam Isera præterfluit &c. Lungionum Charinorum, pagus est vltra Taurum montem, vulgariter Im Lunngaw. Filius hic fuit Babonis Comitis Abenspergeñ: prole 32. filiorum inclyti, Hic Diethmarus in Inferiori Bauaria, ad amnẽ Rot, in loco quod Elsenpazen dicitur, instituit Monasterium pro Benedictinis; translatum deinde per huius filium aut Nepotem Volframum Comitem de Dornberg, ad montem S. Viti, propè vicum Neumarckt. Vnde hodie S. Viti Monasterium dicitur. Et hoc consensu Adalberti Salispurgensis Archiepiscopi, & Hainrici Abbatis Elsenpacensis, quia locus hic multò commodior erat Monasticæ quieti ac deuotioni. Et hoc Anno Domini 1171; hoc tamen modo, vt in Elsenpacensi Ecclesia nihilominus, duo uel plures fratres, ad exequenda ibi diuinia officia permanerent &c: iuxta tenorem illius Archiepiscopi confirmationis ibi.

Auent: fo. 515.

ASTIPVLATI sunt huic translationi Eberhardus de Iulbach, & Hainricus de Schaunberg prædicti VVolframi Vxoris fratres, ad quos Aduocatia eius loci spectabat, qui aliquot prædiis ac aliis adminiculis Monasterium iuuãrunt.

S. VITI

PROPE Frisingam Ecclesia Collegiata. Engilbertus Comes de Mospurg, Episcopus Frisingensis, hanc constituit Ecclesiam, qui Præpositum cum sex Canonicis, quos Hitto Episcopus Frisingensis, ante annos ducentos, in monte dicto Tetmos, nunc consecrati Stephani, vulgariter Weichenstephan, collocauerat, transtulit ad Ecclesiam S. Viti in vmbilico illius montis, & è contra loco istorum instituit ibi ordinem D. Benedicti & Monast. S. Stephani construxit: quod factum est circa Annum Domini, 1029. De quo vide Monasterium VVeichenstephense, & Episcopos Frisingenses.

VIDEN-

VNDENSTORF

MONASTERIVM ad Gelonum fluuium Ordinis S. Augustini Canon: Regularium Anno 1126, regnante Lothario, nobilis vir Otto Palatinus Comes de VVitlspach maior, Pater Ottõis postea Ducis Bauariç, ædificare cœpit Vndenstorfense, Monasterium, in honorem Dei omnipotentis, B. Mariæ Virginis, nec non SS. Apostolorum Petri & Pauli. Anno autẽ 1131 ab Innocentio secundo confirmationem impetrauit, cuius Bulla extat. Idem quoq; Innocentius Præpositum primum nomine Rupertum, ex quodã Monasterio dicto Marpach, ad Ottonis prędictí preces, per Apostolica scripta postulari mandauit ac sanciuit, Vt nullus Prępositus per violentiam, sed per fratres secundùm Regulam beati Augustini liberè eligatur ac constituatur. Prædictus Otto de Vndenstorf prędium suum Vndenstorf tradidit Monasterio, quam traditionem confirmauit Lotharius Imperator, Anno 1130, iuxta tenorem Diplomatis, quod ita sonat:

IN nomine Sanctæ & Indiuiduæ TRINITATIS, Lotharius diuina fauente Clementia Romanorum Rex: Pauperibus Christi subuenire, & Deo in omnibus deuotè seruire est regnare. Quapropter omnium Dei nostriq; fidelium tam præsentium, quàm futurorum nouerit industria, qualiter nos traditionem ab Ottone de Vndenstorf, de prædio suo ibidem sito factam, regia potestate & autoritate confirmauimus, confirmatam corroborauimus. Hæc traditio sic facta est; Ipse Otto præscriptus, totum prædium suum Vndenstorf, quod situm est in Episcopatu Frisingensi, & in Comitatu Hartuici de Kregelingen, Christi pauperibus ibidẽ sub Regula S. Augustini militantibus, in proprium tradidit, & de suo Iure & Dominio in Ius & Dominium eorum penitus transfudit, remota omni contradictione, cum omnibus ad idem pertinentibus, cum areis, ædificiis, terris cultis & incultis, pratis, pascuis, campis, syluis, aquis, aquarúmue decursib⁹, molis, molendinis, viis & inuiis, exitibus & redditibus, quæsitis & inquirendis, seu cum omni vtilitate, quæ aut scribi aut nominari potest. Hæc traditio vt stabilis & inconuulsa omni tempore perseueret, nos hanc Chartam præsentibus Principibus & Episcopis & Laicis, Cunrado scilicet Salisburgensi Archiepiscopo, Chunone Ratisponensi Episcopo, Ottone Bambergen: Gebhardo Eisteten: Reginmaro Patauiensi, Hermanno Augustensi, Hainrico Duce Bauariæ, Vdalrico Duce Bohemiæ, Engelberto Duce Carinthiæ, Ottone Palatino Comite, Dieboldo Marchiõe, Engilberto Marchione, Eckhardo Comite de Dachavv, Berchtoldo Comite de Andechse, Adalperto Com: de Pogen, aliisq; quàm plurimis. Inde iussimus scribi, subtusq; manu propria corroboratam Sigilli nostri impreßione iussimus insigniri. Acta sunt hæc, Anno Dominicæ incarnationis, M. C. XXX. Indict: VII. in Curia Ratisponæ fœliciter, Amen.

SIGNVM Lotharij Romanorum Regis inuictißimi.

Otto fundator obiit anno 1131, [a] Sepelitur in domo Capitulari, insignia habet, duos fuluos Leones in Veneto Clypeo, ita vt sibi mutuò terga obuertant, prō vt Nobiles de Rechperg Sueui mutato colore. Ista aliàs non sunt VVitlpacẽ: Insignia; fortè illius prędij seu Dominij, vel huic Monasterio nouiter concessa, ac vsurpata.

[a] *Alib. Anno* 1144.

Anno 1077. Hainricus Imperator cepit Pascalem Papam, quem Otto iste adiuuit. Qui Otto cum esset Christi cultor, suam condemnationem non ferens, sed saluti suæ potius consulens petiit veniam à Calixto Pascalis successore, eamq; adeptus est, tali conditione, vt nimirum Monasterium prò Regularibus fratribus ædificaret; quod & fecit.

Anno 1143. Celestinus secundus ad instantiam Richardi Præpositi & fratrum huius loci, ea quæ in Bulla Innocentij continebantur, Apostolica auroritate confirmauit. Insuper statuit, vt ordo Canonicorum Regularium perpetuis temporibus ibi seruaretur, insuper indulsit, vt Chrisma, Sanctum oleum, consecrationes Altarium ac Basilicarum, ac ordines Diaconorum, à quocunq; Catholico Episcopo suscipere poßint, si Diocœsanus ea gratis conferre noluerit.

Anno 1173. Fridericus Palatinus filius fundatoris, in die Paschali, in Monasterio isto, coram summo Altari gladium deposuit, & omnibus secularibus actibus renunciauit, & ordinem recepit, ibiq; sepultus quiescit.

Anno 1217. Ludouicus Dux Bauariæ, huic Monasterio dedit Curiam in VVitlspach, pro remedio tam sui, quàm parentum suorum in sepultura quondam Ottonis Palatini, qui Philippum Romanorum Regem, Anno 1208 occiderat. Idemq; à ministris Regis, nempè quodam Marscalco de Pappenhaim, apud Oberndorf iuxta Danubium supra Ratisponam occisus, cuius corpus insepultum ibi aliquot annis fuerat; iuxta tenorem Diplomatis, cuius hæc sunt verba.

Auentinus fol. 661.

Noverit omnis Christi fidelium industria, tam præsentium, quàm futurorum, quomodo Ludouicus Dux Bauariæ curiam in VVitlspach, fratribus in Vndenstorf contulerit, & in propria persona super Altare Beatæ Mariæ delegauerit, pro remedio tam sui, quàm parentum suorum, in sepultura quondam Ottonis Palatini, qui quondam reus lesæ Maiestatis, ausu uidelicet temerario manus in Philippum Regem mittere præsumpsit, diu aggreßæ sepulturæ deputatus, multo tandem labore fratrum in Vndenstorf, diuino annuente suffragio, Ecclesiasticam Innocentio sedem gubernante Romanam, inuenit sepulturam, quæ traditio facta est, Anno Dominicæ incarnationis M. CC. XVII regnante Friderico Rege Apuliæ, præsentibus, Petro Cardinali Presbytro ad sanctam Potentianã, Eberhardo Salisburgensi Archiepiscopo, Ludouico Duce Bauariæ, Rapotone Palatino de Ortenberg, Conrado Com: de Mosburg, Eberhardo Com: de Dornberck, Conrado Libero de Horbach, Hainrico Pes, Eberhardo de Mutichingen, Voca de Voecenburg Stump, Arnoldo de Camer, & filio suo Berchtoldo, Engelramo de Dachav, Conrado de Vsenhouen, Conrad de Mülhausen, Günthero de Giesenpach, Rugero de Staingrif, Rudolpho Grans de Schräpf, Marquardo de Aichach, Berchtoldo de Mulhausen, Ottone & fratribus suis de Ampach, Haidenrico & Conrado ac Berchtoldo fratribbus ibidem, Haidenrifratico & fratre suo N. de Paternhofen, Arnoldo de VVindingen Eberhardo, de Sielenpach, Friderico de VVeiern.

Anno 1264, tempore Vdalrici Præpositi, Eberhardus de Sielenpach prædio suo Freimanensi Monasterio Vndenstorsensi tradito, habitum Regularem suscepit, eundemq; cursu confirmauit fœlici.

Anno, 1272 P: Senior de Puech, factus est Monachus in Vndenstorf, tempore Hainrici Præpositi, & prædia sua in Puch eidem Monasterio liberè resignauit, præsente filio suo P:

Anno 1338. Hainricus Miles dictus Schmidgadner Archimagirus Ludouici Imperatoris, de consensu suorum cognatorum præfato Monasterio bona sua tradidit, ibiq; Monachus factus est.

Anno 1424 Martinus quintus, priuilegia Prædecessorum suorum huic Cœnobio concessa, renouat & confirmat. Idem Pontifex tempore Eberhardi Præpositi concesit omnibus profeßis huius Monasterij, vt autoritate Apostolica ab omnibus peccatis & censuris atq; pœnis Ecclesiasticis plenariè poßint absolui, per confessorem quem duxerint eligendum.

SEQVEN-

SEQVENTES ISTAE VTRIVSQVE SEXVS PERSONAE FVNdationem & ſepulturam habent, in dicto Monaſterio.

OTTO Liber ab Vndenſtorf.
Mäſſenhauſer
Chamer.
Chammenſtainer.
Eiſenhouer.
Clamerberger.
Schmidgadner.
Aurberger.
VVeiehſer.
Eiſolzrieder.
Heltgerzhauſer.
Stumpten.
A Fuesperg.
Iezendorffer.
Herezhauſer.
Baiprunner.

} Milites Nobiles.

VLRICVS Liber de VVeikershouen.
VVatten.
VVeilbeckhen
Pelhamer.
Iunekenhouer.
Praitenauer.
Minnenpeckhen.
Dachſperger.
Adlzhouer.
Aunpecken.
Sprünzen.
Perenpecken.
VViſinger.
Sigmershauſer.
Prunner.
Sehmidhauſer.
Hereseeller.
Viechkireher.
VVernſtorffer.
VVagenrieder.
Mänpecken.
VVeier.
Ottmarsharter.
Schvvaphauſer.

} Milites.

Et alij plures, quibona ſua tradiderunt, vt habetur ibi in libro Donationum.

VVEICHENSTEPHEN.

MONASTERIVM Ord. S. Benedicti, poſitum in excelſo monte prope Friſingam, vbi olim fuiſſe dicitur caſtrum Pipini, Galliarum & Alemanniæ Regis, in quo poſtea etiam Carolomannus habitauerat, mons ille dictus Tetmons ſiue Thetonis mons, cuius ampliſſ: foſſæ arcis magnificentiam adhuc hodie ſatis oſtendunt. Hoc caſtrum poſtea Anno 746. à Marſilio Sueuorum Rege euerſum eſſe, Hiſtoria Monaſterij habet. Sed Auent. lib. 3. fol. 393. 394. meminit Landfridi & Diepoldi Ducum Sueuiæ, & quod cum Vtilone circa Lycum multa bella geſſerint, ſed de Marſilio Rege & de vaſtatione Caſtri Tetmons, nihil. *VVeichſant Peter vide S. Petri conſecrati.*

In hoc loco Hitto Epiſcopus Friſingenſis conſtituit Præpoſitum cum Sex Canonicis circa Annum Domini 830. poſt annos verò 200. Imperante Diuo Heinrico ſecundo, Egilbertus Epiſcopus Friſingenſis, de familia Comitum Moſpurgen. eundem Præpoſitum cum ſuis Canonicis tranſtulit in Vmbilicum Montis ad Monaſt: S. Viti, quod ipſe fundauit, & loco ipſorum inſtituit ordinem D: Benedicti, *Auent lib. 4. annaliū. fol. 376.*

 & Mona-

& Monasterium S. Stephani Protomartyris construxit, circa Annum 1021, constituto ibi 1. Abbate Arnolpho. Episcopus Hitto sepultus est in Ecclesia Cathedrali in crypra, transtulit Frisingam corpora Alexandri Papæ & Martyris, Iustini Cardinalis & Nonnosij Monachi, de quo scribit beatus Gregorius in Dialogis. Imperator Hainricus Sanctus donauit Monasterio VVeichenstephen, ad preces Egilberti Episcopi, castrum, Saxaganckh in Austria, cum suis attinentiis, pro quo Engelbertus per commutationem Monasterio dedit villam Hegelhausen; in Diplomate Hainrici Imperatoris sunt hæc verba; partem cuiusdam Insulæ Sahsonagane, &c. in prouincia Orientali & in Marchia Adelberti Comitis sitę. Anno Domini, 1021. ex libro traditionum Ecclesiæ maioris Frisingensis, vbi etiam hęc verba sunt addita; Ad Mon: S. Stephani protomartyris ab eodem Episcopo Engelberto constructum, pro anima dicti Episcopi Egilberti plures Comites ac Nobiles dederunt prædia sua ad Altare S. Stephani in hoc Mo: vt puta Nobilis homo Geroldus Comes, Item Gumpoldus Comes, Vdalscalcus Comes, Altmann⁹ Comes, Item quidam Nobilis Vir Sigibolt. Item Adalbero Comes, qui dedit Hubam ea lege, vt nulli concederetur in beneficium; quod si fieret, tunc deuolueretur ad Monast. Eberspergen. Fortè omnes præd. Comites erant de familia Mospurgen. Comitum. Ex libro fundationis huius Monasterij

ABBATES ALIQVOT, AC GESTA NOTABILIORA
apud Monasterium VVeichenstephense.

GERARDVS ex Monasterio Seun assumptus ab Epicopo Frisingensi, fit primus Abbas.

ERCHANGERVS VIII Abbas. Sub hoc Cœnobium incendio periit, per negligentiam cuiusdam Monachi; rursum restauratum & consecratum Anno 1095, à Meginhardo Episcopo Frisingensi, qui Erchangerũ tandem deposuit, post mortẽ Erchangeri, religio ac cultus diuinus valde in hoc Monast. defecit, pauci erant Monachi, Aduocati Monasterij non faciebant suum officium; Donec Otto Episcopus sub Abbate Sigmaro Monst. reformauit ac restaurauit.

ALTO XVI. Abbas. Sub hoc secundò concrematum est Cœnobium, in Maio, Anno 1197. Ob id Alto resignauit, cum xv. annis præfuisset.

Anno, 1200 & sic in ipso Iubileo, sub Eberhardo Abbate XVII dedicatum est Monasterium hoc, à Venerabili Conrado Moguntino & Sabineñ. Episcopo, cooperante sibi Ottone secundo Frisingense Episcopo, in honorem S. Michaelis Archangeli, & Stephani Protomartyris.

Anno 1241, sub VDALRICO tertio, Abbate, XXI; Pridie Non: Octobris, tanta Solis Ecclypsis facta, vt claræ stellæ in Cœlo apparerent, etiam mediodie. Sequenti Anno Claustrum Dominarum, quod à prima fundatione huius Monasterij vnà cum Hospitalj pro pauperibus coniunctum erat, combustum est, in festo vndecim millium Virginum, & iterum Anno, 1245 totum Cœnobium in festo S. Leodegarij; & sic tertiò exustum est.

Anno, 1336. in Autumno Monasteriũ, cum omnibus intus & extra muros habitis rebus, tam in prædiis quàm in structuris miserè vastatum & spoliatum est, per exercitum 4000 Galeatorum Ludouici Imper: per totam æstatem Frisingæ, & circumquaq; commorantem, & ex altera parte per Hainricum Ducem Landshuetanum, cum suo & Regis Bohemiæ exercitu, 3000 Galeatorum, contra Ludo: Imp: pugnantium. Sed Imperator victor, totam Prouinciam Hainrici Ducis potneter transiuit, & hoc sub Marquardo Abbate.

ANNO 1348 in festo Conuersionis S. Pauli, sole adhuc lucente & claro, circa Vesperas, tantus Terræ motus circa Frisingam factus est, quantus à Passione Domini neq; visus neq; auditus est, de quo Bruschius de Monast: plura.

LEONHARDVS, XXXVI Abbas, genere Nobilis, familiam non inuenio, moribus & vita venerabilis. Electus Anno 1380, sub Leopoldo Episcopo Frisingensi, & Friderico Duce Bauariæ. Hic Monasteriũ pristino nitori ac statui restituit, ac ita laudabiliter præfuit, vt secundus huius loci fundator dici meruerit: sedit annis 36. Obiit. 1415. Sepultus in Sacello S. Corbiniani à se condito.

EBERHADVS, XXXVIII Abbas, eligitur Anno 1417, quo etiam confirmatur, Vir corporeae mente egregius: Hic primus infulatur ab Alberto Episcopo Frisingẽsi, incœpit reformationẽ, vitæ regularis per omnia studiosus, ædificia multa præclarè illustrauit & auxit. Ab eo testudines ante portam & in abside Ecclesiæ ad S. Andream, cum ipsa turri Ecclesiæ constructæ sunt, auxilio & ope strenuissimi Militis VVilhelmi de Fraunberg, ibi cum suis Maioribus sepulti. Interfuit hic Abbas Consilio Basiliensi, vbi sub Infula coram vniuerso Consilio sacra fecit. Sub eodem emptæ sunt Vineæ in Kelhaim &c. Præfuit Annis. 32. Obiit. 1448. sepultus ante Aram sanctæ crucis.

IOHANNES XXXIX. Abbas concorditer electus & confimatus Anno. 1448. Vir discretus, amabilis, largus & pius, Anno 1472, post vesperas Turris Ecclesiæ fulmine tacta, intus tota combustaest, indię S. Iohannis & Pauli, perierunt campanæ sex. Anno sequenti in aurora prædictis, Iohannis & Pauli fulmine tactum est horreum maius Cœnobij, vnà cum cohærẽtibus ædificiis, quæ vsq; ad tabernam, igne perierunt. Sub hoc Abbate emptæ sunt vineæ in Austria. Præfuit XXXIII annis laudabiliter, Obiit 1481. Sepultus ibidem circa Aram S S. Achacij & Mauritij à se constructam.

LEONHARDVS Nagl. XL Abbas, vir sagacissimus, & omni laude dignissimus, qui Abbatiam quasi è fundamẽtis erexit, verùm valetudinis afflictę, solnm triennio præfuit. Obiit Anno 1484. Sepultus ante aram S. Crucis.

CHRISTOPHORVS Carinthius, Iuuenis religiosus, doctus & facundus, elgitur Anno 1484, Abbas XLI, absens, cum tempore Vindemiæ in Austria Cœnobii negotiis intentus esset, tametsi reluctans; confirmatus & consecratus est, resignauit post paucos annos, amore studiorum se Bononiam conferens, retenta annua pensione XXXII florenorum, vbi sacram Theologiã professus, Doctor etiam Iuris Pontificij effectus, in Carinthia in Cellæ Marianæ magnifico Collegio concionator famosissimus extitit, vbi quoq; obiit, & sepultus est, Anno 1507. Paucis ante obitum annis Frisingæ fuit, & magnam pecuniæ summam Monasterio dono dedit, ad construendam Bibliothecam cum eleganti, Sacello B. Mariæ Virginis, cuius bona post obitum ipsius huic Monasterio tradita sunt.

VVOLEGANGVS de VVeichs Nobilis, resignãti Christophoro, à Sixto Frisingensi Episcopo substituitur, Abbas XLII. Vir senex, grandæuus, religiosorum amator, & summus fautor huius Monasterij, qui Iuuenis vixerat in habitu monastico, apud Melicense Cœnobium in Austria, vnde per amicos quasi vi extractus, à suo Proposito reuocatus, habitum ante Professionem deposuit, & in Frisinga Canonicus factus, ibi per XL annos, in seculari professione sacris seruiuit: Tandem resignans præbendam fratris filio Degenhardo, ad Monasteriũ hoc se contulit, omnia faciens, quæ sui ordinis hominem decent, Abbas designatur, multa bona fecit Cœnobio, ambitum testudinauit, & plura alia ædificia renouauit, sacrarium multis ornamentis decorauit & ditauit. Obiit Anno 1495.

ANTONIVS XLIII. Abbas, vir mãſuetus, humilis, pius & largus in pauperes, quorum, præſertim chariſtiæ tempore, nullum à ſe dimiſit abire vacuum. In bello Bauarico paſſus eſt cum ſubditis, magnam exactionem, rapinas & damna, Obijt Anno. 1507.

BENEDICTVS XLIIII. Abbas, electus Anno. 1507. vir prudens, diligens & bonus Oeconomus, qui multum æris alieni perſoluit, paſſus magna grauamina & damna. Præfuit annis XI. laudabiliter. Obiit. 1520.

THOMAS XLV. Abbas, vir doctus, facundus, moribus & vita inſignis, electus & confirmatus à Philippo Com: Palatino Epiſcopo Friſingenſi, Anno. 1520. perpeſſus grauiſsimas exactiones, duriſsimumq́; iugum propter veredarios, venatores, ac falconum curatores, ferè nunquam non Monaſteria onerantes, Obiit Anno cum præfuiſſet Monaſterio laudabiliter.

In VVeichenſtephen ſepulti ſunt Nobiles aliqui, de Hagenavv, de Fraunhouen. Item de Fraunberg, & tres Milites de Aitterpach.

VVELTENBVRG.

DE fundatione huius Monaſterij Ordinis S. Benedicti ſcribit Ioan: Auent: lib: 3. fol. 265. quòd tempore Theodonis Ducis Bauariç, qui cum filio Theodoperto à Diuo Ruperto Reginoburgij aqua cœleſti luſtratus eſt, poſt extructa templa tam Reginoburgij, quàm Vtini, Christo Deo atq́; eius Genitrici dicata, atque à Diuo Ruperto cõſecrata (vtrumque adhuc AEdicula ſeu Capella vetus vocatur) poſthæc per omnes Boiorum regiones, ſacræ ędes paſsim ædificatæ ſunt, à Diuo Ruperto & ſociis conſecratæ, vt VVelteburgij, quod ipſe Valentiam vocat, & extra mœnia Reginoburgen. S. Georgio, Tutelari Chriſtianorum Militum Diuo. quædam S, Martino Maximilianoq́; templa dicata, quæ adhuc monſtrantur.

Alibi idem Auent: lib: 6. fol. 614. ſcribit, Eodem etiam tempore Hardouicus, Epiſcopus Reginoburgenſis Valenriam, hoc eſt VVeltenburg, templum Diuo Georgio dicatum pulſis Monachis Benedictinis tradit Auguſtalibus flaminibus, hoc eſt, Canonicis regulatibus D. Auguſtini, accito Hardouico eius ordinis ex Norico de æde Diui Floriani, id eſt, ex Monaſteiro S. Floriani in Auſtria, ſupra Anaſſum. Conradus itidem Epiſcopus Reginoburgenſis, quinq́; poſt annos Monachos Benedictinos rurſum reſtituit, ipſisq́; Fridericum præfecit. Monaſterium hoc Danubio ſeptum, quinq́; millia paſſum infra Abenſperg; ibi Cineres Artobrigæ, quæ teſte Ptolemæo, caput olim Vindelicorum fuit, monſtrantur. De quo Auent: in ſecun. & tertio libro Annalium latius ſcripſit.

VVESSESBRVNNEN,

MOnaſterium Ordinis S. Benedicti, fundatur primò, cum ſeptem aliis Monaſteriis, per Landfridum Elilandum, & VValdramum fratres, Comites ab Antorf & Loiſa, ampliatur & inſtauratur poſtea, vt habet Chronica huius Manaſterij Anno. 753. per Taſsilonem filium Vtilonis, Ducem Boiorum, qui in Marchia Ducatus tunc regni Boiorũ in ſaltu Foreſti, qui Nottvvald dicitur, inter duo flumina, Amperam & Lycum venationi operam dabat aprorum, & dum fortè nocte, iuxta fluuium, à ſuo Ducis nomine Teſſelpach dictum, ſub tentorio dormiret, vidit in ſomnis ſcalam, Cœlum extremitatibus & terram attingẽtem, Angelos Dei aſcendentes

dentes,&descendentes,&S. Apostolum Petrum scalæ innitentem & canentem ea, quæ communirer in dedicationis officio cantari solent, venatorum Tassilonis alter, qui VVesso dicebatur, inuenit fontem in modum crucis ebulientem quiab eo nomen obtinuit,& dicitur hodie, fons VVessonis.

Tassilo autem Dux Monasterium eiusdem nominis, cooperante sibi S. Bonifacio ædificauit & possessionibus ampliauit, vbi primus Abbas Ilsungus Altaichensis Monachus, præfuit annis XLI. Et in meridionali Ecclesiæ plaga sepultus est.

Avent: in Anna lib. fol. 551, de hoc Monasterio ponit, quòd hactenus à popularibus, id est, secularibus Sacerdotibus, postquam ab Vngaris exustum fuit occupatum, his pulsis, sacris D. Benedicti Hainricus Imperator restituir, circa annum 1050. Fuit olim ibi Monialium quoq; Cœnobium.

HAINRICVS Höchenkürcher de Ilsdorf, Abbas ibi, Anno 1384. Cui Bonifacius nonus dedit priuilegium Pontificalibus vtendi Infulam, Baculum, Anno 1402. Rexit XXX annis laudabiliter. Resignat anno 1414, factus Abbas in Etal, ad peritionem VVilhelmi & Ernesti Ducum Bauariæ, vbi obiit 1418. Hainricus Comes Tyrolensis, pro sua & fratis Berchtoldi anima, dedit vineam in Rufrano, vbi dicitur Subdossa, Anno 1181. Eodem tempore Gertrudis de Liechtenstain, Ministerialis eiusdem Comit: cum consensu mariti sui Conradi, pro remedio animarum suarum,& pro amore filiarum Irmegardis & VVilleburgæ Monialium ibidem, dedit curtem in superiori Leuen &c.

Patroni huius Monasterij sunt, S S. Petrus & Paulus.

Nobiles ibi sepulti sunt de Seeueld. Item dicti Greuter de Greut, rudera extant veteris arcis, non procul à Monasterio, Diessen versus.

Item Pfettner, & vnus de Schvvangav. Ibidem Nobiles de Freiberg, de Asch vltra Lycum Sueui

VLRICVS Höchẽkircher Abbas, ibidem emit à Iohanne Snmerstorf villam Mennzing, cum omnibus pertinentiis, Anno 1401. Alius verò Abbas etiam Vlricus dictus, cum Alberto Duce Bauariæ, Comite de Vochburg permutauit, pro aliis commodis possessionibus, Anno 1441.

VVINDPERG.

MONASTERIVM Ordinis Præmonstratẽsium vltra Danubium, Bohemiam versus; Fundatum est hoc Monasterium, per potentissimos Comites de Pogen, ita enim habent Annales Ioan: Auent: fol. 622. & fol. 691: Albertus Comes à Pogen, filius Hartuici & Litogardæ idest Luickardæ, vxor Hedvvig, Liberi Albertus, Berchtoldus, Hartvvicus, arcem VVindberg Monachis D. Nortperti, Archiepis. Magdeburgen. tradunt. Fuit autem hic Comes Albertus primus huius nominis, quem dicit idem Auent: obiisse Anno 1147. Ita quoq; habet sepultura huius 5 idus Ianuarij. Sed Bulla Eugenij Papę tertij, super fundarione ac priuilegiis illius Monasterii, Anno 1146. edita, testatur, ipsum fundatorem iam tum defunctum fuisse, in qua etiam fit commemoratio bonorum illius, nempè Ecclesia, cum dote sua, vulgariter, Das Gottshaus / sampt dem aigen zu Sassaw / sylua iuxta viam Mulpach, Firlpach, Ambrach, Salching, VVäxenberg, Menkhouen, Vrmpach, cum pertinentiis eorundem. Addit inter alia priuilegia hoc, quòd maior natu inter Comites de Pogen, semper debet esse eius Aduocatus ac protector, ita tamen, vt nullis exactionibus grauet. Item ibi fit prouisio de

Decimis,

Decimis, de sepulturis ac aliis &c. Quæ confirmatio Pontificis, ipsam fundationem breui consecuta est. Castrum VVindenberch pertinuit aliquãdo ad Duces Meraniæ. Otto Dux vendidit Manegoldo Episcopo Patauiensi, vnà cum quodam Comitatu à Regij fluminis ponte, vsq; ad Ilcensem fluuiolum &c. pro 1800. Marcis; quod confirmat Philippus Roman. Rex, Anno 1207. Orta deinde dissensione inter Episcopum Patauien. ex vna, & Albertum Com: à Pogen, altera, partibus ob Comitiam VVindebergen. Comes iniuriatus Episcopo. Ludouicus & Otto filius Comitis Palatini Rheni Duces Bauariæ in Landau, vbi Episcopus tum Romanus transibat, composuerunt ita, vt Comes Albertus fateretur ob amorem dilecti sui cõsanguinei Gebhardi Episcopi Patauiensis, se vi ac nullo Iure hactenus possedisse. Cui Episcopus contulit in feudum Sebach & partem dictæ Comitiæ de nouo, eo pacto vt vetera feuda non abalienaret: extat diploma prędicti Ducis Ludouici dicto Anno 1228. Patauiæ. Hainricus, Otto & Hainricus Duces Inferioris Bauariæ proter maxima damna in præteritis illorum Ducum bellis illata & perpessa, dant huic Monasterio immunitatem Teloneorum salis per Oenum vehendi, Anno, 1327.

ALBERTVS tertius Comes à Pogen, post deuictam Ciuitatem Spoletanam in Tuscia, inde ad hoc Monasterium transtulit corpora S. Sabini Epis. & S. Serenæ Viduæ, Martyrum &c. Huius filius Albertus quartus & vltimus huius familiæ, tradidit Mon. huic, cuius Aduocatus erat, pro recõciliatione damnorũ illatorũ, Ecclesiã in Viechta, & aliam Parochiam in terra Bohemorũ, dictam Schittẽhouen, cum villa adiacente &c. iuxta tenorem Diplomatis, quod ibi extat huius tenoris:

IN nomine Sanctæ & Indiuiduæ TRINITATIS, Filij qui nascẽtur & exurgent, narrent filijs suis & successoribus, quòd ego Albertus Comes de Pogen, Aduocatus VVindpergensis Ecclesiæ, ob meorum facinorum enormitatem & fratrum meorum defunctorum, Luipoldi & Berchtoldi larga Dei clementia cooperante, transfretationis desideratum iter aggredi volens, quia palmam, qua capitur gloria, finis habet, oportunum & saluti proximum fore arbitrans, inter reliqua mundialis rei ordinationem, Ecclesijs Dei plurimum vexatis pro posse debere reconciliari, sanè prædictam Ecclesiam, VVindpergensem scilicet, velut specialem Testamento præstantiori præferens, conferendo ei Ecclesiam Viechte legitimo decedente pastore Domino, VVolfingo. Addimus & ob reuerentiam & dignitatem ipsius Ecclesiæ, aliam Parochiam in terra Boemorum, dictam Schuõtenhouen, cum villa adiacente Podmuckl pari debito & perpetuo Iure possidendas. Igitur cuiuscunq; potestate seu consilio huius rei Testamentum irritum factum fuerit, in extrema examinatione diuina vltione puniatur. Facta sunt hæc. VIII. Calend. Apr. præsentibus Ministerialibus, Domino Hainrico de Pholinge, cum filijs Gebhardo Marscalco, Conrado & Henrico fratre suo de Nusperg, Gerho de Fremriesperg, Hainrico de Prule & alijs quàm plurimis, Anno gratiæ M. CC XXXIII,

HAINRICVS Dux inferioris Bauariæ dedit Ecclesiæ in Sossau priuilegium asyli, pro facinorosis hominibus, qui ad illam confugerent, itemq; bona illius Ecclesiæ, pro Abbate in VVindperg, non deberent oppignorari, Anno 1335. renouatur hoc priuilegium ac confirmatur, per Albertum Ducem Bauariæ, qui se Comitem de Vochburg, ad differentiam Alberti filij nominari voluit, Anno Domini 1445.

IACOBVS Abbas sibi emit à Laurentio Poschinger, ciue Straubingense, villam Zeidlarn prope Sossau sitam, cum omnibus Iuribus, Hofmarchiis ac redditibus suis, Anno Domini. 1463. Pater siue Agnatus huius Simon Poschinger, antea emerat ab Erasmo de Puechpergin VVinnzer, Anno 1434.

HABET hoc Monasterium Ecclesiam, decimas ac villam in Bohemia Albrehtshouen nomine, vt puto à primis suis fundatoribus, qui multa bona in Bohemia

mia possederunt, super eius Aduocatia illi sunt cum Baronibus de Scvvichavv diuturnæ & graues lites, hoc 1579. Anno, nondum sopitæ.

Nobiles in hoc Monasterio sepulti ac alij benefactores quorum memoria ibi extat.

De Ramsperg fundatores Capellæ, quæ nunc Capitularis dicitur, vbi ipsorum Insignia ac lapis sepulchralis, cum hac Inscriptione, Anno Domini 1306. H. dictus Ramsperger cum Vxoribus suis &c. puto esse Hainricum.

De Leubolfing, de Satlpogen, de Nusperch, de Alenckhouen.

DE FVNDATORIBVS HVIVS MONASTERII, IBI AD PARIETEM TEMPLI SEQVENTES SCRIPTI SVNT RYTHMI.

Continet Authores huius fabricæ potiores
Ista sepultura, quos præsens atq; futura
Posteritas sanè non cessat vespere, manè,
Hic commendare Christo, precibusq; iuuare.
Sed libet ipsorum distinguere nomina, quorum
Extitit Albertus primus; de quo duo nati
Hartvvic, Berchtoldus sunt hac tumba tumulati,
Solo Berchtoldo puer Albrecht nascitur, à quo
Processerunt Leopold, Berchtoldus & Albrecht,
Sic genus æquiuocos vult partim esse beatos
Corpora dictorum latitant hîc more priorum.
Te quoq; mente pia dotauerunt Virgo Maria,
Templi structura des gaudia non ruitura
Ipsis in cœlis, vbi regnat quisq; fidelis.
Dilige progeniem Comitis quicunq; legens es.

VVEIARN.

Monasterivm Canonicorum Regularium Ordin. D. Augustin. ad Mangualdam fluuium. Ioan. Auent. in Annalib. fol. 552. 622. &. 724, ita ponit, vinariam superioris Bauariæ præfecturam, hoc est Comitatũ seu Dominium, Sigibotho A dolcedo coniuges cum liberis Sigbothone atq; Gerdrude, Aurelianis sacris addicunt. Diploma fundationis ita habet:

In nomine Sanctæ & Indiuiduæ Trinitatis. Notum sit omnibus Christi fidelibus, tam futuris quàm præsentibus, quod ego Sigebotho Dei gratia aliquãdo Comes, in honorem Domini Iesv Christi eiusq; perpetuæ Viginis Matris Mariae, nec non omnium Sanctorum, pro remedio animæ meæ, & quondã Coniugis meæ Adlhaid, nostrorumq; filiorum Sigebothonis & Gertrudis, omniumque parentum nostrorum, partem hæreditatis meæ, concedẽtibus Nostris propinquis, ad construendam in honorem Principum Apostolorum Petri & Pauli vinariam cellam contradidi, in qua Deo opitulante Canonicos, sub Regula beati Augustini, commu-

communnem vitam profitentibus locare disposui. Singula autem ad subleuandam necessitatem eorum delegata in charta præsenti subscripsi, & rata Testium astipulatione infrapositorum corroboraui. Sunt autem hæc, quæ Deo largiente & aspirante ipsi famulatiua prædictis Canonicis concessi, vinariæ tres villicanas curtes in nouалibus. IIII. Mãsos, IIII. Molẽdina Tullichingen, curtim vnã, Pfrumare curtim vnã, Stochaten curtim vnam, Vffingen duas curtes & Mansum vnum, cum Molẽdino, locellũq; vnum caseis exprimẽdis aptum, t elues quinq; saginas vini in Autũno exsoluentẽ, quatuor autem in Vere de nostro vino Placidelle; cõducentem etiam delegaui Bochen vineam vnam, Megis vineam vnã, Gine vineam vnam, Placidelle vineam vnam. Testes autem huius traditionis sunt, Rudolph Aduocatus & filius eius Sigebotho, Vldaricus de VVilcheringen, Gebo de Steuenkirchen, Hainrich de Seehirgen, Adalbero de Diethramingen, Louuinus, Pethart de Frosthaim, Meginhart de Purestalle, Dietmar de Perchaim, Gisloich Ekahart, Lontold, Romprecht, VValchun, Ozo, & alij multi.

Hanc autem delegationem ad Altare S. Ruperti, suscipiente eam venerabili Archiepiscopo Cunrado, præsenti etiam Patauiensi venerando Regmaro Episcopo obtuli, vt inde Magister, si dignus in ea innentus non fuerit, assumatur: Hanc traditionem tali conditione consulentibus viris prudentibus fieri, vt si quis Episcoporũ in alium vsum, quàm nos ordinauimus, retorquere præsumpserit, proximus nostræ sanguinitati, super Altare S. Ruperti vnum Bizantium exsoluat, & ipsam canonicam, cum eius vtensilibus, in proprium Ius redigat. Hæc autem omnia me petente prædictus Archiepiscopus Conradus, Domino Rudolpho in Aduocatiam interposita conditione commendauit, vt si in aliquo notabili excessu ter deliquerit, & quartò non correxerit, Canonici habeant libertatem eligendi alium Aduocatum. Præterea supradictus Venerabilis Archiepiscopus Salzburgensis, delegauit supra idem altare multis astantibus Clericis, videlicet ac Laicis, dimidium Mansum pertinentem ad Ecclesiam Burtine dictam, redimens alio dimidio Manso, decimam quoq; omnem noualium videlicet in possessionibus S. Emerami, nec non & aream cuiusdam VVolfchrimi Halle, quinquaginta quoq; carratas salis, de sartagine Vdalrici delegauit. Hanc autem delegationem tali conscriptione corroboratam:

Ego Cunradus Salispurgensis Ecclesiæ Dei gratia Archiepiscopus, defendendam suscipio, & in nomine Domini nostri Iesv Christi, & authoritate beati Petri Apostoli & Innocentij Papæ, nostraq; confirmo, vt si quis eam annullare, vel in irritum ducere temerario Spiritu attentauerit, anathemate percussus intereat, & à societate totius Ecclesiæ, cum Christo regnantis sequestratus, cum Iuda in Inferno torqueatur. Anno Dominicæ incarnationis Domini nostri Iesv Christi, M. C. XXXIII. Indict: XI, Præsidente Romanæ Ecclesiæ beato Innocentio Papa: Romanum verò Imperium Lothario Cæsare administrante, facta huius traditionis consignatio. Data Salispurg, septimo Iduum Iuliarum die. Ex verbis huius Diplomatis apparet, Sibothonem fundatorem, Comitem de Falekenstain & Neuburg &c. primum quidem huius nominis fuisse, at non filium Ruodolphi, Nepotem Herrandi, neq; quòd filium Sibothonem secundum reliquerit, pro vt Auct: in Annalib. fol. 724. & in sua epitome ponit: Sed potius hunc fundatorem absq; liberis, & priuarum, hoc est, abdicato Comitatu decessisse, in illis verbis, Ego Sibotho Dei gratia aliquãdo Comes &c. Item ibi, pro remedio animæ meæ, & quandoque coniugis meæ Adlhaid, nostrorumq; filiorum &c. ac ibi, concedentibus propinquis nostris &c. & alium Rudolphum, cuius filius Sibotho, scilicet secundus Aduocatum constitutum esse, nempe de ipsius familia, non patrem: aliàs enim, qui de propinquis disponit, vtiq; de Patre ac liberis suis dixisset, illisq; prouidisset, sitque

solum

solum vnius vxoris Adelheidis & duorum liberorum defunctorum mentio, de Cunone Episcopo Ratisponensi nihil, qui filius fuit Sibothonis secundi, non fundatoris. Et tempore huius fundationis Bauariam regebat VVelphorum familia, non autẽ Schyrenses aut VVittlspacenses Comites, qui demũ Anno, 1181. Ducatum Bauariæ Friderici primi Imperatoris beneficio recuperârunt. Atq; hic Sibotho fundator non est ille, qui ab Ottone nobili de Brandenburg, in balneo occisus est, sed Sibotho sextus & vltimus huius familiæ, quod longè postea, nẽpè anno Domini, 1271. factum est, vt Ioan. Auent: tam in Annalibus, quàm in suo Epitomate notauit, quod etiam liber reddituum horum Comitum, qui etiam nunc in Archiuo Ducali Monachij latinè & germanicè scriptus extat, testatur, quòd multis annis post fundationem hi Comites vixerunt, qui Monasterium amplius dotârunt, ac cum Præposito Monast. aliquas lites habuerunt, sicuti & Sibotho Comes Aduocatiam huius Monasterij ab Archiepiscopo Salisburgen. habuit. Item, quod Castrum Herranstain, non est illud ad Ysaram, supra Monachium Hornstain, dictum, vt Auent. falsò opinatur, sed potius in Austria situm, quod ex prædicto libro reddituum in pluribus locis, vbi de Orientali Prouincia mentio fit, manifestè conuincitur: siue quæ adhuc extat vrbs, Stain, iuxta Danubium, tunc à Comite Herrando Herranstain dicta, à qua non procul distat Castrum VValdeck: siue alia in Austria. Et habuerunt Comites in hoc loco, vbi nunc Monasterium est, cellam suam vinariam, scilicet eius Vini, quod ex Tyroli & Austria huc vectum est. Nam quod hoc loci tam frigidi ac lapidosi Vineas suas habuerint, verisimile non est. Et hoc puto verius ac probabilius, magis quàm quod olim Georgius Rotschmid Præpositus huius Monasterij, Anno 1514 de fundatione huius Monast. germanicis rithmis, ex ignorantia Historiarum & supina lectione prædicti libri reddituum, perperam scripsit.

In Annalibus huius Monasterij dicunt aliqui scriptum reperiri, prædictos Nobiles de Brandenburg, qui horum Comitum Ministeriales erant, fundationem huius Monasterij multùm iuuisse, ac vt vulgò vocant, Mitstiffter fuisse, de quo ego nihil affirmare possum, qui talia neq; viderim neq; legerim.

Anno Domini. 1226. Monasterium hoc vnà cum suis Diplomatibus, officinis & Clinodiis, totum igne consumptum est, longo post tempore restitutum per Hainricum Præpositum, potissimum ex largitionibus ac Eleemosynis piorum hominum. Hainricus iste Præpositus, vnà cum Reuerendo Domino Doctore Galbano, Quinqueecclesiensi ex Vngaria, Et Domino Georgio de VValdeck Anno 1371: Auenionẽ profectus à Gregorio 11. Pontifice impetrauit, ac Monasterio vniuit vicinã Parochiam in Neukirch. Postea Anno, 1374. rursum consecrata est Ecclesia Monast. Hic Præpositus trãstulit etiam ossa fundatoris in medium templi.

Tenues hodiè sunt huius Monasterij redditus ac vix tanti, vt Præpositum cum duobus aut tribus Canonicis, qui interea Parochorum munere funguntur, alere possit.

Nobiles ibi sepulti.
Aliqui de Pienzenau.
De Hohenkirchen.

S. ZENONIS

MONASTERIVM Canonicorum Regularium D. Auguſtini. Conradus Archiepiſcopus Salisburgenſis, Nepos Babonis Comitis Abenspergenſis, apud Reichenhall in Norico Canonicis regularibus S. Auguſtini collegium inſtituit, quod ſancti Zenonis vocant, primumq; Præpoſitum ibi Lonzonem ordinauit. Obiit Conradus, poſtquam XLVI. annis laudabiliter Eccleſiæ Salisburgeñ præfuiſſet, Anno, 1147. Auentinus lib. VI. fol. 615. & 623.

Nobiles ibi ſepulti de Haslanng.

IN NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDVÆ TRINITATIS, EGO CONRADVS SANCTAE Iuuauenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, & Apoſtolicæ Sedis Legatus.

QVONIAM quidem Chriſtus, cum diues eſſet, pro nobis pauper factus eſt, vt nos illius inopia ditaremur: Sic nobis intelligẽdum eſt, ſuper hunc egenum & pauperem, vt & veſtigia humilitatis eius imitari ſtudeamus, & ei in fratribus ſuis minimis, vbi eget & pauper eſt, benefacere non negligamus. Itaq; pauperes Chriſti Halenſes Canonici, cum clamarent ad nos, aurem benignam protinus apponentes eorum vocibus, effectum petitioni ex Pontificali munificentia præſtitimus, ipſisq; miſericordiam fecimus, vt in die malo liberante nos Domino miſericordiam inueniamus. Proinde tradimus omnipotenti Deo, beatæq; Dei genitrici Mariæ, Sanctoq; Zenoni, & ſupradictis fratribus prædium vnum & Syluam quod In Celle dicitur, quod Beneficiũ erat Comitis Cunradi, quod ipſe nobis manu ſua reſignauit, ea de cauſa, vt prædictæ Eccleſiæ traderemus. Quod ita diſtinctum eſt in terminis ſuis, qui iſtis nominibus exprimuntur Chympergiſort, Munechisfurt, Grunethal, Rintpachis, Vrſprinch, Aſcheeke, Peutaris. Huius inquam prædij donationem facimus cum omni Iure noſtro, quod ibidem habuimus, vel habere poſſumus, et omni vtilitate quam ad præſens, ibidem inueniunt, & in poſterum conſequi poſſunt. Decernimus ergo vt nulli omnino hominum liceat, ſupradictam Eccleſiam, aut eius poſſeſsiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, vel quibuslibet vexationibus fatigare: ſed illibata omnia & integra conſeruent, eorum pro quorum gubernatione & ſuſtentatione conceſſa ſunt, vſibus omnimodis profutura. Si qua ergo in futurum Eccleſiaſtica ſeculariſue perſona, hanc noſtræ inſtitutionis Paginam ſciens, contra eã temere uenire tentauerit, ſecundò, tertiòue cõmonita nõ præſumptionẽ ſuam cõgrua ſatiſfactione correxerit, poteſtatis, honoriſq; ſui dignitate careat, reamq; ſe diuino iudicio exiſtere de ppetrata iniquitate cognoſcat, et à Sacratiſsimo Corpore & Sanguine Dei & Domini noſtri IHESV CHRISTI aliena fiat, atq; in extremo examine flãmis vltricib. tradita, æternæ dãnationi ſubiaceat. Et vt hæc noſtra delegatio facta pro remedio animarũ prædeceſſorum noſtrorum, & noſtræ Saluationis obtentu rata ſit ac firma in futuras generationes, auctoritate Patris & Filij & Spiritus Sancti, beatæq; Dei genitricis Mariæ, Sanctiq; Zenonis,

Zenonis, necnon Patris nostri Rudberti, & nostra, præsentē paginam stabilimus, & astipulatione subscriptorum testium corroboramus: quorum ista sunt nomina, Helmbertus Præpositus de VVerde, Vdalricus Præpositus de Illmünster, VVilhelmus Præpositus de VViare, Cunradus Comes de Bilstain, Comes Sibotho de Nuinburch & filius eius Chuno, Otto filius Hadmari de Chuffarn, Sibotho de Surberch, & frater eius, Menigothus Castellanus, VVilhelmus de VVagingarberg, Leopoldus de VValde, Haufolc de Veluvvē, Otto de Pongon, Cunradus de VValde & fratres eius, Otto & Heinricus & Leopoldus, Marchard⁹ de Forchtenstein & frater eius Rudgerus, Eberhardus de Helspouue, Hermannus de Hirzperch, Marchvvardus & frater eius, Hermannus de Vagir, Ortolfus de Tolet, Cunradus de Holtzhusin.

ACTA sunt hæc Anno Incarnationis Domini, Millesimo, Centesimo, Septuagesimo septimo, XII. Calend. Octobris, Data per manum Rudgeri Notarij Domini Cunradi Saltzburgensis Archiepiscopi, Apostolicæ Sedis Legati.

IN NOMINE SANCTÆ & Indiuiduæ TRINITATIS. Ego Adalbertus Dei gratia Sanctæ Saltzburgeñ. Ecclesiæ Archiepiscopus, Apostolicæ Sedis Legatus, omnibus Christi fidelibus in perpetuum. Diuina dispensante gratia in administrationem Ecclesiæ nostro Regimini commissæ vocati, non solùm matrem, verùm etiam filias ab vbere materno procreatas, prouida deliberatione dignum duximus pro modulo nostræ facultatis sublimare. Ea propter dilectorum filiorum nostrorum VVickmanni, cæterorumq; fratrum loci S. Zenonis in Halle precibus deuicti, duas partes Decimationis, quæ nostro Iuri accedere debuerunt, de Noualibus in eorũ prædio, quod dicitur in Cella in plebe Vohindorff, tã in cultis quàm colendis, ipsorum Ecclesiæ perpetuo Iure contulimus, eandemq; traditionem memoriæ fidelium tam præsentium quàm futurorum recolendam huic Chartulæ añotari & Sigilli nostri impressione signari fecimus. Quisquis igitur huic deliberationi obuiare præsumpserit, Anathema sit. Huius rei testes sunt, Arnoldus Vicedominus, Luipoldus Comes de Plagin, Megingottus Castellanus, & frater eius, Sigbotto de Surberch, Luipoldus de VValde & filius eius Hainricus, Chuno de VVeruen, Eckhardus de Thann, Rudegerus quondam Vicedominus, VVilhelmus Castellanus de Plagin, Rudolphus de Snellenberg, Gottescalcus de Vnzingen, Conradus de Grabinstat, Otto & frater eius Hainricus, filij Hainrici albi de Halle, Hainricus Löbheze. B

ACTA sunt hæc in Halle, Anno incarnationis Dominicæ M. C. Lxxxviii.

IN NOMINE Sanctæ & Indiuiduæ Trinitatis. Ego Adelbertus Dei gratia &c. Saltzburgensis Ecclesiæ Archiepiscopus VVigmanno Hallensi Præposito, cæterisq; fratribus inibi regularem vitam professis in perpetuum. Cum suscepti Regiminis officiũ imponat, cũq; charitatis extensio nihilominus inducat, omnibus Ecclesiarum prouectibus, nos diligentiùs intendere; domibus tamen religiosorum, ne pro defectu stipendiorum Christi milites à religionis vigore vacare contendant, arctiori studio nos conuenit prouidere. Ea propter dilecti in Christo fratres petitionibus vestris, prospe futuræ mercedis aurem pietatis inclinamus, & Ecclesiæ Hallensi in qua Deo seruire professione Canonica disposuistis, prædecessorum nostrorum beatæ recordationis Cunradi senioris, Eberhardi, Cunradi Moguntini Pontificum vestigia sequentes, quicquid iustæ donationis titulo possidetis vel possidebitis, Ecclesiarum, Capellarum fundatarum, vel fundandarum regimini & Iuri vestro in dioecesi vestra permaneant, Territoria prædiorum cultorum vel incultorum, seu aliarum quarumcunq; possessionum conquisita, scripto præsentis paginæ roborando confirmamus, & confirmando rata vobis C

teneri decernimus. Insuper allodium quod in Cella dicitur, cum terminis manifestè distinctis, cultis, & incolendis, ac Capellam sumptibus vestris in eodem loco constructam, cum Iuris integritate decimarum, cæterorumq; omnium, quæ in præsenti possidet, velde futuro consequetur, pro remedio animæ nostræ, & prædecessorum nostrorum tradimus omnipotenti Deo, Sanctoq; Zenoni & supradictis fratribus, petente hoc & consentiente maioris Ecclesiæ Saltzburgen. Præposito Gundarkaro, cum Chori Capitulo, quo Parochiam in Vahendorf, in cuius terminis iam dicta Capella sita dinoscitur, canonicè possederunt. Ad indemnitatem ergò præfatæ Parochiæ dimidium mansum Miesenbach, in loco qui Hirisbûhel dicitur, à præmemoratis fratribus recepimus, & pro legali concambio ad vsus Ecclesiæ matricis ordinauimus. Concedimus itaq; præsenti Præposito VVigmanno, omnibus Successoribus suis, canonicè substitutis, quatenus in præfata Capella, quam ab omni Iurisdictione & districto matricis Ecclesiæ eximimus, & liberam facimus, iuxta Dei timorem, pro suæ voluntaris arbitrio, non solùm temporalia, verùm etiã spiritualia liberè securéq; dispensent & ordinent. Statuimus ergo, vt nulli prorsus mortalium sæpe dictam Ecclesiam, liceat temerè perturbare, sed omnia illibata sibi cum pacis, & quietis tripudio, perenniter conseruentur. Per nos quoq; Deo cooperante ipsam consecrantes Ecclesiam eodem prædio, cum omnibus appenditiis suis, & omni decimarum integritate, Pontificali auctoritate, ac liberalitate, in perpetuum dotatam esse decreuimus. Si quis autem huius Institutionis nostræ Paginam, quam forma Sigilli nostri communimus, & Prælatorum nostrorũ, Cleri ministerialiumq; nostrorum testimonij fauore stabilimus, cessare tentauerit, ultrices flammas, si non resipuerit, in districtiori examine sine spe redemptionis sustinebit.

EGO Adelbertus Saltzburgñ. Archiepiscopus. SS.
EGO Chundacherus Saltzburgeñ. Præpositus & Archidiaconus. SS.
EGO Rudolphus Decanus Maioris Ecclesiæ Saltzburgeñ. SS.
EGO Bernhardus Pertersgad. Præpositus. SS.
EGO Sigboto Chiemseñ. Præpositus. SS.
EGO Otto Bamburgeñ. Præpositus & Archidiaconus. SS.
EGO Berchroldus Garzeñ. Præpositus. SS.
EGO Pabo Ouuensis Præpositus. SS.
EGO Albanus Seunensis abbas. SS.
EGO Aribo Reichspergensis Præpositus. SS.
EGO Leopoldus Burensis Abbas. SS.

ACTA sunt hæc Anno Incarnationis Domini. M. C. LXXXXV. residente Domino Alberto Saltzburgensi Archiepiscopo, in solemni Capitulo, apud Lauffen habito, XVII. Calend. Decemb. præsentibus & assentientibus Præpositis & Abbatibus, supra in inscriptionibus suis annotatis, & laicis quàm plurimis.

ERRATA.

Fol. 1. post principium. ibi Germance, pone Germanicè. fol. 2. post principium Atergeû, pone Atergeû, fol. 3. sub Arnone, ibi, Tassiloni, tertio Boiorum duci: tolle Comma & pone Tassiloni tertio, Boiorum duci. fol. 8. post principium, ibi. de Katzenhouen, pone Ratzenhouen. Ibidem ante medium, ibi, ob cæteris, pone cætetorum. fol. 17. Vers: idem Fridericus, ibi, quæ in Monsee, pone Mänsee. fol. 18 Vers. anno 1283. ibi, Hartiudus pone Hartnidus, fol. 19. paulo ante finem Vers: anno 1291. ibi hospitum se. intellige scilicet. fol. 22. ante medium ibi. Hartindus pone vt supra Hartnidus, ibidem post mediû. ibi Hainricus de Limi, pone Linn. fol. 25. post medi. vers. Fridericus quartus, ibi. Iohanni successori, pone succedit Nam. fol. 26 vers. Burckhardus ibi Panecker, pone, Prancker. fol. 34. vers. Interfuit, Interfuit hic Arciepiscopus, pone Archiepiscopus, fol. 37. circa medium ibi Episcopi, pone Episcopij. fol. 38. vers. Ioseph electus. ibi in y su. pone Ysn. fol. 39 ante finem Vers: Arnolphus Ibi annus electionis concordat, pone, non concordat. Ibid. lin. antepenultima. ibi siue Mutha, pone siue mutha. fol. 40. Vers. Vito, Ibi Expeditioni Magni, pone Magnæ. fol 41. ante finem vers. Engelbertum, ibi quasi ijs fundator, pone, quasi secundus fundator. fol 42. Circa finem. Dietricus de Potenß. pone petenß. fol. 43. ante medium ibi. Incendio grauissimo perit, &c. Vitio scriptoris hic totus versus omissus est, ita supplendus, hic Otto inter historicos ob æditum Chronicon celebris habetur, vixit in Episcopatu 10. annis, habuit fratrem Conradum Archiepiscopum Saltzburgen. & Episcopum Pataujensem. fol. 44. linea 2. ibi, diplomatum pone diplomatis. ibid. vers. Conradus Comes, tolle punctum. ibid. paulò post, ibi. anno Domini 1161. extare, pone, extant. fol. 45. post principium. ibi. hic partiam Friderici, pone partium fol. 48. Vers. Mauritius ibi exusta, pone exustam. fol. 49. Circa finem ibi. Marchio Albertus de Badeo, alij habent de Staden. fol. 52. Vers. Etenim, ibi. in suo quique, pone quisque. fol. 55. linea vltima. ibi. huic Garibaldus, pone siue fol. 59 post principium ibi, ad Mannifeû, pone ad Apiennesoo. ibid. post medium ibi. exceptis Tpêlo. pone Templo. fol. 60. linea vltima, ibi. Vespergô pone Vrspergen. fol. 66. post medium ibi. Nezo pone Nizo. fol. 68. ante medium, ibi. qui ad Idem, pone quod idem. fol. 70. Circa medium. ibi de rita pone detrita, ibidem paulò pôst, ibi communicatum pone commutatum, fol. 72. Vers. Heinricus secundus, ibi. Rheinhardi pone Meinhardi. fol. 80. Circa medium ibi Husitæ pone Husitico. fol. 84. post medium, ibi. in administrationem pone in administratorem. fol. 92. ante medium, ibi quam volumus. pone nolumus fol. 96. post principium ibi VVerntho filius suus, pone fuus, fol. 102. linea penultima. ibi. qui in Ciuitate, pone quin. 104 post medium ibi. Iudenbrucker tolle r. 105. in medio ibi, officia nulli, pone nulli. 110. linea quarta ibi. non reperiatur, hic quoq; integer versus, vitio amanuensis omissus, ac ita supplendus est, primus sed vndecimus apud Iohannem Candidum in Commentarijs Aquilegiensibus libro secundo, & apud Leandrum in descriptione Italiæ sub foro Iulio, qui ponit eum Martyrio, apud Pannonios, affectum, Budæque situm, de quo etiam Lazius de Rep. lib. 11. Ibidem circa finem ibi. sua functioni pone suæ. fol. 111. in medio ibi. Boiotez, pone Borotre. 112. post medium ibi, ac Theodorus, pone at Theodorus. 114. ante medium ibi. in Circuitum tolle m. 116 post principium, ibi Anno, 11 Regni, pone 40 Regni. 117. circa finem ibi. Moemorum pone Moemarum. 120. ante medium, Archiepiscopus erat, tolle, erat. 126. circa medium, ibi. ordinationis eius secundi, pone Vicesimi primi. 127. Circa medium, ibi. VVoterolphum pone, VVotolphum. 131. linea tertia, ibi. VVaderlaus pone VVedezlaus. 132. post medium ibi. apud arcam pone Accam. ibid. linea vltima ibi. Ludouici Bauarorum, adde, ducis. 134. paulò ante medium ibi. sui Regiminis, adde, quod 137. post principium, ibi. pappone pone Poppone. 138. in medio ibi. Brunonium pone Brunonum. 154. linea secunda ibi. Patauiensi, pone Patauiensis ibi. 27. Haimricus pone Hainricus. ibi . in fin. adde, 34 Antonius Fabritius, Cochitnicus, S. Theologiæ Doctor, nuper Parochus & Decanus Lãdisbutæ apud S. Martinum, nec non Præpositus Mospurgensis, & ex statuum Prouincialium Bauariæ Commissariis vnus, nunc autem hisce officiis & dignitatibus resignatis, magna cum laude & vtilitate Decanum Patauiensem agit. 157. Circa finem in margine pone p 23. 24. 159. linea sexta. ibi. Brunckham pone Brunechram. 160 post principium ibi. scilcet pone scilicet. ibid. post medium ibi. Anno 1141. sept. tolle t. 164. linea secunda ibi. Comes pone Comites in Kirchperg. 165. circa medi. ibi. Capellanus tolle punctum. & pro Comes pone Comitis. Paulò infra ibi. Iubileo, anno, tolle anno. Infra circa finem ibi. anno 1369 pone 1363. fol. 181. ante medium ibi. intra minus pone nemus, ibi. in sequenti linea. Fræmirthsperg pone Frêruhsperg ibid. post medium ibi. vnde Auent. pone vide Auent. ibi. linea antepenultima Leuchtenperg, pone Leuckenperg ita enim Veteres scripserunt. fol. 182 post medium ibi. circa annum Domini, 167. pone 1267. Paulò post ibi H de Mastorf. pone Mosdorf. ibi. sequenti linea ibi Freimdorf, pone Freindorf. fol. 183. Albinus ibi enno 128 comple 1183. fol. 187. ente medium ibi. item Vitus, pone idem Vitus. Ibi. post medium, ibi. & Obiit anno 1392. pone 1352. fol. 188 post mediû ibi. Trusern pone Trustern. Ibi. circa finem. ibi. ad tandem pone tantam. fol. 193. linea quarta ibi. S. Conradus pone D. p S. fol. 194 ante medium ibi. Satrapes Comes, interpone, id est, Comes &c. Ibi. circa finem vt vtromq;, pone vtrinq;. ibi. Conradum Thocer pone Thoret fol. 197. post medium, ibi. à Geyrn Rechenperg interpone de Rechenperg. fol. 207, post principium ibi Smyler pone Schmiher. ibi. VVidersperger de Rorbach. Item VVeinlinger de Hornstein, vtrobiq; tollatur de, nã sunt diuersæ familiæ: fol 211. à principio ibi. 400. ducatis, pon. 800. ibid. post medi. ibi. de Schvvartzêburg pone berg p burg. fol. 213. à princi. ibi. Pfeulberg, tollatur f. fol. 214. circa medi. ibi Gamarolm. p l, po d, fol. 226 circa medi. ibi. translationê. tollatur m. fol. 227 lin. vltima Ibi. Curtilibut, pro t. pone s. fol. 235 paulò ante medium. ibi. VVolstigil, pone VVolstrigil. fol. 241. post principium ibi. Matlelda pone Mathilda. fol. 252. post medium ibi. hecke pone Heikke. Paulò post amica S. Hainrici, pone emita. fol 261. post medium ibi. circa annum Christi, 776 pone 876 fol. 262. post medium ibi. Train pone Trani. 266. ante mediû. ibi. Rognia Ciuitate, pone Regina, 270. linea vltima, ibi. c toulit, lege connilit. 271. ante medium, ibi. Larnandi. lege Iornandi ibi. paulò ante finem, Kumersberg, lege Rumersperg. ibi. Cohmunoshouen, pone Cohsounoshusen, 275. post principium, ibi. in Frasturinga, lege infra Schurzinga. 278 post medium ibi. VVihlchart pone VVilchart. 286. circa finem, ibi. delegebat, delegabat. 288. ante finem ibi. cessari pone cassare. 298. ante medium ibi. Rotenburg, lege Rotenberg. 301 circa finem. ibi. Marcello, lege Martello 302. circa finem, ibi. de Eling pone Egling 303. lin. secunda, ibi. fratum, lege fratrum, 304 ante medium, ibi. intertenditur lege intruditur, 305 Circa finem ibi. intra locû, lege lacum, 307. vers. Maueus Leyer, lege Leyrer 310 post medium, ibi specialiter parium lege panum, 312. ante finem. ib. Matthæus Marscalleus, lege Marscalcus. 315 post princ. ibi. prædictus Otho de Vndeustorf, lege de VVitlspach, 316. post medi. ibi. Haidenrifratico, lege Haidenrico &c. 317. In Nomenclatora, ibi à princi. Chammenstainer, lege Clammenstelner, Clammerberger, lege Chamerberger, Stumplen lege Stumpfen. 322 post princ. ibi Ludouicus & Otho filius Comitis, lege Comites. ibi circa fin ibi, itemq, bona, lege item quod bona. 324. linea prima ibi, profitentibus leg. profitentes.
In præfatione, fol.)(2. pag 1. lin. 22. pro Episcopatum lege Epicopatuum ibidem pag. 2. linea. 34. pro emulatione lege æmulatione. fol.)(4. pag. 1. lin. vltima, pro κριτήριον lege κριτήριον.